



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||


De Sacramentis In Genere

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>


Ingolstadii, [1599]


VD16 B 1607


[urn:nbn:de:hbz:466:1-53925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53925)




Th. 1507.









Disputationum
ROBERTI BEL-
LARMINI POLITIANI,
è Societate IESU,
DE CONTROVERSIIS
CHRISTIANÆ FIDEI, ADVER-
sus huius temporis Hereticos,
TOMVS SECVNDVS.

Editio vltima, ab ipso Auctore recognita:

AD S. D. N. SIXTVM V.

PONT. MAX.



*Bibliotheca
Patrum
Capucinozum
Paderbornae
1754*

Cum gratia & priuilegio Caesareæ Maiestatis.

INGOLSTADII; Ex Typographia ADAMI SARTORII,
Atheno Domini M. D. XCIX.

Diplomatum

ROBERTI BELLI

LARMINI POLITIANI

6 Societate 1554

DE CONSTATINENSIS

CHRISTIANE FIDELITATIS

Imperatoris Augustissimi

TOMVS SECVNDVS

Throno in ab iplo Auctore cognita

AD S. D. N. SIXTVM V.

PONT. MAX.



Imperatoris Augustissimi

Imperatoris Augustissimi

Imperatoris Augustissimi



BEATISSIMO
PATRI SIXTO V.
PONT. MAX.

ROBERTVS BEL-
LARMINVS.



N adfero, BEATISSIME
PATER, alteram partem
earum disputationum, quæ
ante hoc fermè biennium in
sanctissimo tuo nomine in
lucem, te annuente, prodierunt. Æquum
enim esse censui, vt quemadmodum ea vo-
lumina, quæ de Christo, & Ecclesia scripta
erant, Christi ipsius Vicario, & Ecclesiæ
summo Præfidi dicata sunt: ita libri, quibus
Sacramentorum omnium tractatio com-
prehenditur, non alii, quàm sacrorum An-
tistiti primo, & maximo dicarentur: quan-
quam

α 2

quam

E P I S T O L A

quam vel me tacente, nemo non intelligit, partem operis tibi vni consecratam existimari debere, cui totum opus semel sit iure optimo consecratum.

Et verò licet opus ipsum alioqui impositum, & tenue, dignum non sit, quod Principi omnium maximo, & doctissimo offeratur: duæ res tamen facilè effecerunt, vt in spem magnam venirem, fore vt Beatitudini tuæ non contemnendum videretur. **A L T E R A** est, incredibilis benignitas tua, qua me primam huius operis partem ad sacros pedes tuos offerentem, humanissimè complexus, multis magnisque benevolentia significationibus, non modò munusculum quod obtuleram, gratum Sanctitati tuæ fuisse declarasti; sed etiam me ad reliquum opus perficiendum quasi quibusdam additis calcaribus incitasti. **A L T E R A**: ingens utilitas huius generis scriptionum. Tibi enim pro salute vniuersi Christiani gregis dies ac noctes excubanti, nihil gratius accidere solet, nihil minùs contemnendum videri, quàm id, quòd sit cum Ecclesiæ non mediocri utilitate coniunctum. Hoc verò tempore, quo tot syluestres feræ non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque

DEDICATORIA.

atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues, aditus vndecunq̄ue rimari: nihil esse videtur vtilius, quàm pestilentibus, atque insidiantibus Hæreticorum scriptis, (vt sancti Augustini verbis vtar) mendantia, *Lib. 1 ad Bonifacium, cap. 1.* & munientia scripta prætere, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis aliis repellatur: Ego autem pro mei particula muneris, proque iis viribus, quas Dominus subministrare dignatus est; quod his temporibus Christiano populo vtilissimum esse credidi, ad id cogitationes meas, laborem, studiumque conuerti. Itaque operam dedi, vt in re, in qua potissimum nostro hoc seculo hæreticorum omnium de bacchatus est furor, quanta maxima à me adhiberi potuit perspicuitate & breuitate, nihil omninò prætermitterem, quod vel ad fraudes, & mendacia Christi hostium detegenda, vel ad nodos, & argumenta ipsorum dissoluenda, vel ad Catholica Orthodoxæ Ecclesiæ dogmata explicanda, & communienda pertinere posse videretur.

Accipe igitur, PATER SANCTISSIME ATQUE OPTIME, alteram hanc partem, ea benignitate qua cetera soles, quæ
PRÆFA
“ 3 tibi

EPIST. DEDICATORIA.

tibi à deuotis tuis seruulis deferuntur. At-
que interea dum tertiam partem, Deo bene
iuuante, molior, assidue precari non desi-
nam, vt felix viuas; & gloriae Dei, gregisque
tui incolumitati, vt facis, seruias; ac tuis
apud Deum iam partis promeritis
maximum indies beneme-
rendo cumulum
adiicias.



PRÆFA-

PRÆFATIO

IN SCHOLIS HABITA:

DE HAERETI-
CORVM LEVITATE
in re Sacramentaria.

HÆRETICOS HOMINES,
vt est apud Isaiam Prophetam,
cap. 19. spiritu vertiginis agitari,
& tanquam Babylonicæ turris
edificatores, sic inter se linguis,
& moribus esse diuisos, vt alius alium non agnoscat;
nulla re magis, quàm disputatione Sacramentaria
comprobatur. Etenim cum de Sacramentis agitur,
siue nomen, siue natura, siue numerus siue efficaci-
tas, siue quid aliud in cōtrouersiam adducatur, non
modò inter se acerbissimis contentionibus altercan-
tur, sed etiam ita ineptè, atque absurdè plerunq; dis-
putant, vt de stultitiæ palma contendere, vel de glo-
ria imperitiæ dimicare velle videantur. Et quo-
niam præfationem à nobis solito pleniorern, ac iu-
cundiorern noui huius Gymnasij amplitudo, noua
studiorum auspicia, noui auditorum concursus, ipse
propemodum sedes, ac parietes postulare videntur,

siue

α 4

non

P R Æ F A T I O.

non mediocriter lætor, hoc se mihi hodierna die ad disputandum argumentum obtulisse. differendum est enim de hæreticorum huius temporis vanitate, & leuitate, idq; in re Sacramentaria, id est, summis grauissimisque nostræ fidei controuersis. Quæ sanè disputatio nec incunditate vacua esse poterit, cum spectaculum furiosorum inter se, & cum sanis concertantium exhibeat: nec sua etiam utilitate priuabitur, cum hoc exemplo luculenter ostendat, in quas errorum tenebras incidant, quæq; ad præcipitia absurdissimarum hæreseon ruant, qui semel à præclarissima, munitissimaq; Catholicæ veritatis arce recesserint.

P R I N C I P I O igitur cum Sacramenti vocabulum in questionem apud Hæreticos nostros venisset, & MARTINVS LUTHERVS in Babylone sua eam vocem haud multum sibi probari significasset, continuo discipuli eius, qui Lutherum, non vt hominem quendam vulgarem, sed vt nouum Prophetam de cælo lapsum suspiciebant, eiusq; non sententias tantum, sed etiam nutus tanquam oracula obseruabant, Sacramenti nomen aperte improbare, ac repudiare cœperunt. Itaque ANDREAS CAROLOSTADIVS in lib. de imaginibus & Sacramentis, Sacramenti nomen palam oppugnauit. PHILIPPVS MELANCHTHON in locis priimum editis, cap. de signis: Quæ, inquit, alii Sacramenta,

P R Æ F A T I O.

menta, nos signa appellamus, quòd si signi nomē displicet, σφεαγιδας appelles. *ZV V I N - G L I V S* in lib. de vera & falsa religione: Vocem istam, inquit, Sacramenti, magnoperè cupe- rem Germanis nunquam fuisse receptam. *CALVINVS*, ut ceteris grauior & sapientior vi- deatur, etsi nomen hoc parum probet lib. 4. Instit. cap. 14. non tamen existimat operæpretium, de no- mine litigare. Non diu post exorta inter Luthe- rum, & Sacramentarios grauisissima simultate, cum animaduerneret Lutherus Sacramenti nomen ve- hementer Sacramentariis improbari; probare ipse cepit, acerrimeq; tueri, ac propugnare, ut ex eo li- bro cognosci potest, quem contra *Andream Carolo- stadium* scripsit: quem quidem *Andream*, aureum aliquando amicum suum, in *Absalonem* & *Iudam* postea conuersum miserè deplorat.

LUTHERVM opinione mutata, Sacramenti vocabulum defendentem, sequutus est eius *Acha- tes*, *PHILIPPVS MELANCHTHON*, qui in locis posterius editis Sacramenti nomine passim uti- tur: sequuti etiam ceteri, qui propriè Lutherani di- ci, atque à Sacramentariis distingui volunt, *Bren- tius*, *Tilemannus*, *Kemnitius*, & alij.

Sed audite, si placet, quibus argumentis Sacra- menti nomen vel oppugnet *CAROLOSTADIVS*, vel defendat *Lutherus*: Non placet, inquit ille,

P R Æ F A T I O .

vox ista; neque enim Deus in sacris literis
 vsquam imperavit, vt eiusmodi voce utere-
 mur; nec licet in rebus diuinis vsurpare no-
 mina, quæ Deus non iusserit vsurpari. *Contrà*
LVTHERVS: Immò verò, *inquit*, placet vox
 ista; nec enim Deus in sacris literis vsquam
 prohibuit, ne eiusmodi voce uteremur: &
 quis tandē es, *Carolo*stadi, vt te ponas loco
 Dei, & nobis prohibeas, quod ille non pro-
 hibuit? *Vter ineptior, Auditores?* Nam si non li-
 cet in rebus diuinis his vocibus uti, quas in sacris li-
 teris non instituit, indicet nobis *CAROLOSTA-*
DIVS, vbinam legerit in *Scripturis* *Trinitatem*,
essentiam, *personas*, *ὁμοῦσιον*, aliaq; id genus, qua
 trita sunt & peruulgata, non magis apud Catholi-
 cos, quam apud ipsos hereticos *Sacramentarios*? &
 si non licet *Baptismum*, & *Eucharistiam* vocare
Sacramenta, quod Deus non iusserit ita vocari, cur
 ipsi *Baptismum* & *Eucharistiam* signa, symbola tes-
 seras, *σφραγίδας* appellant? neque enim locum in-
 dicare poterunt in *Euangelio*, vel in *Apostolo*, ubi
 eiusmodi vocibus, vel *Baptismus*, vel *Eucharistia*
 nominetur. Sed nec *LVTHERI* *ratio*cinatio mul-
 to plus habet ponderis, aut soliditatis. Etenim si
 prohibere non licet ea vocabula, quæ Deus in sacris
 literis non prohibuit; nõ igitur prohibeantur. *Aria-*
ni *Filium* Dei dicere *ἕτερον* *Patri*: sinantur
 Mace-

*N. multum
 hinc legitur.*

P R Æ F A T I O.

Macedoniani spiritum sanctum vocare creaturam: liceat Michaeli Serueto Verbum æternum definire; idealem rationem Christum hominem representantem: liberum sit Valentino Gentili Deum Patrem essentiatorem, Deum Filium essentiatum nominare: concedatur denique, vt alia prætermittam, nouis Samosatensis, vt vocent imagines Trinitatis, Cæberos tricipites, & tricorpores Geriones siquidem nihil horum in sacris literis Deus prohibuisse legitur.

Quantò grauius, maturius, sapientius ECCLESIA Catholica nomē Sacramenti retinet, quòd eam vocem aptissimè quadrare intelligat in Baptismum, & Eucharistiam, aliaq; eiusdem generis sacra mysteria; quodq; eadem voce vsos esse videat Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & quotquot iam inde ab initio Christiani nominis, de sacris nostræ fidei rebus Latine scripserunt? Sed de nomine satis multa ad Sacramenti naturam, atque vim accedamus.

Scriptores Catholici tanta consensione docent, ac semper docuerunt, nouæ legis Sacramenta instrumenta quedam esse nostræ iustificationis, vt id etiam Aduersariorum nostrorum testimonio comprobetur. Sic enim CALVINVS loquitur lib. 4. Instit. cap. 14. §. 14. Magno consensu Sophisticae scholæ tradiderunt, Sacramenta nouæ legis

P R A F A T I O .

legis iustificare, & conferre gratiam, modò
 nō ponamus obicem peccati mortalis. Quę
 sententia dici non potest quàm sit exitialis
 & pestilens, eoquę magis, quòd multis antè
 seculis magna Ecclesię iactura, in bona or-
 bis parte obtinuit. *Hęc ille: qui, vt videtis, li-
 cet pro suo more Catholicos, sophistas; & Ecclesię
 fidem, pestem ac perniciem vocet: tamen negare non
 potuit magnum esse inter Catholicos omnes consen-
 sum; ac sententiam nostram multis iam seculis in
 bona orbis terrarum parte viguisse: cum de ipsis
 contrà rectissimè, verissimèq; dicamus, nihil apud
 eos antiquum, nihil certum, nihil ferè ab omnibus
 communi consensione receptum, sed omnia noua, in-
 certa omnia, eaquę breuissimis, atque angustissimis
 finibus circumscripta. Nam etsi permulti, ac penè
 innumerabiles hoc tempore longè, lateq; grassantur
 Heretici; tamen in tot minutissimas sectas sunt
 ipsi diuisi, atque dissecti, vt nullum fermè sit eorum
 dogma, quod admodum latè pateat, quodq; nō aliqua
 certa regione definiatur. Sanè Martinus K E M-
 NITIVS in 2. part. Examinis Tridentini Concilij
 de Sacramenti natura & potestate disputans, sum-
 mam inter suos, id est, Lutheri posteros ac discipu-
 los, discordiam esse ingenuè confitetur. Et verò ni-
 mium impudens fuisset, si quod est solis luce clarius,
 inficiari voluisset. numerantur enim apud Aduer-
 sarios,*

P R Æ F A T I O.

sarios, ipso etiam consentiente Kemnitio, ut minimum se ex diuersa, atque absurdissima, & inter se pugnantes opiniones, dum aliud somniat Lutherus, aliud sibi fingit Carolstadius, aliud delirant Anabaptista, aliud Zyvinglius, aliud Calvinus, aliud alij comminiscuntur. Inspiciamus paulisper, ac loquiter discutiamus ineptias singulorum.

Princeps LUTHERVS, cum in Babylone, tum in assertione Articulorū, nihil aliud Sacramentum esse voluit, nisi diuinum testimonium ad excitandam vel nutriendam fidem, institutum, quod instar miraculi confirmet, & instar sigilli obsignet promissionem gratie. Quocirca Sacramenta ferè conferre solet cum vellere Gedeonis, cum signo, quod Isaias obtulit Regi Achaz, cum aliis eiusmodi miraculis atque prodigiis, quibus ad faciendam fidem Prophetæ, & Apostoli utebantur.

Sed hæc sententia tam est absurda, ut nihil ferè cogitari possit absurdius. Nam signa atque prodigia ad confirmandam prædicationem meritò adhibentur, cum sint ex se nota, & illustria, neque à prædicatione ulla ratione dependeant: contra autem Sacramenta nullam ex se vim habent, ac ne Sacramenta quidem esse intelliguntur, nisi testimonio verbi confirmentur. Itaq; qui à prædicatore diuini verbi vel morbos repente curari, vel Dæmones verbo pelli, vel cæcos illuminari, vel ab inferis mortuos reuocari

conspi-

P R Æ F A T I O.

conspiciunt, ipsa miraculi vi tanquam fulgore quodam ita percelluntur, ac prosternuntur, ut vel inuiti verbis tanti viri fidem habere cogantur. Qui verò aquis hominem ablui, quod in Baptismo facimus, vident, nihil mirantur, neque facile credunt in ea lotionem aliquid sublimius latere, nisi verbo Dei antè crediderint. Quòd si non antè Sacramenta suspicere incipimus, quàm verbo Dei fidem habeamus: quo pacto, quæso, fieri potest, ut Sacramentis diuina eloquia confirmentur? Annon ridiculus esset, qui Ethnico diceret: Ut credas vera esse quæ dico, amphorã istam aquæ super caput tuum effundam? Egregia sanè probatio: nisi enim ex Dei verbo disceremus lotionem illam, & illã vnctionem ad purgandos animos valere, quis id crederet? quis non rideret? neque enim id habet aquæ natura, ut morbos animi curet, & cordis maculas eluat; sed quidquid in hoc genere potest, ex institutione diuina potest; diuinam autem institutionem diuina eloquia patefaciunt.

Porro comparatio illa, qua verbum diplomatis Sacramentũ sigillo ab aduersariis passim confertur, tam est inepta, ut nihil ineptius fingi queat, multoq; rectius verbum Dei sigillum Sacramenti, quàm Sacramentum, verbi Dei sigillum dici possit. Nam ut sigillum, etiam sine diplomate vim suam habet, atq; agnoscitur, & honoratur; diploma sine sigillo non
 agno-

P R Æ F A T I O .

agnoscitur esse diploma, nec vim ullam habet: sic etiam verbū Dei sine testimonio Sacramenti, suam, eamq̄, summam habet auctoritatem; Sacramentum verò sine verbi testimonio, nullam. Non igitur Sacramentum, ut illi volunt, sigillum verbi, sed verbum sigillum Sacramenti nominari debuisset.

Deinde si Sacramentum, ut Lutherani volunt, nihil est aliud, nisi excitanda vel alenda fidei instrumentum, quorsum infantes, amentes, dormientes interdum in Ecclesia baptizantur? num ea vis est in Sacramentis, ut iis etiam qui usum rationis non habent, fidem persuadeant? an potius rectè docent ANABAPTISTÆ solis adultis, sanis, ac vigilantibus Sacramenta prodesse? Minimè verò, inquiunt, LUTHERANI, quin potius graviter errant Anabaptistæ, homines fanatici ac furiosi, dum infantes baptizari prohibent. Nam et si parvuli alio tempore iudicio rationis carent, tamen dum baptizantur, sic in earum mentibus operatur Deus, ut & verbum Dei audiant, & Deum etiam agnoscant, ac diligant; quemadmodū olim S. Ioannes in utero matris, Christi præsentiam sensit, & prægaudio exultavit. *En vobis quò se miseri præcipiant: nec est omninò locus alius, quò se recipiant:urgent enim vehementer Anabaptistæ, & sic undique Lutheranos clausos tenent; ut vel capi debeant,*
vel

P R Æ F A T I O .

vel in huius noui erroris foueam spontè cadere. Sed neque ita effugiunt: nam in ista ipsa fouea armato dilemmate obruuntur, atque conficiuntur Lutherani. Vidistis opinor aliquando, infantes dum baptizantur, quàm refugiant, eiulent, oblucentur. Quæro igitur, vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt. Si non intelligunt, nec credunt: si non credunt, perperam baptizantur; & vicerunt Anabaptistæ. Si intelligunt; sacrilegi sunt, qui sic peruicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quàm maculantur. non igitur baptizentur; & vicerunt Anabaptistæ. Quid? quod has ineptias iam olim in epistola ad Dardanum risit AVGVSTINVS, & ad exemplum S. Ioannis, qui singulari miraculo in vtero exultauit, argutè respondit; aliquando etiam asinam Balaam sapienter esse loquutam, nec tamen ob id admonitos esse homines in liberationibus suis asinina expectare consilia.

Sed Lutherum dimittam, si vnum ab eo quaesiro, in quonam Euangelio, vel Apostolo, vel Propheta legerit, Sacramenta nouæ legis esse testimonia, vel sigilla verbi Dei? Nos quidem passim legimus Ioan. 3. Actor. 22. 1. Corinth. 6. Ephes. 1. Tit. 3. 1. Petr. 3. Baptismo renasci, abluui, purgari, sanctificari, renouari, saluari fideles: obsignari promissiones nusquam legimus, nisi fortè in Euangelio secundum Lutherum. Neque potest Lutherus hoc argu-
mentum

P R Æ F A T I O.

mentum contemnere, cum in libro aduersus Ioannem Cochlaum scriptum reliquerit, in rebus sacris vehementissimum, & robustissimum locum esse, argumentum ducere ab auctoritate negatiue. Vel igitur locum indicet in verbo Dei, vbi Sacramenta nouæ legis, testimonia nominentur; vel certe argumento vehementissimo, & robustissimo sententiam suam nos refutare fateatur.

Venio nunc ad ZVINGLIUM. Is in libro de vera & falsa religione, vbi Lutheri sententiam, aliasq; nonnullas satis acriter oppugnauit, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud, nisi quandam oppignerationem, ac veluti iusiurandum, quo se homines Christo, & eius Ecclesiæ fideles fore publicè profitentur; ex quo illud sequitur, in Sacramentorum celebratione nihil Christum agere, & non modò non purgare peccata, neq; homines renouare; vt volunt Catholici, sed ne attestari quidem nostræ iustificationi; vt docent Lutherani. Quæ sententia tantum abest, vt vlllo Scripturæ testimonio confirmari queat, vt cum vniuersis Scripturis apertissimè pugnet. Nam si Baptismus meâ tantum est oppignratio, non autem Christi actio, quid est quod ait Ioannes: Hic est qui baptizat, quid est illud, quod ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vi-

P R Æ F A T I O.

tæ? & si Baptismus non purgat peccata, sed testimonium solum præbet futuræ fidelitatis, cur Paulo Ananias dixit: Baptizare, & ablue peccata tua? cur ipse Paulus Baptismum definiuit laucrum regenerationis? & qui sibi vult illud, quod iam citauimus, Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ? Denique vt alia multa præteream, res est in Ecclesia, explorata, ac certa, & ipsis etiam fœminis, ac pueris nota, Sacramenta Christiana ex Christi passione, ac meritis vim habere: atque in eius rei signum sanguinem, & aquam ex Christi latere profluxisse. Tunc, inquit S. LEO epist. 4. cap. 6. regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis. quod idem Ambrosius in Lucam, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in Ioannem, annotârunt. Atque hinc Apostolus Paulus duo illa coniunxit: Tradidit semetipsum pro ea; & Mundans eam lauacro aquæ. quia videlicet nihil esset aqua, nisi aqua, nisi vim quandam mirificam ex illius sanguine traheret, qui tradidit semetipsum in mortem, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam. Hinc deniq; & Ioannes clamat: Hic est qui venit per aquam, & sanguinẽ. & rursum repetit: Non in aqua solum. nimirum, vt quondam Ioannes Baptista: Sed in aqua & sanguine.

P R Æ F A T I O.

guine. id est, in aqua admista sanguini, atq; ob eum sanguinem ad omnia eluenda peccata efficacissima. Sed si vera est noua Theologia Zvvinglii, errat Ioannes, fallitur Paulus, hallucinatur Patres vniuersi, inanis est confessio populorum, ac gentium, Christus ipse frustra latus suum aperiri, & sanguinem & aquam inde manare voluit. Quid enim opus fuit Christi passione, ac morte ad Sacramenta instituenda, si nihil sacrum, nihil diuinum habent, nihil possunt, nihil efficiunt, nec sunt aliud nisi testimonia, vel pignora quaedam humana?

Iam verò IOANNES CALVINVS mirā calliditate, cū Lutherum simul ac Zvvinglium amplecti velle videatur, ab utroq; dissentit, atq; utroque reiecto, suum ac proprium dogma constituit. his enim verbis affirmat in 4. lib. Instit. cap. 14. §. 1. veram, propriam, simplicem definitionem Sacramenti contineri: Sacramentum, externum est symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientis nostris Dominus obfignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur. Quis non iuraret, Caluini sententiam ex Lutheri, Zvvingliiq; sententia esse conflata? Quod enim Calvinus ait, Sacramento promissionem beneuolentiæ à Domino

P R Æ F A T I O.

obsignari ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex
 Luthero sumptum videri potest: quod verò addit,
 eodem nos Sacramento testari nostram erga Domi-
 num pietatem, ad Zyvinglii sententiam pertinet.
 Sed non tanta erat vel in Caluino modestia, vel in
 Luthero, & Zyvinglio auctoritas, vt horum ille
 discipulus aut esse, aut haberi se pateretur. Itaque
 licet Zyvinglio Calvinus concedat, Sacramenta
 esse quandam veluti professionē nostrā erga Deum
 fidelitatis: in eo tamen ab eo dissentit, quod negat
 hunc esse vel solum, vel primarium Sacramento-
 rum usum, & ea de causa, nomine Zyvinglii præ-
 termissio, eius sententiam loco notato palam oppu-
 gnat, omniaq; ipsius argumenta sigillatim diluit. In-
 ter Lutherum autem, & Caluinum hoc interest,
 quòd cum vterque Sacramenta faciat testimonia,
 vel sigilla diuinæ promissionis; eam promissionem
 esse vult Lutherus iustificationis præsentis, Calui-
 nus electionis æternæ. Quamobrem in Antidoto
 Concilii, sess. 6. cap. 5. infantes baptizari dicit, non
 vt in adoptionem filiorum à Deo recipiantur, sed vt
 obsignetur promissio vitæ, quæ ad eos per gratiam
 prædestinationis iam antè pertinebat. & session. 7.
 can. 7. ad eum finem Sacramenta referenda esse
 affirmat, vt certos nos reddant perpetuæ adoptio-
 nis, & gratiæ, ad quam videlicet ante mundi consti-
 tutionem prædestinati sumus.

Sed

P R Æ F A T I O.

Sed hæc sententia multis nominibus falsa, absurda, perniciofa, impia eſt. Nam & cum Scripturis apertè pugnat, & multis regnum cœlorum claudit, & Sacramentum falſum, ministros ſacrilegos, Deum mendacem, & quaſi periurum facit. Si falſum non eſt, Sacramenta ſolùm ad præteritum, id eſt, ad gratiam electionis referri; cur Ananias in præſenti dicit: Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua? cur Baptiſmum Paulus vocat lauacrum regenerationis? cur eundem Baptiſmum Petrus accipi dicit in remiſſionem peccatorum? Et quæ tandem eſt iſta temeritas, vel furor potiùs, & amentia, prouocare Catholicos ad Scripturas, & tamen quid Scripturæ omnes clament nolle audire, id verò obſtinatè aſſerere, ac tueri, quod nuſquam in diuinis literis oſtendi queat?

Absurdam verò ſententiam eſſe, per Sacramenta obſignari conſcientiis promiſſiones, fieri poteſt ex paruulorum Baptiſmo planiſſimum. Siquidem ritè, atque vtiliter paruulos baptizari, Calvinus contra Anabaptiſtas multis in locis docet, cùm tamen paruuli vt uſu rationis, ita etiam conſcientia careant; quod ne ipſe quidem Calvinus negare auſus fuit in 4. lib. Inſtitutionis, cap. 16. Et verò ſi promiſſio diploma quoddam eſt, Sacramentum ſigillum, & conſcientia cera, vel charta, vt Calvinus ſignificat; egregium ſanè miraculum Caluini-

P R Æ F A T I O.

stæ faciunt, cùm paruulos baptizant: nam & diploma scribunt sine charta, & sigillum imprimunt sine cera.

Esse autem eandem sententiam multis ac potissimum paruulis perniciosam, dubitari certè non potest. Nam cùm Sacramenta Calvinus, filiis præsertim hominum fidelium, quos iustos ac sanctos nasci docet, ad accipiendam Christi gratiam minimè necessaria esse, multis persuaserit, id consequutum est, vt non pauci eadem Sacramenta contempserint, atque indies magis contemnunt, atque interim multorum animæ paruulorum, quæ sanctæ à Caluino esse finguntur, non expiatæ salutaribus aquis, in æternis sordibus perseuerent.

Sed illud grauissimum, quòd ista Caluini sententia Sacramentum, vt dixi, falsum, ministrum sacrilegum, Deum mendacem facit. Etenim si Sacramentum diuinum est iusiurandum, atque sigillu, quo electionis æternæ promissio obsignatur: quoties contingit (contingit autem frequentissimè) vt reprobi baptizentur, toties item contingit, vt Sacramentalia verba sint falsa, & ore ministri mentiatur Deus. Fingite animis adesse iam hoc loco Philippum Diaconum, qui Magum Simonem baptizet: certè cùm Philippus aquam aspergit, ac dicit, Ego te baptizo: eodem ipso momento, si Caluino credimus, & Deus dicit, Ego Deus æternus testor,

P R Æ F A T I O.

ac iuro, & sigillo meo diuino confirmo, te Simonem à me iam inde ab æternitate electum, & ad regnum cælorum irreuocabiliter prædestinatum. Et qui falsum hoc testimonium, falsum iusurandum, fallax sigillum fuisse, nemo est qui nesciat, cum Simon ille impius, Hæresiarches, & Magus tandem perierit. Neque verò satis sibi cauet Calvinus, cum ait, Deum quod ad se attinet, verum sigillum, ac testimonium offerre. nam non offert solum, sed etiam reipsa præbet; cum reipsa homines baptizantur, neque enim Sacramentum oblatio, sed testificatio est diuinæ beneuolentiæ; ut idem ipse docet Calvinus in Catechismo breuiore. Itaque cum offert testimonium, cum offert Sacramentum: cum autem Sacramentum præbet, ac dicit, Ego te baptizo; non offert, sed præbet testimonium, & quidem falsum, & fallax, cum reprobi baptizantur.

Tres adhuc supersunt excutiendæ opiniones; sed eas, quia magna pars horæ præterisse videtur, breuiter leuiterq; attingam. Igitur ANDREAS CAROLOSTADIVS, ut ipse quoque dux noui agminis haberi posset, nouum dogma excogitauit. nimirum asseruit, nihil esse aliud Sacramenta Christiana, quàm symbola quædam, ac tesseras, quibus internoscuntur Christiani à Iudæis, Mahometanis, Paganis: quales erant olim apud Roma-

P R Æ F A T I O .

nos toga, pallia, apud Philosophos, & nunc apud Christianos vestimenta varia Monachorum Neque multum ab hac sententia discrepat, quod ANA-BAPTISTA Æ de Sacramentis disputant. siquidem Sacramenta esse volunt allegorias, ut ipsi loquuntur, operum bonorum: non enim alia de causa homines baptizari, & corpus Domini sumere, nisi ut admoneantur ea cæremonia, sibi crucem & mortem pro Christo, si res tulerit, forti animo esse tolerandam.

Sed non est quod multum laboremus in his sententiis refellendis, cum eas Lutherus, Philippus, Zyvinglius, Calvinus, Kemnitius, atque alii ex Adversarius ita confutarint & exploserint, ut penè etiam extinxerint, ac sepelierint. Et sanè si non est alia Sacramentorum vtilitas, nisi ut Ecclesiam ab aliis hominum cætibus diuidant, vel operum bonorum fideles admoneant, adeò parùm valent, vel penè superuacanea dici possint. Habemus enim alia symbola multò quàm Sacramenta sint, illa striora, & efficaciora. Quid? an non confessio fidei melior tessera est, quàm Baptismus, cum confessio veræ fidei Catholicorum propria sit, Baptismum autem communem cum hæreticis habeamus? annon etiam longè efficacius mouent ad opera bona exhortationes, & exempla, quàm cæremonia illæ Sacramentales? Et quid opus erit, ut Sacramenta

ex

P R Æ F A T I O .

ex Christi latere perfosso manarent, si nihil maius effectura erant, quàm allegoriæ quædam, vel quàm Romanorum togæ, vel pallia Philosophorum?

Vnus restat SVVENCHFELDIUS, qui ve vno verbo contentiones omnes dirimeret, & noua dogmata cudendo Hæresiarcha iure salutari posset, omnia simul Christiana Sacramenta repudiavit: quippe homo supra modum spiritualis, atque Angelicus, solo spiritu viuendum putat. Nec mirum si Sacramenta ei corporalia sordeant, qui Scripturarum etiam diuinarum literas, & verba contemnit. Illud magis admiror, cur non tacita mentis cogitatione contentus, verbis & literis corporalibus dogmata sua explicanda putauerit: non enim decet virum tam spiritalem, pulmone ac palato, linguæ, ac dentibus, sapientiæ suæ arcana committere. Huc videlicet Aud. Sathan spectabat, huc tendebat longo illo ambitu hæresum variarum, vt fontes illos salutes, thesauros illos charismatum diuinorum, pharmaca illa cœlestia Christi sanguine comparata omninò Christianis eriperet. Sed si non planè isti spirituales homines hominem excuisissent, intelligerent profectò, nihil magis appositum à diuina prouidentia institui potuisse, quàm vt homines, qui spiritu & corpore constant per corporalia signa ad dona spiritualia peruenirent: Si tu, inquit sanctus Ioannes CHRYSOSTOMVS, homilia

P R Æ F A T I O .

Octuagesima tertia in Matthæum, incorporeus esses, nuda tibi Deus, & incorporea dona tradidisset: sed quoniam corpori adiunctum spiritum habes, in rebus corporalibus spiritualia tibi traduntur. Quid? quod ipsa etiã Sacramenta non omninò corporalia, sed magna ex parte spiritualia sunt? corporale est elementum, corporale etiam verbum, sed mirifica illa virtus & potestas, qua fit, vt aqua corpus tangat, & cor abluat, vt sanctus loquitur AVGVSTINVS, planè spiritualis est. Itaq; Dominus Nicodemo, non ex aqua solùm, sed ex aqua & spiritu renascendum esse pronunciauit, nimirum, vt Gregorius NAZIANZENSIS in oratione de Baptismate annotauit, ideò ex aqua & spiritu, quia medicamentum partim corporale, partim spiritale, aptissimè conuenit in eos ægrotos, quorum natura corpore, & spiritu continetur.

Diximus Aud. de nomine, diximus etiam de natura, & efficacitate Sacramenti. Quòd si iam de numero Sacramentorum, hæreticorum sententias enumerare vellem; hinc etiam facile demonstrarem, quanta eorum vanitas, & stultitia sit, cum vnus Lutherus modò vnum, modò duo, modò tria, modò etiam septem Sacramenta numerauerit. Si verò etiam ritus, ac cæremonias eorum explicare aggrederer, tum verò maxime, quamuis in re seria, rideretis. Tot enim fermè apud eos, exstant
formæ

P R Æ F A T I O.

formæ Sacramentorum administrandorum, ut numerari vix queant. & quod summis Pontificibus tribui posse negant, ut ritum aliquem in Ecclesia statuunt, id sibi apud eos quivis homuncio passim assumit. Quod si postremò quid de Sacramentis singulis hæretici sentiant, explicandum susciperem, nullum unquam exitum reperirem. Quamobrem unum tantum è tam multis seligemus, eoq; breviter pertractato, prætermisissis cæteris, finem differendi faciemus.

Laborant totis viribus cum Lutherani, tum Calvinista, ut veram Christi carnem in Sacramento nobis communicari doceant; & tamen Ecclesiæ Catholicæ sententiam de conuersione panis in carnem peruicacibus animis reiciunt. Itaque CALVINVS adeò implicatam, obscuram, mirabilem, incredibilem rationem excogitauit, qua Christi vero caro, per nescio quas fistulas, & canales ad nos de cælo deriuari, & quasi distillari possit; ut ego sanè etiam si Iudæus, vel Paganus essem, multò facilius capere, & credere me posse considerem conuersionem panis in carnem, quam docet Ecclesia, quàm Calvinisticum illud, sine auctoritate, & sine ratione fabricatum figmentum.

LUTHERANI autem aliud monstrum longè etiam tetrius Ecclesiæ pepererunt. Nam ut facile eis esset veram Christi carnem in Sacramento habere
presen-

P R Æ F A T I O .

presentem, eandem carnem ab ipsa sua Conceptione
 ubique fuisse, ac semper, omniaq; omninò loca, eo mo-
 do quo Deus facit, replere docuerunt. Quod porten-
 tum (neque enim dogma, vel sententia, vel opinio,
 vel simplex etiam hæresis nominari debet) Scriptu-
 ris repugnat, aduersatur Patribus, euertit Sym-
 bolum, Christi naturas cum Eutychete confundit;
 & ipsum denique, quod mirandum videtur, Sacra-
 mentum destruit, pro quo astruendo fabricatum est.
 Nam si Christi corpus ab ipsa sua Conceptione sem-
 per ubique fuit, mentitur certè qui illud alicubi
 aliquando non fuisse affirmat: ergo mentitur An-
 gelus, cum apud Marcum ait: Surrexit non est
 hîc. quomodo enim hîc non est, qui ubique est?
 Dominus ipse mentitur, cum ait: Lazarus mor-
 tuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis,
 quia non eram ibi. quomodo enim Domine ibi
 non eras, qui ubique eras? Porro sanctus AV-
 GUSTINVS, vt de ceteris taceam, in epistola ad
 Dardanum ex proposito hoc tractans, copiosè docet,
 esse Christum, vt ipse loquitur, per id quod Deus est,
 ubique; per id quod homo est, non ubique.

Iam verò Symbolum fidei monstrosa ista Vbi-
 quitas, (hoc enim barbaro vocabulo barbarus er-
 ror nominari meruit) ita corrumpit, atque depra-
 uat, vt Christi, Conceptionem, Ortum, Passionem,
 Obitum, Sepulturam, Descensionem ad inferos,
 Reuer-

P R Æ F A T I O.

Reuerſionem ab inferis, Aſcenſionem in cœlum,
 Reuerſionem à cœlo, non vera, & propria, ſed me-
 taphorica, ac penè phantaſtica cum Marcione,
 & Manichæo nobis efficiat. Id enim habet de
 Chriſti Conceptione Symbolum rectæ fidei, in ſo-
 lius Beatiffimæ Virginis utero Chriſti corpus no-
 uem illis menſibus fuiſſe. Atqui idem illud corpus
 in uteris omnium fœminarum, immò etiam, &
 virorum fuit, ſi ubique ſemper fuit. De Ortu ve-
 rò id Symbolum docet, Chriſti corpus nono exacto
 menſe verè, & propriè ex utero produiſſe; & eo
 modo verè, & propriè natum eſſe. At ſi vera ſomni-
 ant Ubiquiſtæ, ante nonum menſem, erat extra
 uterum, & poſt nonum menſem adhuc erat in
 utero; neque inde vnquam verè produit, aut prodi-
 re poteſt, cùm id quod verè ubique eſt, nulla ra-
 tione verè moueri queat. Quemadmodum igitur
 Deus cùm apparet alicubi, non eò veniſſe propriè,
 ſed metaphoricè dicitur, quia ubique cùm ſit, non
 venit vbi non erat, ſed apparet vbi non videba-
 tur: ſic etiam Chriſti ortus non verus, ac proprius,
 ſed apparens, ac metaphoricus dicendus erit, cùm
 non venerit illa caro vbi non erat, nec locum de-
 ſeruerit, vbi non erat, ſed cerni tantùm cœperit, vbi
 antea minimè cernebatnr. Quod idem de Paſſio-
 ne, de Morte, de Sepultura, de cæteris fidei capi-
 tibus intelligi debet. Qui enim ſemper ubique
 fuit,

PRÆFATIO.

fuit, non verè, & propriè, sed metaphoricè solùm transit de Cœnaculo ad hortum, de horto ad Concilium Iudæorum, de concilio ad Prætorium, de Prætorio ad Caluariam, de Caluaria ad Crucem, de Cruce ad Sepulchrum, de sepulchro ad Montem, de monte ad Cœlum. Nec potuit verè in morte corpus ab anima separari: & cum vtrumq; vbiq; fuerit, id efficitur, quod est absurdissimum, ut fuerit Christo mortuo, corpus cum anima in inferno, & anima cum corpore in sepulchro.

Quid iam de ipsa humana Christi natura, deq; illo summo, atq; Angelis adorando incarnationis mysterio dicam? Nam si humana Christi natura non modo vbiq; est, sed (ut aduersarii docent) illam ipsam habet diuinam immensitatem, quam Deus habet, ut infinita spatia replere queat, erit ipsa verè, & absolute immensa, & infinita: & cum mole corporea non sit infinita, quippe que tota vbiq; est, erit sine dubio infinita virtute; virtus autem infinita naturam sequitur infinitam: igitur Christi caro natura est infinita. quare vel due iam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod solùm restat, humana in diuinam transeunte natura, & naturarum confusio, & totius mysterii labefactatio consequetur. En nobis quàm facile hæresis hæresim parit, & eò tandem errando venitur, ut ipsa prima fidei fundamenta radicitus euertantur.

Quid

PRÆFATIO.

Quid, quod portentosa ista Ubiquitas, Sacramentum ipsum, vt dicebam, tollit, pro quo asserendo fabricata est? Nam si in ipsa priuata domo in pane, in vino, in pomis, in piscibus, in oleribus, in omne ciborum genere, in ipso aëre quem attrahimus, Christi carnem verè sumimus; quid necesse est in Ecclesiam conuenire? quid panem frangere, & vinum miscere? quid verba illa sacra pronunciare? quid habet sacra Cæna præ vulgari prandio? quid panis Eucharistiae præ pane pistoris? quid altare præ mensa?

Atque vt magis adhuc Lutheranorum sapientiam admiremini, nouum hoc monstrum intra paucos annos, in vna eademq; Prouincia, iisdem auctoribus Lutheranis prodit, perit, reuixit; siquidem ab ipso Luthero, vt ex multis eius testimoniis Brentius probat, excogitatum, eodem regnante, Luthero feliciter in Saxonia floruit: Luthero deinde mortuo, ac rerum potiente Melanchthone paulatim languescere, ac deficere cæpit; donec tandem in ipsa Saxonia in Dresdensi Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum est, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum est: sed his proximis annis Melanchthonico euerso imperio, atque imperante in Saxonia Smidelino, rursus ab inferis reuocata, & in suam sedem restituta magno cum honore Ubiquitas est.

Ista

P R Æ F A T I O .

Ista videlicet est constantia fidei Lutheranae, ut nunc sacrosancta fidei dogmata esse debeant, quae ante annos tredecim pestilentissimae haereses erant.

Sed finis sit, nolo enim in eiusmodi nugis percensendis orationem ponere longiorem, quae tamen si ut verè sunt, sic ab omnibus hominibus haberentur pro nugis; labore nos atque negotio magno leuarent. Sed quonia tanta est Sathanae versutia, tanta haereticorum fallacia, tanta populorum ad res novas propensio, ut permultis iam, non inquam hominibus, sed populis, Prouinciis, Regnis, cum summa Ecclesiae Catholicae iactura, & honoris Dei, Christi, meritorum obscuracione persuasæ sint; idcirco nobis totis viribus enitendum est, ut in hac ipsa studia, ita diligenter incumbamus, ut aliquando haereticorum fraudes detegere, Christi gloriam amplificare, Ecclesiam propagare, damnare, sarcire, Satanam confundere Christo duce, & adiutore valeamus.



A P P R O -



APPROBATIO.

Opus hoc R. P. ROBERTI BELLARMINI,
Societatis IESV, quoniam omnes Christianæ fidei
Controversias aduersus huius temporis haretis-
cos, ita copiosè, orthodoxè, eruditè ac solidè expli-
cat, vt non immeritò integerrimum, pulcherri-
mum, absolutissimumq; Controversiarum om-
nium Corpus appellari queat, dignum profectò
cum primis est, quod ad plurimorum vtilitatem
multò maximam typis procudatur.

*Ita sentio ego ALBERTVS HVNGERVS,
S. Theologiæ D. Professor, & Procancellarius
in alma Academia Ingolstadiensi.*



Cùm D. ROBERTI BELLARMINI Po-
litiani, Societatis IESV, exactissimæ Controversia-
rum, quæ Catholicis cum hæreticis & nouatori-
bus intercedunt, discussio, singularem Christianæ
veritati lucem afferat, ad maiorem Reipub. Chri-
stianæ vtilitatem, maximam verò Sectariorum
confusionem publicari potest & debet.

*Ita censi PETRVS STÉVARTIVS
Leodius, S. S. Theologiæ D. & Professor, ac
eiusdem facultatis Ingolstadij pro tempore
DECANVS.*

Y INDEX



INDEX GE NERALIS TOMI SECVNDI.

De Sacramentis in genere,	LIB. II.
De Baptismo,	Lib. I.
De Confirmatione,	Lib. I.
De Eucharistia,	Lib. III.
De Sacrificio Missæ,	Lib. II.
De Pœnitentia,	Lib. III.
De Extrema vnctione,	Lib. I.
De ordine,	Lib. I.
De Matrimonio,	Lib. I.



SECVN.

SECUNDI TOMI
P R I M A
C O N T R O V E R
S I A G E N E R A L I S,
D E S A C R A M E N T I S
I N G E N E R E,

D V O B V S L I B R I S
E X P L I C A T A.



DECKENSTADT
P. R. I. M. A.
CONTRÖVER
SIA GENERALIS
DE SACRAMENTIS
IN GENERE
DVOBUS LIBRIS
EXPLICATA





INDEX

LIBRORVM ET

CAPITVM PRIMÆ

CONTROVERSIÆ,

PRÆFATIO,

De hæreticorum leuitate in re
Sacramentaria.

LIBER PRIMVS.

Qui est de natura & caussis Sacramentorū.

CAP. I. De erroribus.

II. De mēdacijs & calumnijs Aduersariorū.

III. Mendacia Philippi.

IV. Mendacia Caluini.

V. Mendacia Kemnitij.

VI. Mendacia Tilemanni Heshusij.

VII. Sitne vtendum nomine Sacramenti.

VIII. De etymologia & notione Mysterij &
Sacramenti.

IX. Quid requiratur ad Sacramentum nouæ
legis constituendum.

X. Possitne Sacramentum propriè definiri.

γ 3 XI. Qua

INDEX LIBRORVM

- XI. *Quae sit definitio Sacramenti.*
 XII. *An definitio Sacramenti vniuoce conueniat Sacramētis legis veteris & nouae.*
 XIII. *Soluuntur argumenta Kemnitij.*
 XIV. *Refellitur definitio Lutheranorum.*
 XV. *Refelluntur definitiones Anabaptistarum & Zyvinglianorum.*
 XVI. *Refellitur definitio Caluini.*
 XVII. *Refelluntur argumenta Aduersariorum.*
 XVIII. *Sacramenta componi ex rebus & verbis, ut materia, & forma.*
 XIX. *Verbum quod cum elemento Sacramentum facit, non esse concionale, sed consecratorium.*
 XX. *Soluuntur obiectiones.*
 XXI. *Res & verba Sacramentorum ita determinantur, ut nihil addere, minuire, aut mutare liceat.*
 XXII. *De fine, & necessitate Sacramentorum.*
 XXIII. *Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.*
 XXIV. *Ministrum Sacramentorum ordinatum non esse quemlibet hominem, etiam baptizatum.*
 XXV. *Soluuntur argumenta Lutheri.*
 XXVI. *Non requiri fidē, aut probitatem ministrum, ut Sacramenta efficacia esse possint.*
 XXVII.

XXVII. *Requiri intentionem faciendi quod Ec-
clesia facit.*

XXVIII. *Soluuntur argumenta.*

LIBER SECVNDVS.

**De effectu, numero, & cæremoni-
nis Sacramentorum.**

Partitio huius libri.

CAP. I. *Quis sit status quæstionis de efficacia Sa-
cramentorum.*

II. *Sententia hæreticorum de efficacia Sa-
cramentorum.*

III. *Quòd Sacramenta ex opere operato con-
ferant gratiam, prima classis testimo-
niorum ex nouo Testamento.*

IV. *Secunda classis testimoniorum: vaticinia
Prophetarum.*

V. *Tertia classis argumentorũ ex Conciliis.*

VI. *Quarta classis, ex Patribus Græcis.*

VII. *Idem probatur ex Latinis.*

VIII. *Sexta classis ex ratione. (prompta.*

IX. *Soluuntur obiectiones ex Scripturis de-*

X. *Soluuntur obiectiones ex Patribus.*

XI. *Soluuntur obiectiones ex ratione de-
prompta.*

XII. *Explicatur controuersia de differentia
Sacramentorum, legis nouæ & veteris.*

XIII. *Ex-*

INDEX LIB. ET CAP.

- XIII. *Explicantur sententia Catholicorum.*
 XIV. *Probatur nullum Sacramentum legi
 naturæ, aut Scriptæ, iustificasse et
 opere operato.*
 XV. *Idem probatur ex Patribus.*
 XVI. *Idem probatur rationibus in Scripturis.*
 XVII. *Soluuntur obiectiones. (fundatis)*
 XVIII. *De caractere.*
 XIX. *De Caractere, sententia Catholicorum.*
 XX. *Probatur Character ex Scripturis.*
 XXI. *Idem probatur ex Patribus.*
 XXII. *Idem ostenditur ratione.*
 XXIII. *Quid hæretici sentiant de numero Sa-
 cramentorum.*
 XXIV. *Ex Scripturis & Patribus probatur ve-
 ritas Catholica, de numero septenariæ
 Sacramentorum.*
 XXV. *Septem esse Sacramenta, probatur ex
 superioribus Conciliis, & Doctoribus.*
 XXVI. *Idem probatur ex congruentiis.*
 XXVII. *Soluuntur obiectiones.*
 XXVIII. *De ordine & comparatione Sacramen-
 torum nouæ legis inter se.*
 XXIX. *De nomine, definitione, & partitione ce-
 XXX. De statu causæ. (remoniarum)*
 XXXI. *Explicatur, & defenditur veritas.*
 XXXII. *Soluuntur obiectiones cōtra ceremonias.*



DE SACRAMEN- TIS IN GENERE.

LIBER PRIMVS.

Qui est de natura & causis
Sacramenti.



DE SACRAMENTIS
bipartita Disputatio est. PRIMVM
enim generatim de omnib⁹. DEIN-
DE seorsim de singulis explicadum
erit. Ac generalis quide Disputatio
duo habebit quasi prolegomena. V-

NVM de erroribus circa Sacramenta. ALTERVM de
mendacijs & calumniis recentium Hæreticorum. Deinde
sex continebit principales controuersias. VNAM de nomi-
ne, & significatione Sacramenti. ALTERAM de natu-
ra, & definitione. TERTIAM de causis tum intrinsecis,
tum extrinsecis. QVARTAM de effectis, id est, gratia, &
charactere. QVINTAM de numero. SEXTAM de ca-
remoniis.

Scripserunt de hoc argumẽto plurimi, sed præcipui in-
ter hæreticos mihi videntur Lutherus in lib. de captiuitate
A Baby-

Babylonica. & in assertione articulorum. Philippus in locis, & in Apologia Confessionis Augustanae, Ioannes Calvinus, lib. 4. Institut. cap. 14. & seq, Martinus Kemnitius tomo 2. Examinis Concilij Tridentini.

Ex nostris præter Scholasticos in IV. Sententiarum Thomae VValdensis tomo 2. toto; Gulielmus Parisiensis in lib. de Sacramentis; Ioannes Eckius, in homiliis de Sacramentis; Ioannes Rossensis in refutatione articulorum Lutheri; Hofius Cardinalis in Confessione Polonica; Ruardus Tapper in explicatione articulorum Louaniensium; Iodocus Tiletanus in refutatione Examinis Kemnitij; Gulielmus Alanus in lib. de Sacramentis in genere; Gulielmus Lindanus in Panoplia lib. 4. Petrus Soto, de Instit. Sacerdotum.

CAPVT PRIMVM.

De erroribus.



ANTIQVI errores de Sacramentis ad quatuor capita reuocari possunt. PRIMVM enim quidam omnia Sacramenta de medio tollere conati sunt: ij fuerunt quos Epiphanius hæresi 40. Archonticos, Theodoretus li. 1. de hæreticorum fabulis cum Archonticos, tum etiam Ascodritos seu Ascodrupiras appellat. Isti enim auctore quodam Petro Anachoreta Syro, Baptismum & Eucharistiam execrabatur, Epiphanio teste, nec nõ (vt addit Theodoretus) omnia alia signa sensibilia, & corporalia, ac solùm in cognitione eius quod est veram redemptionem constituebant.

Huc etiam pertinet error Fratricellorum, seu Beguinarum, qui Sacramenta Ecclesiastica despiciebant, vt testatur Ioannes Papa XXII. in Extrauaganti, sancta Romana, de religiosis domibus.

Huc denique pertinent Pauliciani, qui teste Euthymio in 2. parte Panopliæ, tit. 21. tollebant de medio omnem Sacramentorum materiam; aquam, vinum, panem, oleum, & solùm verbis quibusdam loco Sacramentorum utebantur: vt
exempli

exempli gratia, Baptismum esse dicebant illa verba: *Ego sum aqua viva.*

SECUNDA hæresis est eorum, qui Sacramenta omnia non quidem execrabantur, nec tollebant, sed virtute & efficientia spoliabant. Hi Messaliani, qui & Euchitæ ab oratione dicti sunt. Scribunt de hac hæresi Epiphanius hæresi 80. Augustin. hæresi 57. & Theodoretus lib. 4. de hæreticis fabulis, sed fusiùs & ex libris ipsorù decerptis erroribus, Ioannes Damascenus in lib. de hæresibus, vbi testatur, dogma Messalianorum esse, peccata non purgari diuinis Sacramentis, sed solis precibus, quæ ab ipsis rectè funduntur. Itaq; sine Baptismo, sine Eucharistia, sine Sacerdotum absolutione profitebantur, se statim suis precibus homines posse iustificare: tametsi etiam Sacramenta illa admitterent.

Eandem ferè hæresim tribuit Guido in sua Summa Armenis, & quibusdam recentioribus Catharis, siquidem eos negare dicit, Sacramenta nouæ legis gratiam conferre.

TERTIA hæresis eorù fuit, qui aliqua Sacramenta de medio tollebant. Multi enim Baptismum reiecerunt, vt ij, quorum hæresim Gaianam appellat Tertullianus initio libri de Baptismo: item Manichæi, teste Augustino hæresi 46. & Soluciani apud eundem Augustinum hæresi 59. & alij, de quibus postea.

Rursus quidam reiecerant Sacramentum Cõfirmationis, vt Nouatiani, Theodoretò teste, l. 3. de fabulis hæreticorum.

Alij Sacramentum Eucharistiæ nullum esse dixerunt, Scribit enim Petrus Cluniacensis in libro cõtra Petrobrusianos, vnum ex erroribus Petrobrusianorum fuisse, corpus Christi ex pane semel tantùm factum esse, ea videlicet nocte, qua Dominus traditus est: deinceps autem nec factum esse, nec fieri posse. Scribit etiã Eurhymius in Panoplia par. 2. tit. 23. vnum ex erroribus Bogomilum fuisse, Eucharistiam nihil esse aliud, quàm Pater noster.

Alij Sacramentum Pœnitentiæ sustulerunt, vt Nouatiani, teste Epiphaniò hæresi 59. & Augustino hæresi 38. Alij Sacramentum Ordinis nihil omninò esse dixerunt, vt quidam Taudomi sectatores, vt refert is, qui Sigeberti Chronicù suppleuit, ad annum Christi 1124.

Alij extremam vnctionem detestati sunt, vt Albigenses, teste S.

ste S. Antonino 4. par. II. cap. 7. §. 5. Summæ Theologicæ, & postea Flagellâtes, teste Bernardo Lutzemburgensi in Catalogo hæreticorum.

Alij denique Marrimonium sustulerunt, vt Encratitæ teste Augustino hæresi 33. Manichæi, eodem Angustino teste hæresi. 46. & alij permulti.

QVART A hæresis eorum fuit, qui certa Sacramenta non quidem tollebant, tamen non rectè intelligebant, vel administrabant. In ijs erant Marcosij à Marco quodam, vetustissimi hæretici, qui Baptismum conferendum esse dicebant, nō in nomine Trinitatis, sed in nomine ignoti Patris, in veritate matre omnium; in IESU, qui descendit; in vnitate, & redemptione, & potestatum communionē, ita refert Theodoretus lib. 1. de fabulis hæreticorum. Item Marcionitæ, qui secundo & tertio homines baptizabant; vt Epiphanius refert hæresi 42.

Sic etiam permulti circa Eucharistiam errarunt, volentes quidem Sacramentum esse, sed non continere verum Domini corpus, vt quidam olim ipso ferè tempore Apostolorum, vt referunt Ignatius in epist. ad Smyrneses, & Theodoretus in 3 Dialogo, circa medium: ac deinde Berengarius, teste Lantfranco in lib. aduersus Berengarium: postea Ioannes VViclefus, teste Concilio Constantiensi sess. 8.

Quidam circa Pœnitentiam errabant, etsiam si eam non tollerent, vt Audiani, qui confessiones audiebant, & à peccatis absoluebant, sed pœnitentiam nō iniungebant, vt Theodoretus refert lib 4 de fabulis hæreticorum.

Quidam errabant circa Ordines, quos etiam fœminis cōferebant, vt Deputitæ, teste Epiphanio hæresi. 49.

Hæc generatim de erroribus veterū dicta sint similia nostro hoc seculo vidimus. Nam imprimis non desuerunt, qui omnia Sacramenta sensibilia, & corporalia contempnerent, qui certè noui Archontici nominari possent: id enim de Suenckfeldianis testantur Fridericus Staphilus in lib. de concordia discipulorum Lutheri, & David Chytræus præfatione Commentariorum in Apocalypsim.

Lutherani ceteri, & Calvinistę omnes, etsi Sacramenta non tollunt omnia, omnia tamen virtute, & efficacia spoliant, vt olim faciebant Messaliani: vt enim illi orationi, ita isti fidei

dei omnia tribuunt, Sacramentis autem planè nihil, nisi ut sint nuda signa, eaque non omninò necessaria. Sic enim scribit LUTHERVS in assertio. I. articuli: *Hæretica, sed revisitata sententia est, Sacramenta nouæ legis dare gratiam ijs, qui non ponunt obicere. Scriptura enim dicit: Iustus ex se sua uiuet, non dicit, ex Sacramentis uiuet.* Hæc ille. Neque ab hac sententia ullus, quod sciam, ex hæreticis huius temporis dissentit.

Rursus non defuerunt hoc tempore, qui tollant è medio aliqua Sacramenta, licet non omnia. Nam SVENCKFELDIANIS exceptis, ceteri omnes duo Sacramenta recipiunt, Baptisimum, & Eucharistiam; duo rejiciunt, Confirmationem, & Extremam vnctionem: Matrimonium recipiunt quidem, sed non pro Sacramento: de Pœnitentia, & Ordinatione inter se contendunt, ut postea explicabimus.

Denique non defuerunt etiam qui certa Sacramenta reciperent, sed erroribus admixtis. Nam Anabaptistæ Sacramentum Baptismi recipiunt, sed pro adultis, non pro infantibus. Zvingliani recipiunt Sacramentum Eucharistiæ, sed corpus DOMINICUM esse negant. Lutherus Sacramentum Absolutionis non negat, sed nec integram confessionem, nec ullam satisfactionem requirit, aut admittit, nec verum ministrum Sacramenti huius agnoscit, ut patet ex assertione articulorum, quinti, sexti, septimi, octaui, noni, decimi. Denique ordinationem ministrorum omnes admittunt, sed nec agnoscunt verum ministrum, nec verum ritum huius Sacramenti.

Ita videmus omnes quatuor hæreticorum classes, quæ varijs temporibus per M. D. annos Ecclesiam Catholicam vexauerunt, omnes simul hoc nostro seculo contra eandem Ecclesiam conspirasse. Sed quo duce de veteribus illis Catholica triumphauit, de nouis etiam sine dubio triumphabit: quandoquidem idem ille dux, nec vires amittere potest, & Ecclesiæ suæ semper se adfuturum certa reificatione promisit.

*
**

A 3

CA-

CAPVT SECVNDVM

De mendacijs, & calumnijs aduersariorum.

NCESSARIO prorsus annotanda sunt mendacia præcipuorum hostium Ecclesiæ, quod hoc multum valeat ad auctoritatem detrahendam, ipso teste Luthero, qui ita scripsit quondam in libro contra Empserum: *Si semel deprehenderer, ita mentitus, falsus, & crasse stolidus; iam tota mea doctrina, & honor, & fides, & fidelitas, sinem penitus haberent: vnusquisq; me pro nequam, & infami nebulone, vt æquum est habiturus esset: tum etiam, quod hoc ipsum vitium Catholicis tribuere impudentissimo mendacio Lutherus non erubuerit. Sic enim scribit in libro aduersus Cochläu: Sed ego planè hoc tribuo diuini Consilij, vt Pape & Papista ferè nullos habeant patronos, nisi, qui vel insigni inscitia, vel mēdacijs impudentibus semper suā auctoritatem traducant, ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur. Et infra Plorandam certè sortè Pape quod sui nisi mendacijs protekti in arenam descendunt. Hæc ille. Quæ verba in ipsum Lutherum aptissimè cōueniunt. vt enim Ioan̄es Cochläus testatur in actis Lutheri anni XXIII. nullus ferè Catholicorum in Lutherū scripsit, quin eum multorum mendaciorū coarguerit, è quibus vnus Dietenbergius è duobus Lutheri libellis supra octogēta collegit mendacia. Deniq; nulla re magis nocent illi Ecclesiæ, quàm cum suis mendacijs persuadent populis, nos aliter sentire, & docere, quàm reuera sentiamus, & doceamus. Proinde res vtilissima est, eorum mendacia detegere. Nos igitur solum de Sacramentis mendacia quædam crassiora breuiter annotabimus.*

Igitur LUTHERVS in lib. de captiuitate Babylonica cap. 12 quod est de Eucharistia. PRIMÒ mentitur, cum ait: *Nō miror Consilium Constantiense, cuius auctoritas si valet cur nō valet & Basileensis, quod contra statuit, Bohem̄ licere vtramque speciē sumere? quod iste adulator ignorans adducit pro suo somnio. Hæc ibi. Et sanè quod Constantiense, & Basileense Concilium inter se pugnent, quantum ad Communionem sub vna specie, mendacium impudentissimum est. Idem enim qm̄nindò statuunt Concilium Constantiense, sess. 13. & Basile-*

Basileense, sess. 30. nimirum laicos non teneri diuino iure ad utramq; speciem sumendam, proinde seruandam esse Ecclesie legem, vel consuetudinem: quibus decretis nõ repugnat, quod Basileense Concilium concesserit Bohemis vtriusque speciei vsum, modò fateretur id sibi concedi ab Ecclesia, non autem ad hoc teneri diuino iure.

SECUNDO mentitur ibidem, cum ter, aut quater repetit, S. Thomam auctorem esse illius sententiæ, quã omnes Catholici tenent, quòd in Sacramento altaris, non sit substantia panis, & vini sed accidentia solùm: quod est crassissimum mendacium. Nam Innocentius III. in Lateranensi Concilio, cap. 1. (vt omitram testimonia antiquiora) hoc ipsum definiuit anno M. CC. XV. quo tempore S. Thomas nondum erat natus.

TERTIO mēitur ibidem, cap. 2. quod est de Baptismo, cum ait loquens de Scholasticis: *asserunt impij homines, nõ debere esse hominem certum de remissione peccatorum, seu gratia Sacramentorum: qua impietate orbem totum demerant* Hoc mendacium est ipso Luthero teste. Nam paulò infra idem ipse verissimè sic dicit: *Omnes tamen admittunt Sacramenta esse signa efficacia gratiæ.* Non igitur iubemus homines dubitare de gratia Sacramenti, cum dicamus esse signa efficacia gratiæ: iubemus quidem dubitare de propria dispositione, & proinde de consequitione gratiæ; sed hoc non est dubitare de gratia Sacramentorum. Non enim efficacia Sacramenti pendet ex mea dispositione, sed ex diuina institutione: quomodo qui oculos claudit, non potest videre solem, & tamen non propterea dubitat de efficacia solis ad illuminandum. Neq; hoc Lutherani negare possunt; nam Lutherus in libro contra rebaptizantes, quem edidit anno M. D. XXVIII. sic ait: *Baptismus nõ est fundandus supra fidem baptizantũ, vel baptizati, quia vterq; incertus est de fide, aut saltem in periculo, & tentatione consistit.* Et in sermone de Baptismo, habito anno XXXV. *Vt Baptismus, inquit, certus sit nobis, idè non fundat eum Deus supra fidem nostrã, cum illa possit incerta, & falsa esse, sed supra verbum, & institutionem suam.* Hæc ille. Non ergo dissentimus à Lutheranis (vt Lutherus mentitur) quòd nos debitemus de gratia Sacramenti, illi non dubitem; sed quòd nos dubitemus de consecutione gra-

tia, ob nostram indispositionem, illi autem non dubitēt, mira temeritate, cū fateantur sine fide Sacramenta non prodesse, & simul admittant facillē hominem decipi, cū putet se credere, & tamen reuera non credat.

QVARTO mentitur ibidem, cū sic ait: *Esto contemptor Magistri Sententiarum cum omnibus suis Scribentibus, qui tantū de materia, & forma Sacramentorū scribunt, dum optime scribunt, id est, mortuam, & occidentem literam Sacramentorum tractant: ceterū spiritum, vitam, & usū, id est, promissionis diuinæ veritatem, & nostram fidem prorsus intacta relinquunt.* Mendacium est apertissimum, nam de fide suscipientis Sacramenta, & recto vsu multa disputat Magister sententiarum libro 4. dist. 4. & 9. & Scholastici ibidem. Verius de Magistro scripsit Franciscus Stancaricus in libro de Trinitate, & Mediatore: Ego, inquit, iudico unum Petrum Lombardum pluris esse, quā centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos, Bullingeros, quadrigētos Petros Martyres, & quingentos Caluinos: qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur vna uncia veræ Theologiæ præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis.

QVINTO mentitur, cū ibidem sic loquitur: *Et hinc impulsus sunt tantū tribuere Sacramentis nouæ legis, ut ea statuerunt, pdesse etiam iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem, aut gratiam, sed sufficere, non posuisse obicem, hoc est, actuale propositum denuō peccandi.* Et infra: *Prodesse dicunt ea etiā impiis & incredulis, modō non ponant obicem, quasi ipsa incredulitas non sit omnī obstinatissimus, & hostilissimus obex gratiæ.* Hæc ille. Quam sententiā sæpe repetunt tum ipse, tum etiam filij, & sectatores eius; nec solū veri Lutherani, sed etiā Caluinus iisdem verbis vitur in Antidoto sess. 7. can. 5. & 6. Vbi tria nobis tribuunt. VNVM quōd dicamus Sacramenta prodesse ijs, qui sunt in peccato mortali: quod quidem verissimum est, modō peccatores pœnitentiā agere velint; nam Baptismus & Absolutio ad hoc sunt instituta, ut peccata remittant. Et certē mirum est, hoc nobis tanquam errorem tribui à Lutheranis, cū ipsi velint omnia Sacramenta habere promissionem reconciliationis, ac remissionis peccatorū: de qua re infra dicemus. Si verō loquatur

tur

tur de peccatoribus impœnitentibus, est merum mendacium, quod Catholici dicant, Sacramenta prodesse peccatoribus: omnes enim Catholici requirunt pœnitentiam, tanquam dispositionem ad gratiam recipiendam.

DEINDE nobis tribuunt, quod dicamus nō requiri gratiam ad hoc, vt nobis profint Sacramenta: quod quidē mendacium est manifestum. Nam si per gratiam intelligant fauorem Dei, vt ipsi ordinariē intelligūt, omnes Catholici dicunt, iustificationem à peccatis dari in Sacramentis ex gratia Dei, & merito Christi, non ob merita accedentis. Si verò per gratiam intelligant inhærentem qualitatem, qua formaliter iustificamur; Fatemur hanc non requiri ante perceptionem aliquorum Sacramentorum, vt Baptismi, & Pœnitentię, quod etiam ipsi fateri coguntur, qui volunt Sacramenta habere promissionem remissionis peccatorum: tamen hanc ipsam dicimus infundi in ipsa perceptione Sacramenti; proinde mera calumnia, & mendacium est, quod Catholici non requirant gratiam, vt Sacramenta profint.

TERTIO nobis tribuunt, quod dicamus non requiri fidem, & quod incredulitatem nō habeamus pro obice impediēte Sacramentum: in quo etiam apertissimè mentiuntur. Nam vel loquuntur de substantia, Sacramēti, vel de fructu Sacramenti: si de substantia, nec nos, nec ipsi, requirimus fidem. Nam omnes Catholici docent cum S. Augustino lib. 4. de Baptismo, cap. 12. verum esse Baptismum, quem sine vera fide heretici recipiunt. Et idem docet Lutherus in homiliis de Baptismo, & in lib. contra rebaptizantes; nec non etiam Calvinus li. 4. Instit. cap. 14 §. 16. Si verò loquuntur de fructu Sacramenti, falsum est, Catholicos non habere, p obice incredulitatem: omnes enim Catholici requirunt necessariò in adultis actualem fidem, & sine ea dicunt neminem iustificari. Vide Magistrum lib. 4. dist. 4 & S. Thomam. 3. par. q. 68 art. 8. Item Ius Canonicum, quod Lutherus combussit, de consecratione dist. 4. per multos canones.

Occasio huius fraudis fuit, quod Catholici non requirant in Sacramentis fidem illam specialem, quam aduersarij solam esse putant veram fidem iustificantem. Sed (vt omittam quod ista non est vera fides, sed opinio temeraria) si ideò verè nobis tribui posset, quod non requiramus fidem in Sacra-

mentis, quia non requirimus fidem illam specialem: nos etiam illis tribuere possemus, quod non requirunt fidem in Sacramento, quia non requirunt eam fidem, quam nos solam docemus esse veram fidem.

Ceterum si candidè agendum sit, distinguendæ sunt quæstiones. Aliud enim est quærere, an in Sacramento requiratur vera fides, aliud autem, quænam sit vera fides. Et quidem in priorè quæstione conuenimus, in posteriorè dissidemus.

Porrò de infantibus non potest esse quæstio, tum quia ipsi nec ponunt, nec possunt ponere obiectionem incredulitatis: incredulitas enim non est non credere, sed nolle credere: tum etiam quia infantes sicut peccauerunt aliena voluntate, & sunt auersi à Deo habitualiter; ita satis est, si credant aliena voluntate, & conuertantur habitualiter per infusionem fidei spei, & charitatis. Vnde Philippus in locis anni XLI. cap. de usu Sacramentorum dicit, de adultis solum esse intelligendū, quod oporteat eos actu credere.

SEXTO mentitur in assertione 1. articuli, vbi Scotum facit auctore illius sententiæ, quod Sacramenta conferant gratiam non ponenti obiectionem: quam sententiam ipse hæreticam vocat. Sed mentitur apertissimè. Nam Innocentius III. idem docuerat, cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectu; longo tempore antequam Scotus nasceretur: nec non S. Augustinus in epist. 23. ad Bonifacium, vbi posteaquam dixerat, paruulis p. desse Baptismum etiam si actu non credant; ita loquitur: *Hoc qui non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etiam si habeat fidei Sacramentum: et longe melior est ille paruulus qui etiam si fidem non dum habeat in cogitatione, non tamen ei obiectionem contrariæ cogitationis opponit; unde Sacramentum eius fideliter percipit.*

SEPTIMO mentitur ibidem, cum ait, Scotistas non requirere in usu Sacramenti fidem, nec bonum propositum, seu bonum motum cordis. Quod mendacium refellit Rossensis ex ipsis verbis Scoti, qui in 4. dist. 4. q. 2. disertis verbis docet, requiri fidem & contritionem, seu attritionem. Vide etiam q. 5. in principio, & in respons. ad vltimum, item dist. 17. q. 1.

OC TAVO mentitur in homil. vlt. de Baptismo, vbi sic ait: *Huc impietatis ventum est, ut salis & aquæ contra verbum & mandatū sacratæ, et ad undem virtutis & energie tribuerint,*
quan-

quantum venerabili Baptismi Sacramēto. Hic sunt duo mendacia. V N V M, quod nos contra Dei mandatum, & verbum consecrem⁹ salem, & aquam; nullum enim verbum, seu mandatum exstat, quo id prohibeatur. Quid, quod ipse idem Lutherus lib. de captiuit Babyl. cap. de extrema vnctione, contrariū docet? Sic enim ait: *Igitur, inquit, hoc vnctioni extremae nostrū Sacramentū non damno, sed hoc esse, quod ab Apostolo Iacobo praescribitur, cōstanter nego, cū nec forma, nec vsus, nec virt⁹, nec finis eius cum nostro cōsentiat: numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta, q̄ nos constituimus; vt sunt salu, & aquae cōsecratio, & aspersio, neg enim negare possumus, creaturā quamlibet per verbum Dei, & orationē sanctificari, quod Apostolus Paulus nos docet, Hæc ille.*

ALTERVM mendacium est, quod eandem vim tribuamus aquae benedictae, & Baptismo: id enim nullus vnquā Catholicorum docuit; alioqui non septem Sacramenta, sed multo plura faceremus. Hæc pauca ex Luthero sufficiant.

CAPVT TERTIVM.

Mendacia Philippi.

PRIMO in ipsa Confessione art. 13. damnat Scholasticos, quod non doceant requiri fidem in vsu Sacramentorum. Sed fusiū, & clariū exposuit mentē suam in Apologia eiusdem articuli, vbi sic ait: *Hic damnamus totū populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem, cōferant gratiam ex opere operato, sine bono motu v̄t̄is. Hæc simpliciter Iudaica opinio est, sentire, quod per ceremoniam iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide; & tamen hæc impia, & superstitiosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio. Hæc ille.*

Hoc mendacium est longè impudentius mendaciis Lutheri. Nam Lutherus non accusabat omnes, sed Scotistas tantum Philippus autem totum populum Scholasticorū damnat; immò etiam totum regnū Pontificium. Esse autē mendacium apertissimum, tam est manifestum, vt probatione nō egeat. Nam, vt supra diximus, omnes Scholastici cum Magistro lib. 4. dist. 4. requirunt actualē fidem, quæ sine motu cordis

dis esse non potest: & ipse idē Philippus in Apologia articuli de Pœnitentia, dicit, Catholicos requirere contritionem vel attritionē Et quid est cōtritio, vel attritio, nisi motus cordis?

SECVNDŌ in ipsa etiam Confessione Augustana in articulo de Missa: *Falsò inquit, accusatur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.*

Hoc esse mēdacium, probare possumus ex articulis Smalchaldicis, qui non minoris sunt auctoritatis apud Lutheranos, quàm ipsa Confessio; vnde etiam simul cum ipsa Cōfessione ponuntur in libro Cōcordiæ. In illis igitur articulis sic legimus: *Ceterū Draconis cauda ista (Missam intelligo) peperit multiplices abominationes, & idololatrias.* Et paulè ante: *Abrogāda meritò Missa est.* Hæc illi. Si igitur Missa, vt cauda Draconis abroganda est, cur eam non abrogârunt? aut, si abrogârunt, cur quæruntur accusari se, quòd Missam aboleuerint? DICENT fortassè se Missam Papisticam aboleuisse, Christianam autem retinere; nimirum Sacramenti distributionem, & perceptionem: hoc enim Philippus vocat Missam in Apologia. At non accusantur à nobis Lutherani, quod istam Missam, id est, Communionem aboleuerint, sed quod veram Missam, id est oblationem, & totum Canonem sustulerint. Itaque si per Missam intelligunt, Communionem, mendacium est, quòd accusentur: sin autē intelligunt, oblationem, mendacium est, quòd falsò accusentur.

TERTIO mentitur in eodem articulo: *Veteres, inquit, ante Gregorium nō faciunt mētionem priuatæ Missæ.* Idem repetit in Apologia eiusdem articuli.

Sed si per Missam priuatam intelligat Missam, quæ dicatur nomine priuato, aut quæ vni tantum proficit, mentitur eiusmodi Missam cœpisse post Gregorij ætatem: nulla enim est, nec fuit vnquam Missa priuata ad istū modum: omnis enim Missa publica est, cum celebretur à Sacerdote, vt est publicus minister, & pro communi, & publica vilitate totius Ecclesiæ. Si verò per Missam priuatam intelligat Missam, quæ ab vno Sacerdote dicatur sine distributione Eucharistiæ populo facta, mentitur eiusmodi Missas non fuisse ante Gregorij tempora. Nam Augustinus lib. 22. ciuit. cap. 8. meminuit Missæ priuatæ: scribit enim vnum ex suis presbyteris sacrificiū corporis

poris Domini obtulisse in domo rustica cuiusdam nobilis viri, quæ vexabatur infestatione malignorum spirituum, & cōtinuè eam domum liberatam fuisse: *Perrexit*, inquit, *unus*, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deo, proin^o miserate cessavit. Hæc ille. Hic certè Augustinus qui ducentis annis Gregoriū præcessit, meminit Missæ dictæ ab vno, in loco priuato, sine distributione Sacramenti populo facta; & quæ Deo gratissima fuerit, ut euentus probauit.

QVARTO mentitur in eadem Confessione Augustana, in artic. de Confessione, vbi sic ait: *Antea immodicè extollebatur satisfactio, fidei verò, & meriti Christi, ac iustitiæ fidei, nulla fiebat mētio.*] Atq; ita quidem loquitur in Confessione, in Apologia autē art. II. ita rem exaggerat: *Nunc, inquit, de hac fide consequente remissionem peccatorū, nulla est syllaba in tanta mole constitutionum, Glossarum Sūmarum Confessionalium, nusquā ibi Christus legitur.* Et infra in Apologia art. 15. *Exstant, inquit, immensi libri, immò bibliotheca tota nullā syllabam de Christo, de fide in Christū, &c.*

Hæc tam magna sunt mēdacia, ut mirū sit, si ea tota Germania capere possit. Nullus enim est liber Catholicus, in quo de Sacramēto vllō agatur, quin in eo sæpe fides, & Christus nominētur. Certè S. Thomas, qui minimè obscurus est auctor, 3 par. q. 62. artic. 5. dicit, & probat Sacramenta omnia vim habere ex meritis Christi, & eiusdem Christi merita per fidem nobis applicari.

CAPVT QVARTVM.

Mendacia Caluini.

VENIO nunc ad CALVINVM, qui lib. 4. Instit. cap. 14. §. 14. sic ait: *Magno consensu Sophistica Scholæ tradiderūt, Sacramenta nouæ legi iustificare, & conferre gratiam, modò non ponamus obicē peccati mortalis. Quæ sententia dici nō potest, quàm sit exitialis, & pestilens, eoq; magis, quod multu antè seculis magna Ecclesiæ iactura in bona orbis parte obtinuit. Planè certè diabolica est, nam dum iustitiā citra fidē pollicetur, animas in exitium præcipites agit.*] Hoc est mendacium PRIMVM, quod
 circa

citra fidem polliceamur iustitiã in Sacramentis : quod supra refutatum est. Interim obseruanda sunt , quæ Calvinus cõfiteatur vera, nimirum magnum consensum esse inter Catholicos, item multis seculis doctrinam nostram viguisse, denique in bona orbis parte receptam: cum de ipsis omnia sint cõtraria, nimirum nullus est inter eos cõsensus; doctrina recens, & hoc seculo nata; & vix vnã, aut alteram prouinciã occupauit: etsi enim multi sunt hoc tempore heretici, nulla tamen vna hæresis admodum latè patet.

SECUNDVM mendacium est in eodem cap. §. 17. *Interim inquit, illud tollitur figmentũ, quo iustificationis causa, virtus Spiritus sancti elementis, ceu vasculũ, ac plaustrũ includitur.*] Hoc verè figmentum est, quod nobis Calvinus affingit. Non enim Catholici dicunt, causam iustificationis in Sacramentis, vt in vasis includi, sed ipsa Sacramenta causas instrumentales iustificationis faciunt. Sed nec virtutem, Spiritus sancti, id est, vim illam, quam Deus tribuit Sacramentis ad iustificandum, vllus Catholicus docet contineri in Sacramentis, sicut in vasis, virtus enim illa est id, per quod Sacramentum operatur. Sed fortè Calvinus ex eo mendiandi ansam accepit, quòd interdum Catholici gratiam in Sacramentis, vt in vasis contineri dicunt Gratia enim effectus est Sacramenti, proinde in Sacramento cõtinetur, vt quilibet alius effectus in sua causa: omne autem quod continet, saltem metaphoricè, vas dici potest. Adde quòd potest etiam vas accipi, p instrumento: qua significatione elegãter Dauid Psal. 7 vocat sagittas, vasa mortis, & Ezechiel, cap. 9 vocat arma, vasa interitus, quia sagitta, ceteraque arma causæ instrumentales sunt mortis. Neq; id negare potest Calvinus, cum in Anridoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 4. & 5. affirmat Sacramenta esse causas gratiæ cõferendæ instrumentales.

TERTIVM mendacium est in eodem cap. §. 26. vbi sic ait: *Quidquid de opere operato nugati sunt Sophistæ, nõ modò falsum est, sed pugnat cõ Sacramento natura, quæ instituit Deus, vt fideles vacui bonorũ omnium, & inopes, nihil pter mendicitatẽ eò adferant. Vnde sequitur, ea recipienda nihil istos agere, vnde laudẽ mereatur, vel in hac actione, quæ eorum respectu merè passiva est, nullũ illis posse opus adscribi,] Hoc mendacio testatur ignorantia, vel malitiam suam Calvinus*

uinus: non enim opus operatum vocant Theologi opus aliquod meritorium eius, qui Sacramentum suscipit, vel ministrat, ut Calvinus dicit; id enim opus operantis appellamus. Quid autem sit opus operatum, infra suo loco dicemus. Illud hoc loco notare sufficiat, opus operatum non pendere à bonitate ministri, meritum autem pendere.

QUARTVM est mendacium, cap. 17. §. 43. vbi dicit in Sacramento Eucharistiæ primum, qui azymo pane uti cœpit, fuisse Alexandrum Romanum Pontificem: *Primus, inquit, azymo pane delectatus est: qua id ratione, non video, nisi ut plebæ oculos in nouo spectaculo in admiratione traheret magis quàm ut animos p̄ba religione institueret.*] Hoc verò mendacium cum Euangelio aperte pugnat. Scribunt enim Matthæus cap. 26. Marcus 14. & Lucas 22. Dominum cœnã fecisse primo die azymorum proinde nõ Alexander Papa, sed Christus primus fuit, qui azymo pane in Sacramento vsus est.

QUINTVM est in cap. 19. §. 12. vbi sic ait: *Veteres dũ propriè loquuntur nusquam plura duobus Sacramētis recēsent.*] Refellit hoc mendacium S. CYPRIANVS (ut nunc ceteros omittam) qui lib. 2. ep. 1. nõ solùm Baptismũ, & Eucharistiã, sed etiam Confirmationem vult esse propriè Sacramentũ. Nam de Cõfirmatione sic loquit: *Tũc plene sanctificari, & esse Filij Dei possunt, si Sacramento utroq; nascatur.* Et S. AVGVSTINVS lib. 2. contra literas Petilian. cap. 104. *Sacramentum Chrismatis, inquit, in genere visibilibus signorum, sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

SEXTVM est ibidem, vbi Calvinus addit de ipsa Confirmatione: *De manu impositione loquuntur veteres, sed an Sacramentũ vocant? Augustinus aperte affirmat, nihil aliud esse, quàm oratione.*] Refellunt hoc ijde auctores verbis citatis.

SEPTIMVM est in eodem cap. 19. §. 34. vbi sic ait: *Matrimonium, ut à Deo institutum, fatetur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo vsq; ad Gregorij tẽpora viderat.*] Atqui sanctus AVGVSTINVS, qui CC. ferè annis S. Gregorio vetustior fuit, lib. de bono coniugali, cap. 18. sic ait: *In nostrarũ nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fecunditas uteri.* Et lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 10. ter Matrimonium Sacramentis annumerat: ut etiam alibi passim.

OCTAVVM est in Antidoto Cõcilij, sess. 7. can. 13. vbi sic ait: *Con-*

Conqueruntur, vel saltem gemunt omnes p̄j, plura in Baptismo fieri Chrisma, cereum, salis saporem, spiritum denique, quam aqua lauacrum, quo tota constat Baptismi perfectio Idem repetit in lib. de formula ministrandi Sacramenta. Hic Calvinus Lutherum mentiendo superare studuit. Ille enim (vt supra notauimus in ultimo mendacio) solum dicebat, nos equare has ceremonias Baptismo; iste autem dicit, nos antepone. Sed vterq; mentitur. Nam Catholici aded non anteponunt, vel æquant ista Baptismo, vt dicant esse præparationes ad Baptismum; item accidentales ceremonias, si conferantur cum ipsa ablutione, in qua consistit substantia Baptismi. Denique fatentur omnes Catholici, simplicem Baptismum sine cereo, sine sale, sine oleo, alijsque rebus sufficere ad iustificationem: res autem illas omnes non sufficere. Vide Magistrum, & Doctores ceteros in 4. dist. 6.

CAPVT QVINTVM.

Mendacia Kemnitij.

Martinus KEMNITIUS multa repetit ex mēdacijs Lutheri, & Caluini; multa etiam addit propria. Sed quia longum esset omnia referre, solum pauca quædam annotabo ex principio 2. partis Examinis, vbi agit de Sacramentis in genere.

PRIMO igitur in examine edito anno M. D. LXVI. in octauo, pag. 14. sic mentitur: *Quomodo per Matrimonium, quod Syricius Pontifex definit, esse secundum carnem viuere, quod Deo placere non possit; quomodo, inquam, iustitia fidei per Matrimonium, vel incipit, vel augetur, vel reparatur iuxta ipsorum Sacramenti descriptionem in decreto positam.* Desumptum est hoc mendacium ex epist. 1. Syricij, cap. 7. vbi sanctus ille Pontifex probare volens, debere Sacerdotes continere se etiam ab vxore, assumit pro argumento illa verba Roman. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Hinc igitur deducit Kemnitius, Matrimonium, auctore Syricio, nihil esse aliud, quam vitam secundum carnem, quæ Deo placere non potest.

Sed debuit Kemnitius aduertere, Syricium non loqui de coniugio iusto, & legitimo, sed de coniugio Sacerdotum, quod illegi-

illegitimum est, & solo nomine coniugium, re autem ipsa sacrilega impudicitia. Nam in eadem epist. cap. 4 iam antè dixerat, legitimas nuptias in Ecclesia per Sacerdotem benedici: & certè non voluit dicere, benedici in Ecclesia vitam secundum carnem, quæ Deo placere non potest. Itaq; legitimi coniuges possunt ita viuere, vt placeant Deo, & dicantur non esse in carne, sed in spiritu, si vxore sua legitima legitimè vtantur: at Sacerdotes, quibus nuptiæ interdictæ sunt, non possunt vxores ducere, aut illis vri, quin Deo displiceant, & secundum carnem viuant: & hoc est, quod verissimè scripsit Syricius.

S E C V N D O mentitur pag. 39. vbi loquens de Ordinis & Matrimonij Sacramentis, sic ait: *Etsi Richardus disputat etiam per istos ritus conferri gratiam gratum facientem: reliqui tamen agnoscunt, hoc subsistere non posse.* Hoc mendacium impudentissimum est, cum omnes ferè Theologi idem dicant, quod Richardus dicit. Sufficiet hoc loco testimonium sancti **T H O M A E**, qui 3. part. quæst. 65. artic. 1. docet, & probat, septem esse nouæ legis Sacramenta; & in responsione ad vltimum sic ait: *In quolibet Sacramento nouæ legis gratia infunditur.*

T E R T I O mentitur pag. 40. vbi querens de aqua benedicta, rosa benedicta, ense benedicto, & similibus rebus; cur non sint Sacramenta, sic ait: *Aliquid quidem respondent Scholastici, aliud aliud, sed tamen nec seipso expediunt, nec Lectoribus satisfaciunt, nisi quod Gabrielis ingenitæ probatur, qui dicit, aquam benedictam non esse Sacramentum, quia desit diuina institutio.*

D V O sunt hîc mendacia. **V N V M** quod Scholastici multum laborent, vt ostendant, cur aqua, & rosa, & similia, cum in Ecclesia benedicuntur, non sint Sacramenta. At Scholastici ad eò leuiter hoc expediunt, vt multi ne attingant quidem vt per se notum, alii obiter tantum explicent. Nihil enim horum est signum efficax gratiæ iustificantis, quod est præcipuum in omnibus Sacramentis.

A L T E R V M est mendacium, Gabrielem ingenuè confiteri, nihil deesse aquæ benedictæ, quo minus sit Sacramentum, nisi diuinam institutionem. Est, inquam, hoc verissimum mendacium; quia Gabriel in 4. dist. 1. q. 1. artic. 1. vbi de hac re agit dicit;

dicit quidem, aquam benedictam non esse à Deo institutam, sed ab Ecclesia, & idè non esse Sacramentum, sed non dicit, nihil aliud ei deesse, nisi diuinam institutionem, immò aperte indicat, alia etiam multa ei deesse. Nam non disputat eo loco propriè de aqua benedicta, sed explicat definitionem Sacramenti: & quia dixerat, ad Sacramenta requiri diuinam institutionem, inde deducit à Sacramenti definitione excludi aquam benedictam, lotionem balnei, & omnia signa naturalia. Quocirca sicut non licet colligere ex hac eius disputatione nihil deesse ad lotionem balnei, quò minus sit Sacramentum, nisi diuinam institutionem, ita non licet colligere, nihil deesse ad aquam benedictam, nisi diuinam institutionem, quò minus sit Sacramentum.

QUARTO mentitur pag 94 & 95. vbi tot sunt ferè mendacia quot verba: *Quidam, inquit, ut Alensis, Thomas, Durandus, &c. senserunt ipsis externis Sacramentorum elementis per verbum conferri quandam virtutem supernaturalem.* At non videtur legisse hos auctores: Siquidem Durandus contrarium docet; & S. Thomam oppugnat in 4. dist. 1. q. 4.

QUINTO mentitur ibidem, cum ait: *Addunt autem, ut offendant, nec se nec alios, quod dicunt intelligere, esse ens incompletum (vim inditam Sacramenti), quod per se non sit in aliquo ex decem prædicamentis.* Sed Kemnitium non intelligere quid Scholastici dicant, facile credi potest. Illos autem ipsos non intelligere motionem, hanc enim plerique vocant vim Sacramentis inditam, esse ens incompletum, quod per se in nullo prædicamento sit, mendacium est manifestum. Non enim vllus est vel mediocriter peritus Physicæ, aut etiam solius Logicæ, quin sciat motum esse ens incompletum, & ad nullum prædicamentum per se pertinere.

SIXTO mentitur ibidem, cum ait, Cyprianum existimasse Baptismum esse inutilem, qui conferebatur ab hæreticis, & malis ministris. Nam Cyprianus vbique distinguit malos ministros Catholicos ab hæreticis, & malos quidem affirmat utiliter baptizare, hæreticos autem inutiliter. Malè igitur Kemnitius coniungit ex sententia Cypriani, quos Cyprianus ipse disjungit. Vide Augustinum explicantem Cypriani sententiam, lib. 4. de Baptismo, cap. 10. & lib. 6. cap. 12.

& ipsum Cyprianum in Epistolis ad Iubaianum, ad Pompeium, ad Stephanum, & ad Quirinum.

SEPTIMO mentitur pag 95. cum sic ait: *Illam verò opinionem, quod in ipsis Sacramentorum elementis gratia essentialiter contineatur, sicut medicina in pixide, ita ut virtus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas hærens in corporalibus Sacramentorum elementis; etiam inter Scholasticos Scriptores, non fuit omnibus probata, ut Bonaventura, Richardo, &c. Hic satis prodit suam imperitiam Kemnitius, & simul audaciam cum eâ reprehendit, quæ non intelligit. Nam imprimis confundit gratiam cum virtute Sacramentorum, cum tamen sint res diversissimæ. Gratia enim est effectus Sacramenti, virtus autem id, per quod Sacramentum operatur. Quocirca gratiam contineri in Sacramentis nullus Catholicus negat, virtutem autem illam Physicam non omnes admittunt. Deinde gratiam essentialiter id est, ipsam essentiam gratiæ hæere in Sacramentis, ut medicinam in pixide, nullus etiam Catholicorum dicit: Fatentur enim omnes gratiam hæere in anima, non in Sacramentis. Ponunt tamen, ut supra diximus, eam in Sacramento, ut in vase, metaphoricè accipiendo nomen vasis; quomodo dicuntur tela vasa mortis, quia in eis mors continetur, ut effectus in causa.*

OCTAVO mentitur ibidem, cum ait *Fuerunt etiam qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt: ita ut Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exercet vel n. qui celebrat, vel qui suscipit. Hoc etiam mendacium testis est imperitiæ Kemnitianæ, quamquam non est eius proprium, sed à Caluino illud accepit. Vide supra in 3. Caluini mendacio. Plurima sunt alia in Kemnitio, hæc enim solum ex initio libri decerpta sunt.*

CAPVT SEXTVM.

Mendacia Tilemanni Heshusij.



HEMANNUS HESHVSIVS, qui se Episcopum Sambiensem vocat, librum scripsit de sexcētis erroribus Pontificiorum; qui liber nō habet vel vnam

micam falsis: colligit enim errores tam inconsideratè vt vel sint mera mendacia, vel contradictorij eorum sint hæreses apud omnes Lutheranos.

Ac vt solum, caussa exempli, discutiamus locum 15. qui est de Sacramentis, tertius error, quem notat, est desumptus ex CATECHISMO Romano in hæc verba: *Virtutem, quæ ex passione Christi manat, hoc est, gratiã, quam ille nobis in ara crucis meruit, per Sacramenta, quasi per aluuum quandã in nos ipsos deriuare oportet.* Hæc ille. Vbi primum corripit verba Catechismi Romani; siquidem ex alueo, quæ vox est in Catechismo, iste fecit aluuum, vt fordidam, & ridiculam faceret Catechismi sententiam. Deinde sententia Catechismi non potest damnari, quin damnentur etiam omnes Lutherani. Sume enim sententiam contradicentem, quæ sine dubio hæc erit; Christus in cruce non meruit nobis gratiam, vel si meruit, ea tamen non deriuatur ad nos per Sacramenta quasi per aluuum. At certè hanc sententiam Lutherani omnes damnant, quippe qui volunt gratiam ex Christi passione nobis per verba & Sacramenta offerri, & applicari. Neque refert quod ipsi non nominant aluuum: nam nominant instrumentalem causam, quod est longè amplius, quàm alueus. Vide Kemnitium in 2. parte Examinis, pag. 97. & Caluinum in Antidoto Concilij, sess. 7. can. 4.

Quintus error apud Tilemannum est, quòd Sacramenta veteris legis non impresserint characterem, qui est signum spirituale. Sume igitur contradicentem, nimirum; Sacramenta veteris legis imprimebant characterem spirituales; & quære si vel ab vno ex Lutheranis approbetur, Lutherani enim non anteponunt vsquam, licet ferè æquent. Sacramenta legis veteris Sacramentis nouæ legis; & tamen summo consensu negant, Sacramenta nouæ legis imprimere characterem. Id quod negat etiam ipse Heshusius ibidem in 7. errore.

Nonus error est, quòd non requiratur bonus motus interior in suscipiente Sacramentum. Hunc errorem tribuit Heshusius Gabrieli lib. 4. sent. dist. 1. q. 3. Sed verba Gabriels, quæ ipse citat, detegunt fraudem. Nam Gabriel non dicit non requiri motum interiorem, cum apertè requirat fidem,

dem, & pœnitentiam cum omnibus aliis Doctoribus, sed dicit cum Scoto, non requiri motum interiorem, qui sit meritorius gratiæ de congruo, vel de condigno. Scotus enim, & Gabriel, & multi alii docent, motus quosdam interiores esse meritorios de congruo iustificationis, sed addunt, quod si aliquando isti motus non sint tam perfecti, ut mereantur de congruo, tamen sufficere cum Sacramento ad iustificationem.

Decimus error est, quod Sacramenta veteris legis non contulerint gratiam, neque ex opere operato, neque ex opere operantis, seu per modum meriti, etiam si in fide, & charitate fierent. Hæc ille. Sed accipe contradicentem propositionem, & dicitur Sacramenta legis veteris contulerunt gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis, seu per modum meriti. Atqui hæc tota est hæretica omnibus Lutheranis. Nam omnes execrantur, quod dicimus de opere operato; & multo magis, quod dicimus de opere operantis. Sacramenta enim gratiam conferre ex opere operantis, est gratiam conferre ex dignitate, & merito operis; ipsi autem nullum agnoscunt opus dignum aut meritorium, sed omnia esse volunt peccata mortalia, atque in primis idem Heshusius in eodem lib. tit. de iustificatione, de lege, de operibus.

Decimus tertius error est ex Consilio TRIDENTINO desumptus, sess. 7. can. 13. *Docent, inquit, sine externis Papi- sticis ritibus, nec veritatem, nec dignitatem, nec efficaciam Sacramentorum consistere.* Hæc ille. At hæc impudentis- sima impostura est: Concilium enim nihil eiusmodi docet. Hæc enim sunt verba Concilii, quæ ibidem ponit Heshusius, ut nimirum non solum sit, sed etiam habeatur impostor: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus in solenni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à ministris pro- libito omitti, aut in novos alios per quemcun- que Ecclesiarum pastorem mu- tari posse, anathe- ma sit.*

SSO

B 3 CON



CONTROVERSA PRIMA, De nomine Sacramenti.

CAPVT SEPTIMVM.

Sitne vtendum nomine Sacramenti.

DE NOMINE SACRAMENTI DVAE SVNT
controversiæ hereticorum, tum ipsorum in-
ter se, tum nobiscum. VNA, Si ^{1^o} hoc nomen
vsurpandum. ALTERA, quid propriè signi-
ficet hæc vox Sacramentum.

Quod attinet ad priorem, Martinus Lutherus initio noue
sue prædicationis visus est ab hoc nomine nõ parum abhor-
rere. Nam in lib. de captiuit. Babyl. quam edidit anno XX.
cap. de Matrimonio: *Non habet, inquit, vniuersa Scriptura
sancta hoc nomen Sacramentum in ea significatione, qua no-
ster vsus, sed in contraria. Vbi enim significat, non signũ rei
sacræ, sed rem sacræ, secretam, & absconditam.* Deinde in
lib. de abroganda Missa, quem edidit anno XXI. Pia, inquit,
& fidelis conscientia merito & dignè pauere debet, ne hoc
sacrificium appellet, aut credat, quod certissima est apud
Deum & in Scripturis non dici sacrificium, & hoc solum ap-
pellet sacrificium, quod constat à Deo vocari sacrificiũ. Que
enim furentior est temeritas, quàm sic os in cælum ponere,
vt hoc sacrificium, & cultum Dei dicas, quod ille non dicit
sacrificium & cultum Dei? Hæc ille. Cùm igitur Lutherus
affirmer, vocem Sacramentum non esse in Scriptura in eo
sensu, quo Ecclesia vtitur Sacramentis, & simul affirmer, fu-
rentem esse temeritatem vti nominibus in rebus Dei signi-
ficandis, quibus Deus ipse in Scriptura non vtatur: certè col-
ligitur non ei placuisse, vt hoc nomine vteremur.

Quocirca Melanchthon Lutherum sequutus in locis com-
munibus editis anno XXI & XXII. caput in quo agit de Sa-
cramentis, inscribit de signis; & in medio eius capituli: *Que
aly,*

ly, inquit, Sacramenta, nos signa appellamus. Quin etiam antea erat cupido istorum hominum omnia nouandi, ut mallet Græca voce, & Latinis prorsus inaudita dici σφραγίδα, id est, sigilla, quàm Sacramenta.

Andreas item Carolstadius in lib. de imaginibus, & Sacramentis, eundem Lutherum sequutus, ex professo agit contra nomen Sacramenti.

Porro Zvvinglius pater Sacramentariorum in lib. de vera & falsa religione, edito anno XXV. dicit quidem se nolle tumultuari ob hoc nomen, aperte tamen reprehendit. Sic enim habet in cap. de Sacramentis: *Vocem istam, Sacramentum, magnopere cuperem Germanis nunquam fuisse receptam.*

Sic etiam Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 13. dicit se nolle contendere de nomine Sacramenti, & tamen non obscure reprehendit, dum ita loquitur: *Abundè liquet veteres, qui Sacramentorum nomen signis indiderunt, minimè respexisse, qui fuisset uerbis huius usus Latinis Scriptoribus: sed no tam hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter sacra signa designarent.* Hæc ille.

Ceterùm Lutherus cum vidisset Carolstadium, & Zvvinglium, cum quibus inimicitias gerebat, abhorrere a voce Sacramenti, mutauit citò sententiam, & nomen Sacramenti approbare cœpit. Sic enim scribit in lib. contra cœlestes Prophetas part. 2. *Dicit, inquit, Carolstadius, Christum & Apostolos non appellasse cœnam Sacramentum, uelle se habere nomen ex Bibliâ: Deum imponere suis creaturis nomina, nos qui homines sumus, non debere indere nomina rebus diuinis: Et infra: Age animicida, tu & spiritus peccati, fatemur quidem Deum non dixisse Sacramentum, nec præcepisse ut Sacramentum diceretur: Sed dic nobis contra, ubi prohibuit Sacramentum dici? Quis ergo tibi dedit potestatem prohibendi, quod Deus non prohibet? Annôn est uerus animicida, qui se ponit loco Dei super nos, & aufert nostram libertatem?*] Ac deinde asserit, & probat, licere uti hoc nomine, immò & oportere uti. Quæ omnia non magis contra Carolstadium pugnant & Zvvinglium, quàm contra ipsum Lutherum, à quo illi didicerant, ut ostendimus.

Luthero autem sententiam murante, mutarunt etiam ceteri Lutherani. Nam & in Confess. August. recipiunt nomen

Sacramenti: & Philippus in locis anno XXXVI inscribit caput de Sacramētis, quod antea inscripserat designis. Brentius quoque in Confessione Wirtembergēn. cap. de Sacramētis, idem nomen retinet Ac demū Kemnitius in 2. part. Examinis non procul ab initio, vocabulum hoc *ἄρραφορ*, id est, non scriptum in diuinis literis esse dicit, & tamen retinendum, & conseruandum. Solū ergo controuersia restat cum Sacramentariis, & cum priore sententia Lutheri.

Sed facildē probare possumus, nomen hoc esse vsurpandū, & conseruandum PRIMO, quia reperitur in Scripturis. Sunt autem duo noranda antequam hanc rationem explicemus. PRIMO quidē Scripturas sacras non Latinē, sed vel Hebraicē, vel Græcē à Prophetis, & Apostolis scriptas fuisse: proinde non esse demonstrandā ex Scripturis vocem Latinam, Sacramētū: sed Græcam, quæ illi respondet, nimirum *μυστήριον*. Idem enim omninō est Latinis Sacramentum, quod Græcis Mysterium. Neq; in hoc vlla dissensio est: fatentur em̄ aduersarii idem esse Sacramentum, & Mysterium, & idē vtrumq; vocabulum dicunt esse *ἄρραφορ* in nostra significatione.

SECUNDO, aliter ex Scripturis probari posse nomen Sacramenti apud Catholicos, aliter apud hæreticos NAM apud Catholicos, qui fatentur Matrimonium esse Sacramentum propriē dictum, probamus nomen Sacramenti esse in Scripturis, nō solū in genere, sed etiam in specie, id est, vt significat res illas septem, quas propriē Sacramenta vocamus. Ait enim Apostolus ad Ephē. 5. *Propter hoc relinquet homo patrē, & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum, siue (vt habetur Græcē) Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Vbi Apostolus Concil Trident. teste, sess. 24. Sacramētum propriē dictum vocat Matrimonium, seu coniunctionem viri & scēminæ: est enim ea coniunctio signum rei sacræ, & arcana, id est, coniunctionis Christi cum Ecclesia. Neque obstat, quod Paulus videatur loqui de coniugio Adami, & Eux, quod quidem Sacramētum nouæ legis non fuit. Nam Paulus etsi allegat verba Adami, tamen ea accomodat ad coniugia sui temporis: omni enim coniugio conuenit quod Adam dixit: *Erunt duo in carne vna*. Vndē non
ait*

ait Paulus, Sacramentū hoc magnum fuit, sed Sacramentum magnum est, nimirum posteaquam à Christo addita est illi promissio gratiæ

Apud hæreticos autem, qui Matrimonium nō admittunt esse Sacramentum propriè dictum, non possumus probare ex Scripturis nomen Sacramenti, ut est nomen specificū, & proprium nostrorum Sacramentorum. Nusquam enim in Scriptura Baptismus, aut Eucharistia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut etiam Confirmatio, aut Vnctio, Mysterium, vel Sacramentum appellatur. Possumus tamen ex Scripturis ostendere nomen Sacramenti, ut est nomen genericum, & commune ad nostra septem Sacramenta, & alias res quasdam; nimirum ut significat signum rei sacræ, vel arcanæ quod quidem satis est, ut possimus hoc nomine uti, etiam testimonio Scripturarum. Nomen enim genericum verè conuenit rei, licet non soli illi conueniat.

Id igitur nomen in Scripturis haberi contra Lutherum demonstramus ex Daniele, cap. 2. ubi sæpissimè vocatur Mysterium, vel Sacramentum statua Nabuchodonosor, quia erat signum rei latentis, id est, successionis quatuor regnorum, & regni Christi post illa exorturi, ex quo colligimus, vocabulū **מִסְתֵּרִים** Hebraicum, & **ܡܝܫܬܝܪܝܢ** Chaldaicum: non solum significare rem secretam, ut Isaiæ 24. *Secretum meum mihi*: Sed etiam signum rei secretæ, ut hoc loco Danielis: quamquam etiam hoc loco non negauerim, aliquando significare rem secretam. Nam interdum Scriptura vocat Mysterium ipsum somnium oblitum, & proinde absconditum, & secretum: interdum ipsam statuam illius, quæ per somnium apparuerat, significationem.

Item probamus ex illo Apocal. 17. *Et in fronte eius nomen scriptum Mysterium*. Et infra: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*. Hinc enim habemus mulierem illam forma meretricia, quam Ioannes vidit, fuisse quoddam Sacramentum id est, signum rei latentis, nimirum Romani Imperii, vel Antichristi, ut alibi exposuimus. Nō enim res ipsa latens, sed mulier, quæ videbatur, appellatur Mysterium, & Sacramentum: ob significationem, quam continebat, ut patet ex nomine scripto in fronte.

Idem probatur ex illo 2. Thes. 2. Nam *Mysterium iam operatur iniquitatis*. Vocat enim Apostolus Mysterium iniquitatis, persecutiones Ecclesie primitiue ab Imperatoribus, & hæreticis excitas, quia significabant persecutiones excitandas in nouissimis diebus ab Antichristo. Ita enim exponunt eum locum Chrysostomus, Teophylactus, Ambrosius, & alij ferè omnes.

Deniq; idem probatur efficacissimè ex illo Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*. Tamen enim Erasmus, & Caluinus Mysterium à Paulo dici contendunt, non coniunctionem viri & fœminæ, sed Christi, & Ecclesie, eò quòd addat Apostolus: *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: tamen apertissimè falluntur. Quod enim Paulus Sacramenti nomen non tribuat Christo, & Ecclesie, sed coniunctioni viri, & fœminæ, patet tum ex relatiuo pronomine, hoc. Refert enim id quod dictum fuerat, nimirum: *Erunt duo in carne una*: tum etiam quia periret tota ratio Apostoli: vult enim probare, debere viros diligere suas vxores; id verò probat, quia illud: *Erunt duo in carne una*, est magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia. Quod si totum hoc Mysterium est in coniunctione Christi, & Ecclesie, & ad coniugium nihil pertinet, quid, quæso, Paulus probat? Vide commentarium Hieronymi, Chrysostomi, Oecumenij, & aliorum Patrum in hunc locum. Coniunctio igitur sensibilis, & externa viri & fœminæ, Sacramentum est, id est, signum rei sacre spiritualis, & latentis, id est, coniunctionis Christi, & Ecclesie. Quocirca Kemnitius his testimoniis persuasus, fatetur nomen Sacramenti vt genericum est, scriptum esse, licet vt specificum, non sit scriptum.

Falsum igitur est, quod Lutherus dicebat, Sacramentum in vniuersa Scriptura significare rem sacram, secretam; nusquam autem signum rei sacre, secrete. Nec minus falsum est, quod ibidem addidit, Catholicos vbicunq; in Scriptura inuenerunt nomen Sacramenti, ex eo fecisse signum: non enim vbique dicimus, Sacramenti nomine significari signum, sed solum quibusdam in locis, alibi autem significare rem secretam, vt Tob 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Et Ephes 1. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis sue*. Et 1. Timot. 3, vocat Incarnationem, magnum pietatis Sacramentum

mentum. Neq; id ignorarunt Scholaſtici, quin potius omnes eum Magiſtro indicant has acceptiones varias Sacramenti ſecundum Scripturas. Vide in 4. diſt. 1. & S. Thomam 3 parte quaſt. 60. art. 1.

Quod ſi Sacramentum dicatur à ſacrando, & intiando, quod placet Zvinglio, vt poſtea dicemus, habetur in Scriptura Teſtamenti veteris vox Hebræa noſtræ Latinæ voci reſpondens, nimirum **קָרָבָה** ſeu **קָרָבָה**, id eſt, ritus confe-
 rationis, Exod. 28. Leuit. 8. & alibi.

SECUNDA ratio ſumitur ex Patribus. Antiquiſſimi enim Patres hoc nomine uſi ſunt ad ſignificandum Baptiſmum, Eucharistiā, & alia id genus ſacra Symbola. TERTULLIANVS vetuſtiſſimus Latinorum, lib. de pteſcriptionibus, cap. 16. *Ipsas quoq; inquit, res Sacramentorum diuinorum, in illorum mysteriis diabolus emulatur: tingit & ipse quosdā, ſignat in frontibus milites suos, &c.* Vide etiam lib. 1 in Marcion. ante medium. S. CYFRIVS, lib. 2. epist. 1. de Baptiſmo, & Confirmatione dicit: *Si Sacramento utroq; nascantur.* Lib. 2. epist. 3. ad Cæciliū: *Quo & ipſo inquit, Sacramento (Eucharistiæ) populus noſter oſtēditur adunatus.* Et lib. 4. epistola 7. ad Magnū: *Neq; enim ſic in Sacramento ſalutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali, & ſeculari ſordes cutis, & corporis abluuntur.* Eadem vtuntur voce LACTANTIUS lib. 4. cap. 17. HILARIUS in illud Pſal. 121. *Et abundantia diligentibus te.* HIERONYMVS in cap. 44. Ezech. & in cap. 1. Malach. AVGVSTINVS in epist. 118. & lib. 2. doctrinæ Chriſtianæ. cap. 3. & demum omnes poſteriores.

Ex quibus Patrum ſententis colligimus, nomen hoc eſſe antiquiſſimum, & proinde retinendum, etiam ſi in Scripturis non haberetur: quomodo retinemus multa alia nomina, quæ non ſunt in Scripturis, vt Trinitatem conſubſtantialem, perſonam, &c. Periculoſiſſima enim eſt vocum nouarum libertas in Eccleſia, cū paulatim ex nouis vocibus, nouæ etiam res oriantur, cū vnicuiq; licet in rebus diuinis nomina fingere. Vnde & B. Paulus prohibet prophanas vocum nouitates, 1 Tim. 6. & S. AVGVSTINVS lib. 10. ciuit. ca. 23. *Liberi, inquit, vocibus loquuntur Philoſophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimū offenſionem religioſarum aurium,*
perici-

perimescunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ huius significantur, impiam gignat opinionem.

Rursus colligimus, tum ex Scripturis, tum ex Patribus citatis, Kemnitium falsa, & pugnancia de hoc nomine loqui. Nam pag. 28. sic ait: *Augustinus primus sermone cepit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere, & latius usurpare, quam antiquitas fecerat. In epistola enim quinta ad Marcellinum de signis loquens, inquit: Quæ cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur. Vt igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei altius diuinæ vel sacræ signum sit. Hæc ille. At falsum esse, primum Augustinum fuisse, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quam ad Baptismum, & Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, & ex Tertulliano, Cypriano, ac Lactantio locis notatis: & præterea pater ex ipso Kemnitio, qui paulò ante, id est, pag. 22. sic ait: *Coniunctio viri & uxoris in coniugio est Sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, ad Ephes. 5. Et infra: Omnes figuras, & allegorias significantes aliquid, Patres vocant Sacramenta, Tertullianus lib. 5. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarum, & allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahæ filiis loquitur. Aduersus Iudæos, vocat Sacramentum ligni, disputans de securi Elisæi, & de ligno Adæ. Hæc ille, qui viderit quam benè cohæreat, Augustinum auctorem illius rei facere, quæ apud Tertullianum, aliosq; vetustos Patres, & apud ipsum Apostolum Paulum inueniatur.**

Adde postremò, quòd omnes linguæ vulgares in Latina Ecclesia hoc nomen retinuerunt, vt Italica, Gallica, Hispanica, Germanica, & aliæ quod est argumentum semper fuisse hoc nomen Sacramentum, in Ecclesia, venerabile. Sed de hac prima Quæstione satis.

CAPVT OCTAVVM.

De etymologia, & notione Mysteriorum Sacramenti.



QUIA certum est prius in Ecclesia fuisse voces Hebraicas, & Græcas, quam Latinam, Sacramentum, & Latinos nihil aliud veluisse exprimere per Sacramen-

eramentum, nisi quod Hebræi, & Græci exprimebant per sua vocabula, PRIMVM de Hebraica, DEINDE de Græca, POSTREMO de Latina voce dicendum erit.

Hebræi tres habent voces, quibus Sacramenta sua significare solent. PRIMVM enim omnes cæremonias, inter quas numerantur Sacramenta, vocat קָרָה vel קָרָה ut patet Exodi 12. 28 & alibi. Sed hoc nomen non tam ipsam cæremoniã, quam legem cæremonialem significat; nam קָרָה statuere significat, & מְחֻקֵּם legislatoré. Vnde in Testamento nouo semper cæremoniæ Iudæorum dicuntur leges, vt Matth. 23. Lex & Propheta vsque ad Ioannem, id est, Figuræ illæ cæremoniarum, & vaticinia Prophetarum vsque ad Ioannem. Et Galat. 5. *Contestor omni circumcidenti se, quod debitor est vniuersæ legi faciendæ.* Id est, qui admittit circumcissionem, debet eodem iure admittere omnes cæremonias.

ALIVD vocabulum est קְלוּאָה & קְלוּאָה quod consecrationem, seu initiationem significat, & habetur Exodi 28, & Læuit. 8. vbi agitur de consecratione Sacerdotis. Deducitur autem hæc vox à verbo קָלָה quod significat implere, & perficere; quia qui Sacramentum suscipit, perficitur, vt sit idoneus ad sacram functionem peragendam.

TERTIA vox est קָרָה & קָרָה quæ magis in vsu est Chaldæis, quam Hebræis. Vnde Hebræi nondum inuenerant veram eius radicem; sed, vt supra diximus, satis apertè colligitur ex cap. 2. Danielis, ea voce significari tum rem ipsam secretam, tum etiam signum rei secretæ.

Porrò etymologiam Mysterii explicans Clemens Alexandrinus in Oratione exhortatoria ad Gentes, cuius etiam meminit Eusebius in 2. de preparatione Euangelica, cap. 5. dicit, *μυστήριον* dici à μῖσος, quod scelus, & execrationem significat. Reprehendit Dominicus à Soto hanc etymologiam in 4. dist. 1. quæst. 1. atr. 1. quod μῖσος per iota significet scelus, & odium: *μυστήριον* autem scribatur per ipsilon. Sed non erat opus, vt homo Latinus cùm auctoribus grauissimis, atque Græcis, de Græcæ vocis etymologia contenderet. Nam et si

μῖσος

μισο^σ odium, μύσ^σ tamen scelus propriè significat: porro Clemens à μύσ^σ deduxit μυσήριον, non à μίσ^σ, licet posteriorem hanc vocem habeant aliqui Latini codices Eusebij, ex errore librariorum. Præterea Clemens non voluit eo loco propriam, ac germanam etymologiam Mysteriorum explicare, sed de industria posuit quandam minus propriam, sed valde aptam ad irridenda sacra Gentilium, quod tum agebat. Itaque cum vellet sacra illa ridere, ac detestari, dixit vel appellari μυσήρια ἂν τῷ μύσ^σ, quod scelestæ, & execranda essent; vel dicta esse μυσήρια, quasi μυθηρια, id est, fabulosa.

Alij deducunt μυσήριον à verbo μύω, quod est claudio, & σῶμα, quod est os: quasi Mystera silentio honoranda sint: vel à μύσ^σ τ^σ κ^σρ^σ, id est, abscondere & seruare, quod sint occultè seruandæ res sacræ.

Posset etiam non ineptè deduci à μυέω μυσήριον quod est initio, seu sacris imbuo, vnde est μύσης, id est, sacrorum antistes, qui alios initiat.

Sunt autem tres huius vocis significationes. PRIMA ac præcipua est, vt Mystrium dicatur ea cæremonia, qua homines sacris iniantur. Quocirca à M T. lib. 2. de legibus dicuntur etiam initia: & S. Ambrosius librum scripsit, de iis, qui Mystriis iniantur. Et hæc significatio respondet etymologia, quam posuimus à verbo μυέω. & huic voci in hac significatione respondet vox Hebræa קִרְיָהּ, id est, consecratio. Quia verò Mystria Gentilium noctu celebrabantur, & secreta esse oportebat, inde nata est

SECUNDA significatio, qua Mystrium dicitur id omne, quod arcanum, & secretum est. Hinc est illud Apostoli 1. Corinth. 13. *Si nouerim Mystria omnia, Matth. 13. Vobis datum est nosse Mystria regni Dei:* Et respondet verbum Hebræum קִרְיָהּ in priore significatione, vel etiam סֵדֶר quo frequentius vtuntur, id est, secretum.

TERTIA significatio ex secunda nata est, qua videlicet Mystrium dicitur omne signum externum rei arcana, & latentis: qua significatione omnes figuræ Testamenti veteris dicuntur Mystria, necnon parabola, & similitudines quæ habentur

bentur vel in Euangelio, vel in Apocalypsi, vt testimonia supra allata ostendunt. Et huic respondet vox illa ¶ in posteriore significatione.

Iam verò Sacramenti etymologia notissima est; dicitur enim à sacro: sed significationes multæ sunt. PRIMA est, vt Sacramentum dicatur pignus à litigantibus in loco sacro positum. Vt enim scribit Varro l. 4. de lingua Latina prope finem mos erat apud Romanos, vt cum duo litigabant, tum qui affirmabat, tum qui negabat, deponeret quingétos æris in loco sacro apud Pontificem; finita verò lite, qui vicerat, depositum suum reciperet, qui vinceretur, perderet, eiusque depositum ærario cederet in pœnam iniustæ litigationis. Illa ergo deposita Sacramenta dicebantur, quod in loco sacro seruarentur. Hæc significatio præter ceteras placuit Zvinglio, in libro de vera & falsa religione, cap. de Sacramentis: *Sacramentū, inquit, nihil aliud est, quàm initiatio, & oppigneratio. Sicut enim qui litigaturi erant, certū, pecuniæ pondus deponebant; sic qui Sacramenti initiantur, sese obstringunt, & oppignerantur.*

SECUNDA acceptio est, vt Sacramentum idem sit, quod iuramentum, quod quidem nisi per rem aliquam sacram fieri non potest, cum Deum ipsum testem citet omnis, qui iurat. Est autem hæc acceptio frequentissima in iure ciuili, & Canonico, & in auctoribus tum Gentilibus, tum etiam Christianis. Hæc acceptio Caluino placuit, lib. 4. Inst. cap. 14. §. 13. Sic tamen, vt Sacramentum non tam sit iuramentum, quo se homo obstringit Deo, quàm quo se Deus obstringit hominī. Vnde Nicolaus Selneccerus in 2. p. Pædagogia, cap. de Sacramentis dicit, $\mu\upsilon\sigma\tau\epsilon\rho\upsilon$ dici à $\mu\upsilon\omega$, quod est claudo, quia Sacramenta quasi Deo sigilla claudunt, & obstringunt diuinas promissiones.

TERCIA significatio est, vt Sacramentum idem sit, quod *Mysterium*; & proinde significet tria illa, quæ *Mysterij* voce significari diximus; nimirum, rem secretam, & signum rei secretæ, & rem sacramentem & initiantem.

Quæ omnes acceptiones conueniunt nostris Sacramētis; sed maximè propria est ea, quā ultimo loco nominauimus. Nam illa PRIMA Vartonis & Zvinglij non est aliena à nostris Sacramentis. Verè enim per Sacramenta nos abstringimus, & oppigneramus Deo, tamē hæc acceptio nec inueni-

tur in Scripturis, nec est ita propria, ut solis Sacramentis nostris conueniat. Multa enim sunt alia præter Sacramenta, quibus nos oppigneramus Deo, ut omnia vota.

SECUNDA acceptio Caluini, quadrat etiam in nostra Sacramenta. Nam in Sacramentis, ut nos Deo obstringimus ad obsequium, ita se nobis ille quodammodo obstringit ad protectionem. Sed neque hæc habetur in Scripturis, neque est propria nostrorum Sacramentorum, cum etiam sine Sacramentis per simplicem promissionem se Deus obstringere soleat.

TERTIA & QUARTA acceptio, qua Sacramentum dicitur quæcunque res sacra, arcana, vel signum rei sacrae, & secretae habentur in Scripturis, ut supra ostendimus, & Sacramentis nostris conueniunt. Nam omnia nostra Sacramenta, & sacra sunt, cum Dei sint; & arcana sunt, cum solis fidelibus nota sint, nec debeant aliis facile prodi, ut docet Dionysius de Eccles. hierar. cap. 1. & Cyrillus lib. 7. in Iulianum, extremo, & alii Patres passim, & denique rem sacram, & occultam significant, nimirum gratiam. Sed neque hæc acceptiones sunt propriae nostris Sacramentis, cum plurima sint alia signa sacra, arcana, & quæ res sacras, & arcanas significant, ut omnes ferè figuræ Testamenti veteris.

QUINTA igitur acceptio, qua Sacramentum significat caeremoniam initiantem, & consecrantem hominem Deo, siue (quod ferè est idem) signum rei sacrae, non cuiuscunque, sed rei sacrae sacrantis, & initiantis hominem, propriissima est. Nam **INPRIMIS** solis Sacramentis conuenit, ut postea fusius ostendemus.

DEINDE respondet apertissime etymologiae Mysterii, & Sacramenti: nam Mysterium deduximus à *μύεω*, quod est initio; & Sacramentum rectissime deducitur à *sacrando*. Vnde **S. AVGVSTINVS** lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 26. *Vnde, inquit, Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* ubi dicit, initiari Sacramentis nouæ legis. Et **Epist. 23** dicit, Sacramenta nouæ legis consecrare homines Deo. Et **TERTVLLIANVS** lib. de præscriptionibus, ostendere volens, quemadmodum diabolus Deum imitari studeat: *Tingit, inquit, & ipse quosdam, utique credentes, & fideles. suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic etiã initiat Mithra.* Hæc ille:

ille: ubi Baptismi Sacramentum initiationem appellat. Et S. AMBROSIVS librum, in quo de Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ tractat, inscribit, De ijs, qui iniciantur Mysterijs. Item MAGISTER in 4. dist. 1. & cum eo Doctores plurimi dicunt, Sacramentum dici à sacrando. S. THOMAS in 1. 2. quæst. 102. art. 5. *Sacramenta, inquit, proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur, quodammodo ad cultum Dei.*

Denique Sacramenta veteris legis nunquam vocantur in Scriptura Testamenti veteris secreta, vel signa rei secretæ, id est, סוד vel קדש sed semper appellabantur consecrationes, & initiationes, id est, מצותים vel caeremoniæ, id est, חקים:



CONTROVERSIÆ SECUNDA.

De definitione Sacramenti.

CAPVT NONVM.

Quid requiratur ad Sacramentum nouæ legis constituendum.

DIXIMVS DE NOMINE, NUNC DE RE IPSA dicendum erit. Tres autem erunt partes disputationis de natura Sacramenti. PRIMØ enim exponendum erit, quid requiratur ex communi sententia omnium Catholicorum ad Sacramentum nouæ legis constituendum. DEINDE differendum erit de ipsa formali, & artificiosa definitione Sacramenti. POSTREMØ examinandæ, & refellendæ variæ hæreticorum sententiæ, & deprauationes circa naturam, & definitionem Sacramenti.

e

Quod

Quod igitur ad PRIMVM attinet, Catholici Doctores esse dissentiant in rebus quibusdam Philosophicis, & minutis, vt An Sacramentū sit vnum per se; An sit ens rationis, &c. tamen in re Theologica mirificè conueniunt, cum hæretici contra inter se mirificè dissentiant, vt mox videbimus.

Igitur quæ ad Sacramentum nouæ legis constituendum necessariò requiruntur, hæc sunt PRIMVM vt fit signum, dicitur autem signum, vt S. AVGVSTINVS definit libro. 2. cap. 1. doctrinæ Christianæ: *Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Quocirca debet signum esse res aliqua cognoscibilis, debet item ducere in cognitionem alterius. Et quia hoc secundum, ducere videlicet in cognitionem alterius, in signo est potissimum, vt idem Augustinus docet lib. 1. cap. 1. doctrinæ Christianæ, idè oportet signum, quatenus signum est, imperfectius esse re illa, quàm significat, & magis illā, quàm seipsum representare. Quare non dicitur homo signum suæ imaginis licet ex cognitione hominis saepe cognoscatur imagines; sed contra imago dicitur signum hominis. Iam verò quod Sacramentum signum quoddam sit, patet tum ex Scriptura, cum Genes. 17. circumcisio dicitur signum fœderis. Rom. 6. Baptismus dicitur signum sepulturæ, & resurrectionis, 1. Corinth. 10. Eucharistia dicitur signum passionis, & mortis Christi. Ephes. 5. Matrimonium dicitur signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ: tum ex Patribus. Nam Dionysius cap. 1. Eccles. hierat. & alij Patres Græci, Sacramenta vocant *σύμβολα* id est, signa, & S. Augustinus, nunc vocat signacula, vt de catechizandis rudibus, cap. 26. nunc verba visibilia, vt lib. 19. contra Faustum, cap. 16.

SECVDVM est, vt hoc signum sensibile sit: sunt enim signa quædam etiam inuisibilia, vt character animæ, impressus sed sacramenta visibilia, seu sensibilia signa esse debere certissimum est. Solus fermè est Guilielmus Okam, qui in 4. dist. fatetur quidem, Sacramenta esse signa sensibilia, sed non putat id esse de essentia, quia posset Deus instituere Sacramentum in re spirituali, vt si statueret, vt oratio mentalis, aut meditatio passionis Christi conferret gratiam ex opere operato. At fallitur Okam, quia illa oratio, vel meditatio haberet quidem effectum Sacramenti, sed Sacramentum non esset. Sa-
cra-

cramentum enim intrinsecè, & essentialiter est caremonia religionis; caremonia autem est actus externus. Vnde sancti Patres passim docent, Sacramenta esse vestigia quædam, & manuductiones ad spiritualia, & inuisibilia, vt patet ex Dionysio, & Augustino locis notatis, nec nõ ex Chryostomo homil 83. in Matth.

TERTIVM est, vt hoc signum sit voluntarium, siue datum, non naturale. Quædam enim signa sunt naturalia, quæ non pendent ex noua institutione, sed ex natura sua significant, vt est fumus signum incendij, & odor signum rei odoratæ præsentis, & aurora signum vicini solis: alia signa sunt ex arbitrio instituentis, vt nomina, & verba omnia, vexilla militum, & omnia insignia familiarum. Porro Sacramenta signa esse posterioris generis docet Augustinus lib. 2. doctrinæ Christianæ, cap 3 & lib 3. cap. 9. neque vllus contradicit. Res enim ipsa per se clamat.

QVARTVM est, vt hoc signum habeat cum re, quam significat analogiam, & similitudinem aliquam. Tria enim inveniuntur signorum genera. QVÆDAM enim tantam habent cum re significata similitudinem, vt sine vlla institutione naturaliter significant: quomodo imago Christi signum est Christi, & vestigium in arena impressum, signum est pedis.

QVÆDAM alia nullam habent cum re significata similitudinem, & idè tota pendent ab institutione: hoc modo verba sunt signa rerum, & sonus campanæ signum senatus habendi.

QVÆDAM denique medio modo se habent. Nam habent quidem aliquam analogiam cum re, sed tam indeterminatam, & confusam, vt magis apta sint ad significandum, quam actu significant, nisi determinetur ab aliquo: quo modo imago hominis non facta ad alicuius particularis hominis similitudinem, neminem in particulari significat, & tamen quemlibet significare potest, si determinetur adscripto nomine alicuius, aut addito vestimento, aut alio signo particularis hominis.

Huius tertij generis sunt omnia Sacramenta. Nam nec per se significant actu, nisi determinentur, & tamen apta sunt significare, si determinentur. Id patet discurrendo per singula. Nam ablutio externa internæ ablutionis similitudinem ge-

rit; proinde aptissima est ad eam significandam, si ad id adhibeatur. Idem de Vnctione, alimento corporis Dominici, aliisque Sacramentis dici potest.

Solum est Sacramentum Pœnitentiæ, quod cum in solis verbis consistat essentialiter, non videtur habere naturalem analogiam cum re significata, sed habet tamen. Non enim illa verba, *Ego te absoluo*, Sacramentum sunt, quatenus significant ex humana institutione, id est, quatenus verba sunt: sed quatenus sunt veluti res quædam à Deo institutæ ad significandam, & efficiendam iustificationem à peccatis. Habet autem analogiam exterior absolutio, quæ ore pronuntiatur, cum interna iustificatione, quæ à Deo efficitur. Itaque absolute significata per verba, Sacramentum est, non ut per verba significatur, sed ut significat ipsam absolutionem internam.

Vnde S. AUGUSTINVS in epist. 23. ad Bonifacium: *Si Sacramenta, inquit, quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent.* Et Græci Patres, passim Sacramenta vocant ἀντίτυπον quod vocabulum significat rem ita similem alteri, ut cum illa quasi certare videatur de forma, ut si depicta imago ita probe, & quasi ad vivum rem exprimat, ut non imago, sed res ipsa videatur. Sic enim accipit hanc vocem Nazianzenus in 2. orat. de Pascha, ubi noctem Paschalem ob infinitam ardentium cereorum multitudinem, quibus illuminabatur, vocat antitypam firmamenti cœlestis, ubi infinita stellarum lumina conspiciuntur. Sic etiam ante Gregorium S. Petrus in epistola cap. 3. vocat Baptisma nostrum antitypum respectu arcæ Noæ, ubi noster interpret rectè vertit, similis formæ. Cum ergo Patres Sacramenta vocant ἀντίτυπα earum rerum, quarum Sacramenta sunt, nihil aliud sibi volunt, quam habere Sacramenta maximam similitudinem cum his rebus, quarum sunt Sacramenta.

QVINTVM est, ut hoc signum repræsentet rem aliquam sacram, non prophanam. Sunt enim Sacramenta cæremonie religionis: unde etiam illa violare, omnium consensu, sacrilegium est. Id quod etiam patet ex nomine: nam Sacramentum a sacro dicitur. Deniq; S. Augustinus in epist. ad Marcellinum dicitur

dicuntur signa cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta nominari.

Porro res illa sacra, quam Sacramenta nouæ legis significant, triplex est: gratia iustificans, quæ ut præsens demonstratur, passio Christi, quæ est causa gratiæ, & ut præterita commemoratur, & vita æterna, quæ est effectus gratiæ, & ut futura præfiguratur. Ita docet S. Thomas 3. part. quæst. 60. art. 3 & omnes alij Doctores. Ac de Baptismo quidem, & Eucharistia res notissima est. Nam Rom. 9 quod Baptismus sit memoria passionis, ostendit Paulus, cum ait: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Et infra de gratia iustificationis: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, Et: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexerit à mortuis, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.* Denique de vita æterna ibidem: *Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

Pari ratione de Eucharistia, Luc. 22 *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, in memoriam passionis: nam ut exponit Paulus 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducamus panem hunc mortem Domini annuntiamus.* Item de gratia, Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse uiuet propter me.* De gloria: *Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum.* Vnde Ecclesia canit: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur: Recolitur memoria passionis eius: Mens impletur gratia: Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

De alijs Sacramentis non est ita notum: tamen certum est, saltem implicitè, illa omnia significare; quia cum omnia significant gratiam, consequenter etiam significant principium, & finem eiusdem gratiæ.

Est autem hoc loco **NOTANDUM**, id quod præcipuè & essentialiter significatur per Sacramentum nouæ legis, esse solam gratiam iustificantem. Nam ut infra dicemus, Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant: at non efficiunt passionem Christi, nec uitam beatam, sed solam iustificationem: passionem enim præsupponunt, & uitam beatam promittunt; iustificationem autem propriè adferunt.

PRAETEREA Sacramenta, ut mox dicemus, sunt instituta ad sanctificandum. At quo propriè, & formaliter san-

etificamur, gratia est; passio Christi, & vita beata extrinseca sūt.

DENIQUE id propriè Sacramenta significant, quod per verba exprimitur: verbis autem Sacramentorum iustificatio sola plerumque exprimitur. Id enim significat, Ego te abluo, Ego te confirmo, Ego te absoluo, &c. Neq; obstat, quod verba Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum*, non videantur sonare sanctificationem, sed ipsum Domini corpus. Nam illud significant, vt cibum animarum, & spiritualem mentis refectionem, quæ per internam gratiam fit.

Atq; ex hoc capite multa sacra signa excluduntur à ratione Sacramenti, vt res creatæ omnes, quæ signa sunt potentia & sapientia Dei: nam: *Cæli enarrant gloriam Dei*, Psal 18. Item omnes sacræ imagines Christi, & Sanctorum; sacræ literæ; lignum crucis, & alia id genus, quæ sunt quidem signa sacra, rerum sacrarum; sed non significant propriè gratiam sanctificantem animas.

SEXTVM est, vt hoc signum non solùm significet sanctificationem, sed etiam ita significet, vt quæ tunc fiat, dum Sacramentum adhibetur. Omnes enim Theologi cōueniunt, quod Sacramenta nouæ legis significant sanctificationem, quæ tunc fiat: id enim verba ipsa ostendunt, Ego te absoluo, Ego te abluo, &c. Et hinc multa signa sacra sanctificationem significantia excluduntur à ratione Sacramenti. Nam exempli causa Manna quod pluebat, Israëlitis, significabat spiritualem refectionem, & dulcedinem, quam præbet Eucharistia; tamen Sacramentum non erat, sed figura Sacramenti, quia significabam eam refectionem, vt futuram, non vt quæ tunc daretur. Sic etiam columba, quæ super Christum apparuit in Baptismo, signum erat sanctitatis, & innocentia Christi, sed non quod tunc inciperet, vel cresceret: iam enim ab incarnatione plenus fuerat gratia.

SEPTIMVM est, in quo etiam omnes conueniunt, vt Sacramenta nouæ legis, nō solùm significant sanctificationem, quæ tunc fiat, sed etiam, quæ fiat vi ipsius Sacramenti, ita vt Sacramentum sit causa instrumentalis sanctificationis; id quod postea probandum erit contra hæreticos. Hinc autem excluduntur a ratione Sacramenti linguæ illæ ignæ, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes: significabant enim charitatem ardentissimam, quæ tum Apostolis infunde-

deba-

debaturnà cum sapientia, & eloquentia planè diuina, sed Sacramentum non erant; quia non vi earum linguarum infunde- batur illis charitas. Quæstio solùm remanet, an dari gratiam ex vi Sacramenti, sit proprium Sacramentis nouæ legis, an verò conueniat Sacramentis in genere. Sed de hoc postea agendum erit: nunc satis est conuenire omnes Doctores, quod Sacramenta nouæ legis id habeant.

Est autem hic NOTANDVM, quòd cùm dicimus de ratione Sacramenti esse vt sanctificationem significet, & efficiat; id intelligitur non de actu, sed de naturali aptitudine. Potest enim fieri, vt dū infans baptizatur, nemo sit qui cogitet, quid Sacramentum significet; quocirca nihil tunc actu significabit, tamen ex se aptum erit ad significandum. Potest etiam fieri vt Sacramenti effectus impediatur. Nam cùm quis accedit ad Baptismum, vel alia Sacramenta cum animo perseuerandi in peccato, is certè non sanctificatur actu: tamen Sacramentum verè significare immò etiam efficere sanctificationem dici potest, quia ex se id significat, & efficit: per accidens autem est ex in dispositione suscipientis, vt non sequatur effectus.

OC TAVVM ac postremum, quod ad rationem Sacramenti pertinet, est, ut sit cæremonia religionis stata, ac solennis, quæ hominem Deo consecret. Ita docet S. Thomas in 1. 2. q. 102. art. 5. & facìlè probari potest. Nam vt S. Augustinus docet lib. 19. contra Faustum. cap. 11. & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. Sine Sacramentis religio esse non potest, proinde tam diu durare debent Sacramenta, quam diu religio durat. Quocirca Exod. 12. & alibi, dicuntur Sacramenta eius temporis ritu perpetuo seruanda, id est, nunquam finem habitura, nisi in aduentu Christi, quando vetus ipsum Testamentum finem habiturum erat. Sic etiam 1. Corinth. 11. de Eucharistiæ Sacramento Paulus dicit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Id est, durabit hic ritus, quo mortem Domini commemoramus, donec mundus ipse finiatur, & Dominus ad iudicandum veniat. Non igitur Sacramenta sunt aliqua signa ad breue tempus ostensa, sed solæ cæremonie durabiles, solennes, ac stata.

Atque hinc intelligimus, cur Sacramentum non fuerit illud Christi verbum ad peccatricem: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 7. & illa insufflatio in Apostolos cum illis adiunctis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Ioannis 20. Nam ista Christus semel fecit, non autem inde caeremoniam in Ecclesia frequentandam instituit, & fortè non adhibuit illam insufflationem, & illa verba tanquam instrumenta ad sanctificationem, sed solùm expressit per nuda signa, quod volebat fortè etiam adhibuit ea, vt instrumenta, vt alias lutum ad illuminandum cæcum, & manus impositionem ad curandos ægrotos: sed (vt dixi) adhibuit tunc, quia ita ei placuit, qui potest qualibet re vti ad quidlibet faciendum, non tamen inde caeremoniam instituit, proinde nec Sacramentum. Hæc sunt igitur quæ ad rationem Sacramenti nouæ legis pertinent,

CAPVT DECIMVM.

Possit ne Sacramentum propriè definiri.

His ita constitutis, agendum est de ipsa formali, & artificiosa definitione Sacramenti: ac tria breuiter tractanda sunt. **PRIMO**; An Sacramentum propriè definiri possit. **SECUNDO**; Quæ sit propria definitio Sacramenti. **TERTIO**; An ea conueniat tantùm Sacramentis nostris, an omni Sacramento in genere.

Igitur **PRIMA** quæstio est; An Sacramentum verè, & propriè definiri, an solùm crasso quodam modo describi possit. Ratio difficultatis est, quia Sacramentum vel est aggregatum quoddam per accidens, cum constet ex rebus, de verbis; vel ens rationis, si consideretur formaliter, vt signum ex arbitraria institutione significans. Non possunt autem propriè definiri, nisi entia realia, & quæ sunt vnum per se.

Tres sunt Doctorum sententiæ. **QVIDAM** existimant, Sacramentum propriè definiri non posse ob causas iam dictas. Ita Okam, Maior, Richardus in 4. dist. 1. **ALII** volunt, Sacramentum esse quidem ens rationis, tamen vnum per se: proinde definiri posse saltem imperfectè. Ita Scotus dist. 1. quæst. 2. & Sotus dist. 1. quæst. 1. art. 2. Tametsi enim multa sint in Sacramentis, quæ significant, tamen significatio vna est ex va-
rijs

rijs illis rebus consurgens, quemadmodum vna est figura domus, licet multa sint quæ ad domum faciendam concurrunt. ALII denique volunt Sacramentum propriè definiti posse. Ita Martinus Ledelmus in tractatu de Sacramentis in genere, quæst. 1. art. 2.

Vt autem breuiter dicam quod sentio bifariam considerari possunt Sacramenta. VNO modo, Physicè. ALIO modo, moraliter: quemadmodum etiam homo aliter consideratur à Physico, aliter à Politico.

Et quidem secundum Physicam considerationem, quæ non est propria huius loci, nec multum ad Theologum pertinet, longè probabilissimam esse arbitror sententiam primam. PRIMO, quia ad rationem, & essentiam Sacramenti non pertinet sola significatio, sed etiam res ipsa sensibilis, quæ substantia quedam est, & cum adiuncta significatione ens per accidens constituit. Nam si in sola significatione consisteret essentia Sacramenti, res ipsa sensibilis nihil esset, nisi subiectum Sacramenti. At longè aliud nos docet Ecclesia, cum in Concilio Florentino, & in scriptis omnium Doctorum affirmat Sacramenta constare ex rebus, & verbis, & illas esse materiam, ista esse formam. Quomodo enim ad essentiam Sacramenti non pertinent ea, quæ materia, & forma Sacramenti dicuntur, & sunt?

SECUNDO, Sacramentum, vt Sacramentum, non solum significat, sed etiam sanctificat, vt Catholici omnes docent, de Sacramentis nouæ legis. At significare, & sanctificare, res sunt diuersorum prædicamentorum, nimirum Relationis, & Actionis: non ergo vnum per se facere possunt.

ADDE, quod qui ponunt in Sacramentis realem quandam, & Physicam qualitatem, necessariò coguntur Sacramentum componere ex ente reali, & rationis. Significatio enim Sacramenti, cum ex institutione arbitraria pendeat, nõ potest non esse ens rationis. Quomodo autem esse potest vnum per se id, ad cuius essentiam pertinet ens reale, & ens rationis?

At verò si Sacramentum consideremus moraliter, vt verè à Theologo considerari debet, est ens reale, & suo modo vnum, atque eo modo definiti potest. Vt enim apud morales Philosophos definitur regnum, & ciuitas, & familia, & de his omni-

bus passiones demonstrantur, licet illa omnia sint entia per aggregationem, si Physicè considerentur: ita enim Theologi definiunt Ecclesiam, Concilium, Sacramentum. & alia id genus, licet Physicè ista defini nequeant.

Porrò Sacramentum moraliter idè est vnum, quia est vnum medium, siue instrumentum ad iustificandos homines. Et si enim aqua, & verba, agere, & significare, sint res in se diuersissimæ, tamen vt faciunt vnum instrumentum iustificationis, vnum sunt: atque hoc vnum ex genere, & differentia componi dicitur, & rursus ex materia & forma, ob similitudinem compositi Metaphysici, & Physici, quam habet. Vt enim in composito Metaphysico sunt duo prædicata, vnum vniuersalius, & imperfectius, aliud minus commune, & magis perfectum: sic etiam Sacramentum duo prædicata habet, vnum magis commune, & minus perfectum, nimirum, esse signum. Omne enim Sacramentum signum est, sed nō omne signum est Sacramentum: alterum minus commune, & magis perfectum, nimirum, sanctificans instrumentaliter, & per modum cæremonia: id enim solis Sacramentis conuenit. Proinde signum, est veluti genus, sanctificans, veluti differentia. Paritatem vt in composito Physico sunt duæ partes, quarum neutra prædicatur de toto, & vna est indeterminata altera determinans; illa materia, hæc forma dicitur: sic etiam in Sacramentis sunt res, veluti materia, & verba, veluti forma; quia res ipsa, vt causa exempli, aqua, indifferens ex se ad multa significanda, vel etiam efficienda, per verba determinatur ad vnum significandum, & efficiendum. Vnde est illud AVGVSTINI tract. 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Itaque non oportet nimis anxie discutere, an tota ratio, & omnes proprietates generis, & differentia, materiae quæ ad formam conueniant partibus Sacramenti: quia (vt diximus) non Physicè, sed moraliter Sacramenta à Theologo consideranda sunt.



CAPVT XI.

Quæ sit definitio Sacramenti.

SECUNDA difficultas est; Quibus verbis concipi debeat definitio Sacramenti. Sunt enim plures definitiones apud Theologos, quæ breuiter proponendæ, & explicandæ sunt VNA est; *Signum rei sacra.* ALTERA, paulò explicatior; *Inuisibilis gratiæ visibilis forma.*

Hæ definitiones colliguntur ex AVGVSTINO, ita scribente lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum*, id est, sacrum signum est; & communes sunt apud Catholicos, vt patet ex *Hugone*, lib. 1. parte 9. cap. 2. *Bernardo* in sermone de cœna Domini, *sancto Thoma* 3. part. quæst. 60. artic. 1. & 2. & ex *Thoma VValdensi* tomo 2. cap. 20. Atque hæ quidem definitiones si accipiantur, vt verba absolute sonant, imperfectæ sunt. Multò enim plura sunt signa rerum sacrarum, aut inuisibilis gratiæ, quàm sint Sacramenta: tamen si accipiantur, vt sonant secundum sensum, & intentionem Ecclesiæ, & Doctorum, bonæ sunt, & legitimæ. Siquidem per signum, intelligit signum sensibile, institutum practicum, rei signatæ similitudinem gerens: per rem sacram intelligunt gratiam iustificantem. Quanquam (vt rectè monet *Hugo* loco notato) qui primus dixit Sacramentum esse rei sacrae signum, non tam rem ipsam accuratè definire, quàm nominis interpretacionem explicare voluisse videtur. Quocirca non rectè faciunt, qui pro hac definitione defendèda nimium altercantur: præsertim cum *S. Augustinus* loco citato de Sacramento loquatur, tam ampla significatione, vt etiam sacrificium comprehendat.

TERTIA definitio est *HVGONIS* loco notato, qui sic definit: *Sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam.* Vbi duo notanda sunt. PRIMO, per elementum non debere accipi elementum, quomodo accipitur cum dicimus, quatuor esse mundi elementa, sed rem quamlibet, vt à verbo distinguitur, iuxta illud AVGVSTINI:

Acce-

Accidit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vocat autem Hugo, & quidam alij, elementum, materias omnium Sacramentorum, quia in primo Sacramento, id est, in Baptismo, verum elementum aquæ, materia est: à materia enim primi Sacramenti, materias omnium Sacramentorum nominare voluerunt. Vel etiam quia elementum materiam aptissimè significat, cum sit corpus imperfectum, & natura sua ordinatum ad componendum mixtum: vnde etiam Aristoteles materiam primam elementum vocauit.

SECUNDO notandum est, Hugonem, cum ait: Sacramentum ex sanctificatione vim habere conferendi gratiam, non intelligere per sanctificationem, vt perperam intellexit Kemnitius pag. 94. aliquam benedictionem, vel consecrationem præcedentem, vt est illa, qua benedicatur aqua (nam etiã sine ista benedictione Sacramentum Baptismi conferri potest) sed verbum Dei quod est veluti forma perficiens Sacramentum: illis enim verbis dicitur elementum sanctificari, quia per illa efficitur Sacramentum. Porro hæc definitio, etsi potuisset fortasse paucioribus verbis comprehendi, tamen satis integrè complectitur totam naturam Sacramenti.

QUARTA definitio est MAGISTRI Sententiarum lib. 4. dist. 1. vbi sic ait: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens.*

Quæ definitio, quod ad sensum attinet, nil differt à priori. Solum enim in hac definitione desiderari videtur explicatio signi naturalis, an ex institutione sit; sed hoc manifestè colligitur ex illa particula, *causa existens*. Nullum enim signum sensibile potest esse causa gratiæ, nec illam infallibiliter significare, nisi ex Dei institutione, vt notum est.

QUINTA definitio est CATECHISMI Consilij Tridentini: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quæ definitio pulcherrima est, cum & brevissima sit, & tamen comprehendat omnia illa octo capita, quæ ad naturam Sacramenti pertinere diximus. Nam PRIMO, quod Sacramentum sit signum, patet ex illa particula, *significandæ*. SECUNDO quod sensibile, ex illa, *sensibus subiecta*. TERTIO, quod voluntarium, ex illa, *ex Dei institutione*. QUARTO quod rei sacræ, ex illa: *sanctitatis, & iustitiæ*. QUINTO &

ro, & Sexto quod sanctitatis, quæ tunc fiat ut ipsius Sacramenti, ex illa, *vim habet*. Septimo, quod sit *cereemonia solennis*, ex eo colligitur, quod dicitur esse res sensibus subiecta, instituta ad sanctificandum. Octavo quod similitudinem gerat rei significatæ, non habetur expressè in hac definitione, tamen colligi potest ex illa particula, *significandæ*, & ex illa, *Ex Dei institutione*. Deus enim qui suauiter omnia disponit, nunquam instituit rem vnã ad aliam significandam, nisi cum ea analogiam aliquam haberet.

Exstat alia definitio apud Gratianum, l. q. i. Can. Multi secularium: *Sacramentum est, per quod sub tegumẽto rerum visibilium, diuina virtus secretius salutem operatur*. Hęc definitio à Gratiano tribuitur Gregorio; à s. Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. tribuitur Augustino. Sed nec huius, nec illius est, sed **ISIDORI**: habetur enim ijsdem verbis apud **Isidorum lib. 6. etymologiarum, cap. 18.** nisi fortè Isidorus illam acceperit ex libro aliquo nobis incognito Augustini, aut Gregorij. Sed cuiuscunq; sit, non est cur multum laboremus, cum satis cõstet ab Isidoro allatam, ad explicandam nominis significationem, non ad rem ipsam accuratè definiendam.

CAPVT XII.

An definitio Sacramenti vniuocè conueniat Sacramentis legis veteris, & nouæ.

SEQVITVR TERTIA & postrema quæstio; An definitiones positæ conueniant Sacramento in genere, an Sacramentis tantum nouæ legis. Dux sunt Theologorum sententiæ. PRIMA est Magistri in lib. 4. dist. 1. & ibidem Alberti, Thomæ, Bonauenturæ, & aliorum, qui docent, nullam definitionem cõuenire vniuocè Sacramentis nouæ & veteris legis, sed omnes cõuenire propriè, & perfectè Sacramentis nouæ legis, easdem verò conuenire Sacramentis legis veteris analogicè, & imperfectè.

Fundamentum huius sententiæ est, quia existimant auctores citati, de ratione Sacramenti, etiam in genere, non esse solum significare, sed etiam efficere sanctificationem: & rursus censent, Sacramenta veteris legis non efficere veram sanctificationem, sed solum sanctificationem quãdam legalem, quæ est si-

est figura, veræ sanctificationis, quam solam Sacramenta nouæ legis efficiunt. Ex his enim duobus rectè concludunt. Sacramentum dici analogicè de Sacramentis veteris & nouæ legis, sicut ipsa sanctificatio, ad quam significanda, & faciendam sunt instituta, dicitur analogicè de vera sanctificatione animæ, & de sanctificatione typica, & legali.

ALTERA sententiâ est S. Thomæ 3. part. q: 60. art. 1. & 2. (is enim satis apertè sententiâ mutauit) nec non Dominici à Soto, & Martini Ledesmi dist. 1. q. 1. art. 1. & 2. Qui docent definitionem illam, *sacræ rei signum*, vniuocè conuenire Sacramentis nouæ legis, & veteris: proinde esse illam definitionem Sacramenti in genere.

Fundamentum eorum est, qui existimant ad rationem Sacramenti in genere non requiri, vt sit causa sanctificationis, sed solum, vt eam significet. Porro addunt, Sacramenta legis veteris fuisse verissima signa verissimæ sanctificationis, quia nimirum significabant gratiam iustificantem nobis dandam per Christum. Atque ex his rectè concludunt, Sacramenta legis veteris vniuocè conuenire cum nostris in genere, licet in specie distinguantur; quia nostra efficiunt sanctificationem, vetera non efficiebant. Vtraque sententiâ partim placet, partim etiâ displicet: pono igitur sequentes propositiones.

PRIMA propositio: *Ad rationem Sacramenti in genere non satis est, vt significet, sed requiritur etiâ, vt efficiat sanctitatem, seu sanctificationem: immò magis proprium est Sacramenti sanctificare, quàm significare.* Hęc est pro prima sententiâ. Probatur PRIMO, quia (vt supra diximus) in Testamento veteri Sacramenta rarè dicuntur significare; frequentissimè autem dicuntur cõsecrare, & sanctificare, seu initiare, vt patet Exod. 28 & Leuit. 8. In Testamento etiam nouo Baptismus dicitur lauacrum regenerationis, ad Titum 3. Et certè regenerare magis efficere, quàm significare est.

SECVNDO; ab etymologia: Nam omnia nomina similia Sacramento actionem significant, non signum: vt patet de nomine vestimenti, calceamenti, impedimenti, ornamenti, firmamenti, fundamenti, & ceteris eiusdem formæ, Sacramentum igitur à sacrando dicitur, non à significando.

TERTIO, quia tota ratio, cur posterior sententiâ velit, Sacramentum in genere nihil esse, nisi signum; est illa definitio:

Sacra-

Sacramentum est signum sacræ rei: vbi non tribuitur Sacramento efficere rem sacram, sed solum significare. At iam nos ostendimus istam definitionem non esse perfectam, cum ipse AUGUSTINVS, qui eius est auctor, eam condemnet, quandoquidem vult eam continere etiam sacrificio.

SECUNDA propositio: *Sacramenta veteris legis non ideo Sacramenta sunt, quia significant gratiam iustificantem, sed quia significant & efficiunt sanctitatem legalem.* Hæc est etiam pro prima sententia contra secundam. Et probatur PRIMO ex præcedente conclusione. Si enim ad Sacramentum in genere magis requiritur sanctificare, quam significare, profectò Sacramenta vetera, si villo modo Sacramenta erant non solum significabant, sed etiam efficiebant.

SECUNDO, quia significare gratiam alijs dandam, non est Sacramenti, vt Sacramentum est, sed vt figura, & typus rei futuræ. Nam Sacramentum, vt Sacramentum, dicit ordinem ad eum, qui Sacramento initiatur, non ad alios: vt rectè docet S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. & q. 102. art. 5. figura autem dicit ordinem ad futura. Et confirmatur; quia significare gratiam dandam alijs, non erat proprium Sacramentis veteribus, sed etiam sacrificijs, alijsque obseruantijs Hebræorum, vt S. Augustinus demonstrat. lib. 19. contra Faustum, cap. 8. 9. 10. & 11. Nec solum illa, sed etiam serpens æneus significabat curationem à peccatis, quam Christus allaturus erat, Ioan. 3. Manna dulcedinem Eucharistiæ, & transitus maris rubri, salutem per Captisimum, 1. Cor. 10. & tamen nec serpens ille, nec manna, nec arca Sacramenta erant Testamenti veteris, aut noui.

TERTIA propositio: *Sacramentum est genus vniuersum ad Sacramenta legis veteris, & nouæ; proinde Sacramenta vetera erant simpliciter, & absolute Sacramenta.* Hæc est pro secunda opinione contra primam. Probatur PRIMO. Sacramentum in genere nihil aliud requirit, nisi cæremoniam significantem, & efficientem alicuius consecrationis, seu sanctificationis: non autem requirit, vt illa sanctificatio sit per gratiam mundantem animam à peccatis; ista enim specialis sanctificatio constituit speciem quandam Sacramenti, non id ipsum genus absolute. Sacramenta autem veteris legis verè significabant, & efficiebant quandam consecrationem. Nam per circumcissionem initiabantur Iudæi, & consecrabantur

Deo,

Deo, ut essent populus eius peculiaris; per Vnctionem sacerdotalem verò consecrabantur Deo filij Aaron, ut fungerentur sacerdotio, atque idem de alijs eorum Sacramentis dici potest, de quibus vide S. Thomam, 1. 2. q. 102. artic. 5. Erant igitur illa verè, & propriè Sacramenta.

SECUNDO. Nulla esse potest religio sine Sacramentis, ut S. Augustinus docet, lib. 19. contra Faustum, cap. 11. Sed in Testamento veteri erat vera Ecclesia, vera religio, verum sacrificium, cur igitur non etiam vera Sacramenta?

NEQUE obstat, quòd omnia contingebant Iudæis in figura, 1. Corinth. 10. ac proinde sacrificia, Sacramenta, ritus omnes, typi quidam erant nostri sacrificij, nostrorum Sacramentorum, ac rituum; unde videretur colligi, non fuisse illa sacrificia, & Sacramenta, nisi per analogiam ad nostra. Hoc inquam, non obstat; siquidem Sacramenta Iudaica erant quidem figura Sacramentorum nostrorum, sed non solùm figura, verùm etiã res per se; Itaq; Circumcisio nò solùm erat figura Baptismi, sed etiã erat per se cæremonia instituta ad initiandos homines illius temporis, & adiungèdos populo Dei, quare erat imperfectius Sacramentum, quam sit Baptismus, tam absolutè, & propriè Sacramentum erat. Nam etiam bos est animali imperfectius, quàm sit homo, & tamen bos absolutè & propriè animal est sic etiam: ordinatio Aaronica non solùm figura erat ordinationis nostræ, sed etiam per se cæremonia consecrans homines ad sacrificia offerenda. Et ipsa quoque sacrificia non solùm figura erant sacrificij nostri, sed etiam per se sacrificia, instituta ad cultum Deo exhibendum, ut summo rerum omnium principio, & fini. Denique ipse etiam populus Iudaicus, figura erat populi Christiani, 1. Corinth. 10. tamen quis ambigere potest, an non fuerit etiam per se verus quidam populus?

Itaque non debent cõferri res Iudaicæ cum nostris, ut imago picta cum homine viuo, vbi nihil est imago, nisi res alterius: sed ut filii paruuli conferuntur cum viris perfectis, ut facit Apostolus, Galat. 4. Est enim Filius imago Patris, & tamen etiam per se homo: & ut comparantur certamina, atque exercitationes pueriles cum certaminibus, & exercitationibus virorum: Sunt enim certamina puerilia imagines quædam ma-

iorum certaminum; tamen habent etiam suam oblectationem, & utilitatem illi tempori congruentem.

QUARTA propositio: *Illā definitio (Sacra rei signum) conuenit uniuocè Sacramentis omnibus tum veteribus: tum nouis.* Hæc est pro secunda opinione contra primā. Notandum est autem tribus modis posse exponi definitionem illam. **PRIMO**, ut per signum intelligatur signum practicum; per rem sacram, gratia iustificans. Et hoc modo non conuenit definitio propriè, nisi Sacramentis nouæ legis; veteribus autem solum secundum quid, & analogicè: quia uidelicet illa erant signa practica munditiæ legalis, quæ non est gratia iustificans, nisi typicè, ut imago hominis dicitur homo. Sed ista expositio non est ad mentem S. Augustini, ut supra diximus.

SECUNDO potest sic exponi, ut per signum, intelligatur signum practicum, per rem sacram, consecratio in genere, non descendendo ad iustificationem internam, vel legalem: & hoc modo definitio conuenit uniuocè omnibus Sacramentis. Sed neque hæc expositio est ad mentem sancti Augustini; non enim loquitur ipse de signo practico, ut sanctus Thomas rectè aduertit.

TERTIO potest sic exponi, ut per signum, intelligamus nudum signum; per rem sacram, gratiam iustificantem: & hoc modo conuenit uniuocè definitio illa omnibus Sacramentis; & hoc dicimus in Cōclusionē, sequuti B. Thomam. Ceterum ista definitio, ut supra monuimus, non est perfecta, cum conueniat etiam sacrificio, eodem teste Augustino, loco citato.

Porro definitiones ceteræ, id est, Hugonis, Magistri, & Catechismi Romani, non conueniunt nisi Sacramentis nouæ legis: tamen facillè possent accommodari ad Sacramentum in genere, si loco, *inuisibilis gratiæ*, seu *iustitiæ*, poneretur, *consecrationis cuiusdam*, hoc modo; Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione consecrationis cuiusdam, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.



D

CAPVT

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta Kemnitij.

His autem quæ diximus, facile responderi potest ad calumnias Kemnitij. Is enim in 2. parte Examinis, cap. de numero Sacramentorum, reprehendit omnes definitiones, quas attulimus, excepta illa Catechismi Tridentini, cuius nullam facit mentionem; & præterea addit definitiones duas, vnam Scoti, alteram Gulielmi Okam, quas etiam reprehendit.

PRIMUM igitur, pag 38. arguit definitionem Isidori: *Quo modo, inquit, iuxta hanc definitionem Matrimonium est Sacramentum?* **RESPONDEO.** Aptissime conuenire hanc definitionem Matrimonio: nam sub tegumento visibilium rerum id est, coniunctionis sponsi, & sponsæ, significatur gratia inuisibilis, per quam Deus cum anima iungitur, eam que iustificat, siue iustitiam infundat, siue infusam augeat. Neque his repugnat, quod Apostolus dicit, Matrimonium signum esse coniunctionis Christi cum Ecclesia: siquidem idem Sacramentum plurium rerum signum esse potest.

SECUNDO, arguit definitiones Hugonis, quod non recte Sacramentum dicatur, elementum corporale, quandoquidem Sacramentum Eucharistiæ secundum Catholicos non sit substantia aliqua, sed sola accidentia panis & vini. **RESPONDEO.** Nec ipsa substantia panis, & vini est elementum propriè dictum, id est, corpus simplex, sed mixtum. Sed, vt supra ostendimus, elementum vocauit Hugo rem quamlibet sensibilem, quæ adhibetur ad Sacramenta perficienda.

TERTIO, arguit definitionem Magistri Sententiarum, quod non rectè habeat, Sacramentum esse formam visibilem. Nam in Matrimonio Catholici volunt materiam esse verba expressa consentium: verba autem nec visibilia sunt, nec elementum dici possunt iuxta Hugonem: si elementum distinguitur contra verbum, iuxta illud: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

RESPONDEO. Non desunt Catholici multi, qui materiam in Sacramento Matrimonij esse volunt ipsas personas contractantes, verba autem solum esse formam: proinde materiam visibilem, & quæ elementum dici possit, assignant. Vide Pe-
trum

trum Paludanum in 4. dist. 1. q. 4. Quod si etiam sola verba essent in Sacramento Matrimonij, adhuc nihil efficeret Kemnitij argumentum. Nam verba quoque elementa dici possunt, quatenus materiae locum habent: id enim elementum dicimus, cum de Sacramentis agimus, quod est ex se indeterminatum, & per certa verba, quasi per formam determinatur. Nec minus asserimus verba, visibilia dici posse, cum visibile ad omnia sensibilia, & sensus ipse videndi vsitate ad omnem sensum transferatur. Vt enim docet Augustinus, lib. 10. Confess. cap. 35. recte dicimus; Vide quomodo luceat, quomodo oleat, quomodo sapiat, quam sit durum, quam bene sonet: non tamen contra dicimus; Audi quomodo luceat, gusta quomodo splendeat, olfac quam niteat, palpa quam fulgeat.

QUARTO, arguit easdem duas definitiones, quod non recte habeant, Sacramentum esse signum inuisibilis gratiae, si per gratiam intelligatur gratia gratum faciens. Nam etiam si Richardus disputet in Matrimonio, & Ordinatione, vt in aliis Sacramentis, dari eiusmodi gratiam: *Reliqui tamen*, inquit Kemnitius, *agnoscunt hunc subsistere non posse.* SED hoc est impudens mendacium, vt supra diximus, cap. 2.

QUINTO, arguit definitionem Scoti, & Okam: SED im merito, cum nihil falsi illae contineant, & solum verbis, non autem sententia discrepent a definitione communi.

SEXTO, oppugnat omnes definitiones simul: *Si enim*, inquit, *Sacramentum est signum significans effectum Dei gratuitum efficaciter; quomodo non erunt Sacramenta, benedictio Monachorum, aqua benedicta, rosa benedicta, ensis benedictus, Agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum, imaginum, inunctio regalis, consecratio templi, caemiterij, altaris? &c.* Illa enim sunt certis consecrationibus, & finguntur habere spirituales effectus. SED haec omnia facile refelluntur ex duplici capite. PRIMO, quia nec benedictio Monachorum, nec alia enumerata significant, aut efficiunt gratiam iustificationem, sed alios quosdam effectus, vt deletionem venialium & protectionem contra Dæmonem, quos effectus praecipue habet aqua benedicta. SECUNDO, quia hos ipsos effectus non habent infallibiliter; non enim ex diuina institutione, sed ex Ecclesiae precibus vim habent.

CAPVT XIV.

Refellitur definitio Lutheranorum.

ACCEDAMVS nunc ad excutiendas, & refellendas aduersariorum definitiones: sunt enim in hac re valde discordes; quod est manifestum signum eos recessisse à veritate, quæ est vna. Certè Kemnitijs, qui alioqui conatur tegere, vel conciliare discordias suorum, in secunda parte Examinis, cap. de efficacia Sacramentorum, pag. 96. enumerat quinque diuersas sententias Lutheranorum præter suam, quæ est sexta.

PRIMA igitur sententia Lutheri est in lib. de captiuitate Babilonica, cap. vltimo, vbi dicit, propriè Sacramentū esse promissionem signo externo annexam. Eam recipiunt communiter Lutherani, sed paulò magis explicant. Sic enim definit Apologia Confessionis Augustanæ, art. 13. *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, et cui est addita promissio gratiæ.* Similia habet Petrus Martyr, quāuis alioqui Calvinista, in cap. 4. ad Rom. in cap. 10. & 11. 1. ad Corinth. & in explicatione Symboli Italici, artic. 9. & 10. Sed Martinus Kemnitijs accuratissimè conatur explicare omnia, quæ ad naturam Sacramenti pertinent.

Et quia tum in Apologia, tum in locis Philippus præfatus se nominis interpretationem dare, & sæpe variat verba sue definitionis; vtilius erit ea proponere, & excutere, quæ ad naturam Sacramenti requiri Kemnitijs docet. PRIMO ergo, vult Sacramentum esse debere externum materiale, seu corporale & visibile elementum, seu signum, quod certo externo tractetur.

SECUNDO requirit, vt illud signum habeat expressum mandatum, seu institutionem diuinam.

TERTIO, vt illud mandatum sit in Testamento nouo: quod idem docet Philippus in locis, cap. de Sacramentis, vbi dicit Sacramentum esse cæremoniam in Euangelio institutam.

QUARTO requirit, vt Sacramentum non sit cæremonia temporaria, sed duratura vsque ad mundi consummationem.

QVINTO requiri dicit, promissionem de gratia, effectu seu fructu Sacramenti.

S E X T A

Sexto dicit, eam promissionem debere esse annexam signo, & eo quasi vestitam, diuina ordinatione.

Septimo addit, eam promissionem esse debere non de quocunque dono Dei, sed de reconciliatione peccatoris, & peccati remissione, quam etiam partem vrgent valde Lutherus in captiuit. Babylonica, & Philippus in locis, cap. de numero Sacramentorum.

Octavo requirit, vt promissio, quæ alioqui generalis est, per Sacramentum applicetur, & obsignetur in particulari singulis, qui cum fide vtuntur Sacramentis. Hanc particulam clariùs explicant Lutherus, & Philippus, & ipse etiam Kemnitius infra cap. de efficacia Sacramenti: volunt enim Sacramenta esse testimonia infallibilia gratiæ Dei, ad hoc instituta, vt excitent & nutriant fidem, ad eum modum, quo miracula facere solent. Vnde Philippus in locis anni XXII. comparat Sacramenta miraculis, quibus Deus olim fidem confirmabat: & in Apologia articuli 13. dicit, Sacramentum esse testimoniũ infallibile, ac si Deus nouo miraculo de cælo promitteret, se velle ignoscere. Et Lutherus in lib. contra Cochleum: *Vult, inquit, Petrus per Baptismum, seu signum externũ, fidem prouocari, & exerceri, quæ saluet*; & in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, confert Sacramenta cum vellere Gedeonis, cum Iride, quam Noë in signum accepit, & cum signo quod Isaïas obtulit Regi Achaz, Isaïa 7. In ipsa etiã Confessione Augustana, art. 13. *Sacramenta, inquiunt, sunt instituta, vt sint signa, & testimonia voluntatũ Dei ergo nos ad excitandam, & confirmandam fidem, in his qui vtuntur, proposita.* Et Kemnitius loco citato, pag. 102. & dicit, verbum & Sacramentum monstrare, vbi fides debeat quærere, & inuenire Christum Mediatorem; & pag. 101. & 105. dicit, Sacramenta esse sigilla promissionis. Hæc igitur est ipsorum sententia.

Excogitauit hæc definitionem Kemnitius, vt ostenderet solum Baptismum, & Eucharistiam esse Sacramenta propriè dicta: sed nondum obtinuit quod voluit. Nam faciliè demonstrare possumus, ne his quidem duobus Sacramentis eam definitionem conuenire, & absolutè malam esse.

PRIMA igitur particula vel accipit elementum visibile, & tractabile pro qualibet re sensibili, vt accipiunt Catholici, & tum etiam Absolutio sacerdotalis erit Sacramentum propriè

præ dictum. Est enim Absolutio res sensibilis, cum auribus percipitur: vel accipit (vt reuera accipit) elementum visibile, & tractabile pro re, quæ sensu videndi, & tangendi percipitur; & tum fingit sibi definitionem sine vlllo testimonio Scripturæ Scriptura enim nusquam habet, Sacramentum non esse, nisi rem visibilem, & palpabilem.

Neque alio modo probat Kemnitijs hanc particulam nisi ex eo, quod Baptismus, & Eucharistia, quæ sunt vera Sacramenta, signa sunt visibilia, & tractabilia. Quæ argumentatio aut assumit, quod probandum est, & quod ex ipsa definitione potest idem Kemnitijs probare conatur, nimirum Baptismum, & Eucharistiam sola esse Sacramenta: aut si hoc non assumit, nihil probat. Vt enim non sequitur; Homo & avis sunt bipedia, igitur omne animal est bipes: ita nõ sequitur, Baptismus, & Eucharistia sunt signa visibilia, & tractabilia, igitur omne Sacramentum est signum visibile, & tractabile. Satis est igitur ad Sacramenti naturam, quatenus signum est sensibile, vt aliquo sensu percipitur, nec debet excludi sensus audiendi, cum excellentissima omnium signorum sint ea, quæ hoc sensu percipiuntur, vt S. Augustinus docet, lib. 2. doctrinæ Christianæ, c. 3.

SECUNDA particula, quæ requirit expressum mandatum seu institutionem diuinam, aut requirit, vt hoc mandatum sit expressum in Scripturis, aut satis est, si constet Deum hoc mandatum dedisse, licet in sacris literis non habeatur ita expressè. Si hoc secundum sufficiat, admittimus particulam, sed tunc probabimus omnia septem Sacramenta. Licet enim nusquam scriptum sit, Deum mandasse, vel instituisse Sacramentum Confirmationis, tamen quia legimus, Actor. 8. per manus impositionem Apostolorum datum fuisse baptizatis Spiritum sanctum, idque ordinariè, certò colligimus, à Deo id fuisse institutum: nec enim potest vlla creata potestas efficere, vt per impositionem manus, hominibus detur Spiritus sanctus. Quod idem probare possemus de aliis Sacramentis, accedente præsertim antiqua traditione, & Ecclesiæ declaratione.

Sin autem vult Kemnitijs (vt reuera se velle significat) requiri mandatum Dei expressum in diuinis literis; falsa est hæc particula. Nam per accidens est ad mandatum, siue institutionem diuinam, quod sit scripta, vel non scripta: nam alioquin non

non fuissent vera Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia, quam Christus, & Apostoli dabant antequam scriberentur Euangelia. Siquidem certum est non fuisse scriptum Euangelium, quando Christus baptizabat, Ioan. 3. & quando Eucharistiam discipulis dedit, Matth. 26. nec etiam quando S. Petrus iussit baptizari tria millia hominum, Actor. 2. quo etiam tempore cepit frequentari Sacramentum Eucharistiæ, vt ibidem indicat sanctus Lucas.

TERTIA particula, vt hæc institutio sit in Testamento nouo, vera quidem est absolutè, tamen destruit sententiam aduersariorum. Ipsi enim communi consensu contra communem consensum Ecclesiæ Catholicæ, docent, Baptismus Ioannis habuisse eandem vim, & efficaciam cum Baptismo Christi; ac proinde Christum non tam instituisse Baptismi Sacramentum, quàm illud iam à Ioanne institutum approbasse. Ita Calvinus docet, lib. 4. Instit. cap. 14. §. 7. Kemnitius in 2. par. Examinis, cap. de Baptismo Ioannis, Philippus in locis, cap. de Baptismo Ioannis & Apostolorum.

At certè, si res ita se habet, non est Baptismi Sacramentum in nouo Testamento institutum: noui enim Testamenti auctor, & princeps Christus est, vt Apostolus ait ad Hebr. 9. propter quod & Isaia 11 dicitur Pater futuri seculi, Si igitur Baptismus, quo utimur, à Ioanne cepit, qui ante Christum venit, & eius præcursor, & prænuntius fuit, sequitur vt hoc Sacramentum non sit in nouo Testamento, sed in veteri institutum. *Contrarium docet lib. 1. de bapt. c. 19.*

QUARTA particula, quòd Sacramentum debeat esse cæremonia perpetua, id est, duratura quamdiu religio ipsa durat, mihi non displicet: nam etiam nos supra idem docuimus. Videat tamen Kemnitius quid Luthero respondeat, qui in lib. de capt. Babylon. cap. de Baptismo, numerat inter Sacramentorum cadentem in vellus Gedeonis, & umbram retrocedentem in horologio Achaz.

QUINTA particula, quod ad Sacramentum necessariò requiratur promissio gratiæ, duobus modis intelligi potest. Vno modo de promissione gratiæ, quæ sit effectus Sacramenti, ita vt idem sit; promissio gratiæ in Sacramentis: & institutio Sacramenti, vt signi efficacis, seu instrumenti iustificationis, ALIO modo de promissione gratiæ præcedente,

quæ Sacramento tanquam sigillo obfignetur. Sicut enim aliud est promittere, sigillum aliquod fore efficax ad imprimendum; aliud promittere centum aureos, & syngrapham sigillo obfignare: ita aliud est promittere gratiam verbis, & deinde hanc promissionem signo externo confirmare; aliud verò promittere Sacramentum fore instrumentum efficax ad iustificandum. Porro Kemnitius confundit hæc duo. Nam in hac particula quinta dicit, requiri promissionem de gratia, seu fructu Sacramenti, vbi videtur loqui de promissione efficaciae Sacramenti; tamen infra, vbi cum ceteris Lutheranis dicit, Sacramentum esse sigillum promissionis, loquitur de promissione præcedente, de qua sine dubio loquuntur omnes Lutherani.

Et quidem promissio de efficacia Sacramenti inuenitur in verbo Dei secundum Catholicos, quantum ad omnia Sacramenta; non autem secundum aduersarios. Catholici enim agnoscunt pro verbo Dei, etiam traditiones; aduersarij autem, qui solas scripturas recipiunt, non facile ostendunt promissionem istam de gratia & fructu Sacramenti, in omnibus Sacramentis. Exemplo nobis sit Eucharistia, quæ apud aduersarios etiam est Sacramentum propriè dictum. Nam habentur quidem multæ, & insignes promissiones, Ioan. 6. vt illa: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* Sed aduersarij non admittunt in hoc 6. capite Ioannis, agi de Eucharistia. Sic enim loquitur Lutherus lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Eucharistia: *Primum, inquit, caput 6. Ioannis, in totum est seponendum, vt quod nec syllaba quidem de Sacramento loquitur.* Quod idem docent Calvinus, & alij hæretici huius temporis in commentario eius loci. Eo capite seposito, nullam inuenient promissionem. Nam Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. vbi habetur institutio Sacramenti, non habetur vlla promissio; solum enim hæc verba habentur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et: Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vbi promissio de traditione corporis, & effusione sanguinis non refertur ad Sacramentum, sed ad sacrificium, quod tunc Deo offerebatur in cœna, & postea offerendum erat in cruce. Non enim Dominus dicit, corpus suum dari Apostolis in remissionem peccatorum; sed dari pro illis, nimirum Deo,
in

in remissionem peccatorum; & similiter non dicit sanguinem propinari Apostolis, sed effundi pro illis in remissionem peccatorum.

Promissio autem præcedens, quæ à Sacramento tanquam sigillo obfignetur, non est necessaria, nec in omnibus Sacramentis inuenitur: proinde falsa est ex hac parte definitio aduersariorum. Nam in Baptismo, qui Sacramentum est, omnium consensu, non faciliè inuenietur eiusmodi promissio.

Lutherus in visitatione Saxonica, & Philippus in locis, cap. de Baptismo, adferunt illam promissionem, Marci ultimo: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit.* Sed ista non est promissio præcedens, sed est explicatio efficaciam Sacramenti. Et præterea ista verba post resurrectionem à Domino dicta sunt: Baptismi autem Sacramentum etiam ante passionem Christi institutum est, & in mores induci cœptum, ut patet Ioan. 3. & 4.

DICENT fortasse, haberi aliam promissionem Ioan. 3. illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed hæc non tam promissio, quàm comminatio est, ex qua colligitur quidem necessitas, & virtus Baptismi; sed non promissio aliqua præcedens, quæ Baptismo obfignetur. Adde quòd etiam ante ista verba fuit Baptismus Ioannis, quem aduersarij volunt vim habuisse nostri Baptismi.

Eucharistiam quidem inuenitur promissio quædam (ut Lutherus notat in Saxonica visitatione) præcedens signum. Nam Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. habemus Eucharistiam esse signum corporis Domini pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi. Sed eo loco non habemus, Eucharistiam esse signum reificatiuum, & confirmatiuum promissionis, quale ipsi requirunt, ut patet ex vltima particula; sed signum commemoratiuum tantum. Sic enim Dominus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.*

SEXTA particula, quòd promissio debeat esse annexa signo diuina ordinatione, falsa est. Nam verbum, quod diuina ordinatione annectitur, & quasi vestitur signo, ut inde fiat Sacramentum, nunquam est promissorium, sed assertorium, vel deprecatorium. Cum enim aqua aspergitur in Baptismo, non dicitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit,* quam

aduersarij promissionem appellant; sed dicitur: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matth. 28. quæ verba non sunt promissoria. Et Dominus cum primò Eucharistiam fecit, & dedit, non ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, aut aliquid eiusmodi, sed ait: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*. In Sacramento autem Confirmationis, & Extreme vnctionis, vtimur verbo deprecatorio, quia sic docent nos Acta Apostolorum, cap. 8. & Iacobus cap. 5. in Sacramento Ordinis, imperatorio: *Accipite potestatem*. in reliquis, assertorio.

Quod si aduersarij, antequam Sacramenta ministrent, verbum prædicant, & remissionem peccatorum annuntiant, ac deinde sigillum adhibent Sacramentorum, vt Calvinus præscribit in libello de formula Sacramentorum ministrandorum; id faciunt ex capite suo, non autem (vt Kemnitijs requirit) ex diuina ordinatione. Nusquam enim exstat diuina Ordinatio, qua iubeamur non dare Eucharistiã, aut Baptismum, nisi post concionem. Nam nec Dominus Matth. 26. nec Paulus I. Corinth. 11. vbi tradunt ritum Eucharistiæ administrandæ, docent, concionem præcedere debere: & certè in Baptismo infantium, frustra adhiberetur concio.

SEPTIMA particula, quòd illa promissio debeat esse de remissione peccatorum, falsa etiam est: & quidem Kemnitijs hanc particulam addidit, vt excludat Ordinationem à numero Sacramentorum propriè dictorum. Nam quia in Scripturis inuenitur signum externum, quo confertur Ordinatio, nimirum impositio manus; & etiam collatio gratiæ, cum Apostolus dicat, I. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, non putauit Kemnitijs posse excludi Ordinationem à Sacramentis propriè dictis, nisi adderet, eam gratiã debere esse remissionem peccatorum. At si vera esset ista particula, excluderet etiam Eucharistiam à Sacramentis propriè dictis: siquidem Eucharistia non est instituta propriè ad remittenda peccata, sed ad charitatem nutriendam, & augendam. Idèd enim datur sub specie panis, & vini, quæ nutriunt viuos, non excitant mortuos. & B. Paulus I. Cor. 11. iubet, vt homines probent se, nimirum an sint absq; peccato, antequam ad eam mensam accedant: *Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.*

OCTAVA particula, quòd Sacramentum obfignet instar sigilli, & confirmet instar miraculi promissionem gratiæ, ad excitandam & alendam fidem iustificantem; æquè falsa est, & diligenter refutanda, tum quod sit præcipua, tum etiam, quòd eam ponat Calvinus quoque in sua definitione.

PRIMO, si Sacramenta confirmarent promissiones Dei instar miraculi, vel sigilli, essent notiora, & efficaciora ad fidem persuadendam, quàm sint ipsa Dei verba: hoc autem falsum est, igitur & illa particula falsa est. Probatum propositio, tum quia frustra adhiberetur vnum ad confirmandum aliud nisi esset eo notius, & firmitus: tum etiam, quia hæc est vis sigilli, & miraculi. Semper enim sigillum Regium notius est, & firmitus, quàm literæ Regis: sigillum enim omnes norunt discernere, literas non omnes discernunt; & sigillum sine literis auctoritatem habet, literæ sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius est, & efficacius, quàm prædicatio. Omnes enim qui vident cæcum illuminari, aut mortuum excitari, intelligunt illud esse opus supernaturale, & diuinum, & proinde mouentur ad credendum id, quod tali testimonio confirmatur: non autem omnes, qui audiunt prædicantem, continuo intelligunt, illa esse verba Dei.

Vbi NOTANDVM est, miraculis, quæ fiunt ad confirmandam fidem, non confirmari diuinam auctoritatem, quasi magis credendum sit miraculo, quàm Deo dicenti; omnes enim sciunt, Deum non posse mentiri, & nihil esse maius diuina auctoritate, sed confirmari auctoritatem proponentis fidem. Magis enim mouemur ad credendum verè esse à Deo reuelata, quæ prædicator proponit, si miracula videamus, quàm si sola proponentis auctoritate nitamur. Vnde Marc. ult. legimus: *Illi autem profecti, prædicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Vbi vides, Deum confirmare signis non suam ipsius auctoritatem, sed prædicatorum sermonem.

Probatum iam assumptio argumenti, quòd videlicet falsum sit Sacramèta esse notiora, & efficaciora ipso Dei verbo. Nam PRIMO nihil fingi potest maius, & efficacius Dei verbo. SECUNDO experientia docet, facilius intelligi, si quid verbo dicatur, quàm si nutu significetur. Quid autem sunt Sacramenta, si cum verbis comparentur, nisi nutus quidam? Pari ratio-

ne ex.

ne experientia docet, magis persuadere verba, quàm muta signa, modò nò sint miracula. Vnde Lutherus ipse fatetur, multò efficaciora esse promissionis verba, quàm Sacramenta, quæ sunt muræ conciones: *Verbum ipsum* (inquit in libro contra Ioannem Cochlearum) *quod longè præualet signo visibili, nullum tamen per sese iustificat, nisi credentem.*

RESPONDET Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 3 Sacramenta non confirmare promissiones ex parte Dei, sed ex parte nostra: quia licet ut à Deo sunt, certissimæ sint, tamen ut à nobis recipiuntur, ob nostræ fidei imbecillitatem non ita certo accipiuntur, nisi confirmentur testimonio Sacramentorum.

SED hoc facilè reiicitur. Nam quod promissiones Dei ex parte nostra egeant confirmatione, vel sit, quia nescimus, quæ sint Dei promissiones, id quæ ex Sacramentis discimus, aut quia cum sciamus & illas promissiones Dei, & hæc Sacramenta esse; tamen magis credimus Sacramentis, quàm promissionibus. Atque hoc posterius iam refutatum est. Non enim solum credimus, sed etiam scimus euidentissima ratione, Deum non posse mentiri, proinde nihil esse certius promissionibus Dei, neque id aduersarij negare possunt. Illud autem prius, æquè facilè refutari potest: siquidem falsum est, promissiones Dei disci ex Sacramentis, cum contra potius Sacramenta ex verbo Dei discantur. Iam verò, si sigillum Regium esset ignotum, & solum posset cognosci ex literis, quibus est appensum; esset planè superfluum. Nam vel credunt homines literas illas esse Regis, secluso sigillo, vel non; si credunt, quid facit sigillum? non credunt, certè neque credunt sigillum esse Regium: nihil igitur confert. Pari ratione, cum Sacramenta non sciantur esse Dei sigilla, nisi quia Scriptura hoc dicit, si creditur verbo sine Sacramentis, quorsum Sacramenta? si nò creditur, certè non Sacramenta creduntur esse Sacramenta: proinde nihil operatur.

AD hoc argumentum respondet Calvinus lib. 4. Institut. cap. 14. §. 5. in diplomatibus quoque nihil valere sigillum sine literis, ut patet si appendatur chartæ, in qua nihil sit scriptum; & tamen cum appenditur diplomati scripto, multum valere ad illud confirmandum. Et addit, nihil esse mirandum, si promissiones Sacramentis confirmantur, cum etiam interdum una promissio per aliam confirmetur.

SED hæc responsio non diluit argumentum. Nam ut incipiam

piam à posteriore exemplo, promissio promissionem confirmat, quia vna non pendet ab alia. Confirmavit Angelus, Luc. 1. promissionem conceptus Virginei, ex promissione conceptus, quia iam præcesserat in fœmina anu, & sterili. Non enim pendet inuicè duo ista opera mirabilia: proinde vnũ, quod iam præcesserat, magnam vim habuit ad confirmandum alterum, quod nondum venerat. At Sacramenta, vt diximus, simpliciter pendent ex verbo. Quod verò attinet ad similitudinem sigilli, & diplomatis, nihil omninò est, quod Calvinus dicit. Nam sigillum appensum chartæ non scriptæ, nihil quidem confirmat, tamen non ideò pendet à literis, aut nihil est. Immò hinc intelligimus, quàm ineptè aduersarij Sacramenta sigilla appellant, cum omninò contrariam habeant proprietatem. Nam diplomatum sigilla habent suam auctoritatem sine literis diplomatis, literæ autem non habent sine sigillo: contra verò in verbo, & Sacramentis, verbum Dei etiam sine Sacramentis, infallibilem habet auctoritatem; Sacramenta sine verbo, nullam habent. Quare verbum potius appellandum esset sigillum Sacramenti, quàm Sacramentum, sigillum verbi.

DICENT fortasse; Esto, Sacramenta non confirmant promissiones more miraculi, vel sigilli: tamen iuuant, & confirmant saltem eo modo, quo actio externa iuuat, & confirmat orationem docentis. Negari enim non potest, quin aliquid conferat ad explicandum, & persuadendum ipsa actio, & motus manuum, & oculorum, licet primas partes teneat oratio. Erunt igitur Sacramenta, quasi actio quædam Dei, quæ simul cum verbo, magis mouebit ad fidem, quàm solum verbum.

RESPONDEO, ne id quidem concedi posse. Nam actio in hominibus ideò iuuat orationem, quia oratio humana imperfecta est, vt sunt omnes res creatæ, & etiam quia actio non habet vim suam à verbo, sed à se. Quocirca magis credebant Ethnici oraculis Appollinis, quæ falsa putabant esse nõ posse, quamuis solis verbis ederentur, quàm orationi, & actioni cuiuslibet oratoris. Cum ergo verba Dei sint per se summæ auctoritatis, & Sacramenta omnem vim suam habeant à verbis, nihil addere possunt ipsi verbo.

Verum est tamen, quod Catholici dicunt, Deum voluisse dare gratiam suam per signa sensibilia, vt per ea instrueret homines,

mines,

mines, & deduceret ad intelligenda spiritualia. Aliud enim est docere spiritualia per similitudines rerum corporalium, aliud confirmare rem firmissimam per aliam minus firmam.

SECUNDUM argumentum. Essentia, & natura Sacramentorum non potest aliunde melius colligi, quam ex verbis illius, qui ea instituit. Sed in Scripturis sanctis, quæ sunt verba Dei auctoris Sacramentorum, nusquam dicuntur Sacramenta testimonia promissionum, sed ubique describuntur, vt instrumenta iustificationis. Nam Ioan. 3. dicimur nasci denuò per Baptismum, & similiter ad Ephes. 5. dicit Apostolus, Ecclesiam sanctificatam, & mundatam lauacro aque in verbo vitæ; & ad Tit. 3. vocat Apostolus Baptismum, lauacrum regenerationis, & renouationis. Sic etiam de Eucharistia Ioan. 6. dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; atque idem de aliis probare possemus. Non possunt autem nisi absurdissimè istæ sententiæ ita exponi, vt Sacramenta regenerare, mundare, dare vitam æternam, nihil aliud sit, quam testimonium dare diuinarum promissionum: Quis enim ferret eum, qui ita diceret; Baptismus regenerat, id est, dat testimonium diuinæ voluntatis? vel, Ego te baptizo, id est, ego testifcor? Est quæ hoc argumentum contra Lutheranos efficacissimum: siquidem Lutherus, quem ceteri in hac re libenter sequuntur, in lib. contra Cochlæum, sic ait: *In rebus sacris vehementissimus, & robustissimus locus est, arguere ab auctoritate negatiue*. Vel igitur proferant locum, vbi Sacramenta dicantur testimonia promissionum, aut certè fateantur vehementissimum, & robustissimum argumentum nos habere.

Tria tantum loca proferre solent, quæ speciem aliquam videantur habere. VNVS est Genes. 17. vbi Circumcisio dicitur signum fœderis. ALTER Rom. 4. vbi Circumcisio dicitur signaculum iustitiæ fidei. TERTIVS I. Pet. 3. vbi Petrus dicit, saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, siue (vt ipsi reddunt) stipulatio, vel pactum cum Deo.

SED in his locis non nominatur promissio, vel testimonium, neque hæc loca ad rem faciunt, vt infra ostendemus in solutione argumentorum.

TERTIVM argumentum. Si solùm essent Sacramenta testimonia promissionis, & gratiæ, vel superuacanea, vel certè parum

parum necessaria essent. Nam habemus alia testimonia longè efficaciora: siquidem bona opera sunt testimonia adeptæ iustitiæ longè meliora, quàm ablutio aquæ, vel sumptio Eucharistiæ. Nam multi impij baptizantur ficto corde, & Eucharistiæ sumunt, qui proinde peiores sunt, & magis inuisi Deo, quàm antea. 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 1. Ioan. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est, & qui natus est ex Deo, non peccat.*

QVARTVM argumentum. Si Sacramenta solùm essent testimonia promissionum, ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarentur infantes, & amentes, quos certum est, non modò non credere, sed nec posse credere actu. At Lutherani omnes pugnant pro Baptismo paruulorum contra Anabaptistas: non igitur verè tradunt iidem Lutherani, quid sit Sacramentum. Hoc argumentum coëgit Lutherum in libro contra Cochlaum, & Lutheranos ceteros asserere, infantes actu credere dum baptizantur; quod tamen adeò est absurdum, ut S. Augustinus in epist. 57. ad Dardanum scripserit, eos iniuriam facere humanis sensibus, qui hoc dicunt. Videmus enim infantes ad contactum aquæ sanctæ plorare, refugere, ac reniti, quantum possunt: quod certè si facerent vsum rationis habentes, non modò non purgarentur ab originali peccato, sed adderent etiam proprium actuale.

QVINTVM argumentum. Si Sacramenta essent testimonia gratiæ, quæ in particulari confertur alicui, sæpenumerò falsa essent, nimirum cum Sacramentum ministratur homini, qui fingit se credere, cum reuera nõ credat. Proinde nõ liceret vllum baptizare, ne cogeremus Deum testificari falsum: de nullo enim certò scimus, credatne verè, an fingat se credere.

DICENT fortasse, Sacramentum testimonium esse gratiæ non absolutè, sed si is, qui suscipit Sacramentum, credat promissioni.

SED contrà, probo testimonium esse absolutum, non conditionatum. PRIMO, Lutherus in assert. 1. art. dicit, cum qui non credit verbo ministri dicentis; Ego te baptizo, vel, Ego te absoluo, facere Deum mendacem, cuius illa verba sunt. At si illa verba intelligerentur cum conditione, si aliter credat, non essent falsa, nec fieret Deus mendax.

SECVN-

SECUNDO, si essent illa verba conditionata, rueret fides iustificans Lutheranorum. Nam ipsi volunt hominem debere credere absolute sine vlla hæsitatione, se esse iustum: ergo Deus absolute testatur illum esse iustum; non enim debet homo credere, nisi quod Deus testatur. Et præterea fides debet esse certa, ergo non debet pendere à conditione, si homo credat. Nam nemo certus est secundum Lutherum, de se an verè credat: sic enim scribit Lutherus in libro contra rebaptizantes edito anno M. D. XXVIII. *Baptismus non est fundandus supra fidem baptizantis, vel baptizati, quia vterq, incertus est de fide.* Et infra: *Ita euenit, & solet fieri de fide, ut qui arbitratur se credere, nihil omnino credere sepe conuincatur, & econtrà, qui nihil se putat credere, ut omnium maxime credat.*

TERTIO. Aduersarij ita de hac re loquuntur, ut omnino absolute esse testimonium Dei in Sacramentis credere videantur. Sic enim loquitur Philippus in locis, cap. de Baptismo *Ego, inquit minister, mandato diuino, & loco Christi baptizans, id est, hoc signo testificor ablui peccata tua, & te reconciliatum esse vero Deo, &c.* vbi nullam facit mentionem conditionis, Atque hæc de definitione Lutheranorum.

CAPVT XV.

Refelluntur definitiones Anabaptistarum, & Zuinglianorum.

LTERA sententia de natura Sacramenti est quorundam, quos Lutherus, & Calvinus passim phariseos vocant. Hi docent Sacramenta nihil esse aliud, quàm signa quædam instituta ad discernendum populum Christianum à Iudæis, & paganis, quomodo Romanis olim toga erat signum, quo discernebantur à Grecis, & quo modo nunc diuersæ formæ, & colores vestium distinguunt diuersa genera Monachorum. Auctorem huius sententiæ Andream Carolstadium facit Lutherus in serm. de verbis cænæ: *Hoc est corpus meum.* Qui Andreas fuerat olim et primis Lutheri discipulis, & amicis: quare in secundo scripto contra Regem Angliæ vocat eum suum Absalonem, & Iudam quibus

quòd sicut Absalon Dauidi patri, & Iudas Christo præceptorum, ita Carolstadius sibi rebellis, & infidelis fuerit.

Ab hac sententia non abhorruit initio Philippus Melancthon, ut patet ex locis anno XXII. editis, ubi hanc sententiam probabilem putat. Cap. de signis, in fine: *Probabili*, inquit, & illi voluntati, qui symbolis, seu tessera militibus hæc signa comparauerunt, quod essent notæ tantum, quibus cognoscerentur, ad quos pertinerent promissiones diuinæ. Tametsi postea eam oppugnauerit in Apologia Confessionis art. 13. & in locis ultimo editis.

Vbi NOTANDVM est duas primas sententias, quas Kemnitijs enumerat; VNA videlicet, quòd Sacramenta sint signa, quibus distinguuntur Christiani à non Christianis; ALTERA, quòd sint symbola quædam Christianæ societatis: rectius à Philippo locis notatis, vnam sententiam fieri. Nam illi duo tantum agnoscunt Sacramenta, Baptismum & cœnam. Et Baptismum quidem symbolum faciunt; quo discernamur à non Christianis, cœnam autem symbolum Christianæ inter nos societatis.

Hæc sententia partim est vera, partim etiam falsa. Etsi enim Sacramenta illum usum habeant, quòd distinguunt religionem veram à quibusdã falsis, tamen non est hic solus, vel præcipuus Sacramentorum nostrorum usus. Nam PRIMO in Scripturis nusquam legimus, Baptismum, Eucharistiam, aut alia Sacramenta instituta esse, ut distinguant populum Christianum ab aliis populis: legimus autem frequenter in eum finem esse instituta, ut iustificent homines, Mar. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: Non dixit, discernetur ab aliis, sed saluus erit. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*. Et Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius*. Adde loca supra citata, quæ idem docent, Sacramenta videlicet instituta ad iustificandum.

SECUNDO alia signa sunt meliora ad distinguendum populum Dei ab aliis populis, ut confessio fidei, quæ solis conuenit veris Catholicis; cum Baptismus communis sit cum hæreticis; ut etiam charitas mutua, quæ in solis Catholicis est, cum Sacramenta omnia sint communia cum schismaticis. Quare

E

Domini.

Dominus, Ioannis 13. non ait: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis*, si Baptismum habueritis, aut Eucharistiam, sed si dilectionem habueritis adinuicem.

TERTIO, Sacramēta omnia vim habent ex Christi passione, in cuius rei signū ex latere Domini perfosso manauit sanguis, & aqua, Ioan 19. Aqua enim Baptismum significauit, vt Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 105. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in cap 19. Ioan. Leo epist. 4. cap. 6. Damascenus lib. 4. cap. 10. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, & Augustinus docent, tractat. 120. in Ioan. qui etiam tractat hoc idem probat ex illis verbis Pauli ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* & lib. 15. ciuit cap. 26. idem probat aliis testimoniis. At certè si solūm distinguere debent, quomodo togæ distinguunt, non erat opus Christi passione, sed satis erat humanum beneplacitum.

DENIQUE illa sententia longissimè abest à sensu, & verbis omnium Patrum: quorum nomine vnum AYGVS TINVM ad diamus, quæst. 84. in Leuiticum: *Sine sanctificatione inuisibile gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt?* & lib. 19. contra Faustum, cap. II. *Sacramentorum vni inenarrabiliter vni let plurimum, & ided contempta sacrilegos facit; Impiè quæpe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.*

TERTIA definitio est Anabaptistarum, qui docent, Sacramenta nihil esse aliud, quàm allegorias, & quasi signa quædam bonorum operum, & vitæ ac morum spiritualium. Volunt enim baptizari homines, vt significant debere Christum nos sustinere aduersa, & ipsam mortem pro Christo. Referunt hunc errorem Philippus in locis anni XXXVI. & XLI. cap. de Sacramentis, Ioannes Brentius homil. 23. in cap. 3. Luc. Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 96.

SED nullo negotio hæc sententia refelli potest. Nā etiam hanc utilitatem cum aliis habent Sacramenta, vt admonent homines bonorum operum, & virtutum (nam certè negare non potest, quinmersio in Baptismo, & emerfio, admonent mortis, qua mori debemus peccato, & resurrectionis, qua resurgere debemus ad nouam vitam: cuius rei meminist etiam Apostolus, Rom. 6. & Eucharistia admonet pacis, & amicitie, quæ inter nos esse debet: *Sumus enim vnum corpus, qui de*

quo pane participamus. 1. Corinth. 10. tamen non est iste solus, nec præcipuus Sacramentorum vsus: proinde nec in eo posita est essentia, & natura Sacramenti.

Et probatur hoc iisdem argumentis, quibus aduersus Carolstadium vsi sumus. PRIMO, quia Scriptura dicit, Sacramenta instituta ad iustificandum, 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* SECUNDO, si solum deberent esse allegoriæ, non erat opus, ut manarent ex latere Christi; sufficiebat enim humanum beneplacitum. TERTIO, quia non deerant aliæ vtiliores, & efficaciores admonitiones ad benè viuendum, ut exhortationes, & exempla Christi, & Sanctorum. Adde QUARTO, quòd si ea sententia vera esset, Sacramenta non essent signa nisi futurarum rerum. At sunt etiam signa rerum præteritarum, & præsentium; nam Eucharistia repræsentat Christi mortem, 1. Cor. 11, & Baptismus significat internam abluionem, quæ tunc perficitur, cum exterius baptizamur, iuxta illud Act. 22. *Baptizate, & abluete peccata tua.*

QUARTA definitio est aliorum, qui volunt, Sacramenta esse signa gratiæ, non quæ tunc percipiatur, sed quæ iam antea percepta fuerit. Hanc sine nomine auctoris referunt, & refellunt Zvinglius in lib. de vera, & falsa religione, cap. de Sacramentis, & Kemnitius loco citato in Exam. pag. 96. Et facillè refutari potest; quia Scriptura disertis verbis docet, Sacramenta in præsentem gratiam adferre. Act. 22. *Abluete peccata tua.*

QUINTA definitio est Zvinglij, & sectatorum eius, excepto tamen Petro Martyre, ut supra diximus. Zvinglius igitur in libro de vera, & falsa religione, cap. de Sacramentis, posteaquam refutauit sententiã Catholicorum, & Lutheranorum, aperit mentem suam, ac docet, Sacramenta nihil esse aliud; nisi initiationem quandam, & oppignerationem, qua videlicet homines se obligant Christo, & eius militiæ nomen dant. Ex quo deducit, Sacramenta nõ esse testimonia iustitiæ, præcipuè ei, qui Sacramenta suscipit, ut Lutherani dicebant; sed esse testimonia publicã toti Ecclesiæ de obligatione, & fidelitate; quam ille debet Christo, cui se consecrauit. Eandem sententiam sequitur Martinus Bucerus in commentario 3. cap. Matthæi, & in præfatione secundæ editionis eorundem commentariorum, vbi addit: *Quod si ij, qui baptizantur, sunt prædestinati,*

uati, tum Sacramentum non solum est signum, quod illi dent nomen Christo, & recipiantur in externa Ecclesia, sed etiam adfert quandam consolationem; si verò non sunt prædestinati, tum Sacramentum est nudum signum, quod illi recipiantur in externa Ecclesia, non autem à Deo. Vnde etiam deducit, infantibus non prædestinatis, nihil prodesse Baptismum, sed perire eos, licet sint baptizati.

Hæc sententia similis est superioribus. nam adfert quidem aliquid veri (neque enim negari potest, quin per Sacramenta iniciemur, & nomen Christo demus, & publicè testemur, nos esse membra Ecclesiæ) sed in eo errat, quod nõ agnoscit alium finem sublimiorem institutionis Sacramentorum: & proinde non rectè explicat naturam Sacramenti. Et probatur hoc PRIMO ex sententia Zvinglij, Christus nihil agit, sed solum homo testatur se fore fidelem. At Ioan. I. dicitur: *Hic est qui baptizat.* Et Ephes. 5. *Mundans eam, &c.*

SECUNDO, quia Zvinglius requirit, vt homines antequam Sacramenta recipiant, sint iustificati, & coniuncti Christo interiori, & solum per Sacramenta exteriori testentur, & profiteantur se velle Christo militare, & Ecclesiæ externæ adungi. At Scripturæ testantur Sacramenta esse instituta ad sanctificandum, & mundandum hominem interiori. Id enim significat Apostolus, cum ait, Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad quem locum respiciens S. AVGVSTINVS tract. 80. in Ioannem scripsit: *Vnde hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Item Ioan. 3. & ad Tit. 3. dicitur Baptismus lauacrum regenerationis, & renouationis. Ex quibus locis habemus, per Baptismum hominem renasci, quod ad interiori hominem pertinet, & non solum exteriori testari se esse fidelem. Huc etiam pertinent Scripturæ citatæ contra alios errores, Actor. 2. & 22. I. Cor. 6.

TERTIO probatur hoc idem. Nam Apostolus Rom. 6. aperitissimè dicit, Baptismum significare mortem, & resurrectionem Christi: & I. Cor. 11. dicit Eucharistiã institutam in memoriã passionis Domini: Non igitur Sacramenta significant solum hominem iniciari Deo, vel coniungi cum Ecclesia.

CAPVT XVI.

Refellitur definitio Caluini.

ROSTREMA definitio, ac sententia est Ioannis Caluini, qui lib. 4. Institut. cap. 14. §. 1. his verbis dicit, simplicem, & propriam contineri definitionem Sacramenti: *Sacramentum, externum est symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientis nostræ Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur.*]

Est autem OBSERVANDVM, Caluini sententiam compositam videri ex Lutheri, & Zvvinglij sententiis. Nam quod ait, symbolum obsignare promissiones ad sustinendam fidei imbecillitatem, ex Luthero sumptum est; quod addit in fine, eodem symbolo nos testari apud homines pietatem nostram erga Deum, ex Zvvinglio est acceptum: tamen re ipsa plurimum dissentit Caluinus ab utroque. Nam etiamsi cum Zvvinglio agnoscit, Sacramento nos testari hominibus pietatem nostram, tamen negat hunc esse solum, vel primarium usum Sacramenti, & acerrimè pugnat, cap. 14. à §. 5. vsque ad 14. pro sententia Lutheri, & soluit omnia argumenta, quæ Zvvinglius, & Bucerus faciunt contra Lutherum, tametsi neminem eorum nominat. Pariratione, licet cum Luthero affirmet Sacramenta esse testimonia gratiæ, & remissionis peccatorum: tamen id longè aliter intelligit, quàm Lutherus: Hic enim semper loquitur de gratia, quæ tunc datur homini, cum Sacramenta percipit: at Caluinus loquitur de gratia prædestinationis: ac proinde vult Sacramenta esse testimonia prædestinationis, ad eam fidem alendam instituta, qua homo certò credit se esse prædestinatum; ex quo sequitur id, quod Bucerus dicebat, Sacramenta non esse vera signa, nec prodesse nisi prædestinatis.

Fundamentum autem huius rei est, quod existimet Caluinus (vt ipse fusè tractat. lib. 3. Institut. cap. 2.) veram fidem semel habitam, nunquam posse amitti: hinc enim sequitur veram fidem, sine qua Sacramenta nihil profunt, esse propriam præ-

destinatorum, nec eam vlllo modo haberi posse à non prædestinatis. Vnde in Antidoto Concilij, sess. 6. cap. 5. dicit, Baptismum dari infantibus, quia censentur iam membra Ecclesie, cum sint a Deo adoptati in filios, nimirum per gratiã prædestinationis: & ibidem sess. 7. can. 7. de Baptismo, dicit, Sacramentum reddere nos certos de perpetua adoptionis gratia: & clarissimè in lib. de consensione inter Tigurinos, & Geneuenses in re Sacramentaria, sic ait Calvinus: *Sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exerere in omnibus, qui Sacramenta recipiunt; sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios ad fidem illuminat, quam quos præordinauit ad vitam, na arcana spiritus sui virtute efficit, vt percipiunt electi, quæ offerunt Sacramenta.*

His explicatis refellenda est hæc definitio: tota enim est vitiosa, vt perspicuum erit, si percurramus singula verba. PRIMVM verbum est: *Symbolum externum*. Quod quidè verum est absolute, non tamen in eo sensu, quo accipitur à Caluino. Ille enim intelligit esse nudum symbolum, id est, symbolum quod solum significet, non autem operetur aliquid: nam in tota definitione non ponit alios effectus huius symboli, nisi obsignare Dei promissiones, & testificari pietatem nostram. Neque obstat, quod Calvinus dicat in Antidoto Concilij Tridentini, sessione 7. canone 5. Sacramenta esse instrumenta iustificationis; nam intelligit esse instrumenta, quia excitant, vel alunt fidem: idque non per aliquam efficientiam, sed merè obiectiue. Id quod explicat clarissimè Theodorus Beza, in libro de summa rei Sacramentaria, quæst. 2. cum sic ait: *Vnde efficacia illa Sacramentorum? à Spiritus sancti operatione in solidum, non autem à signis, nisi quatenus externis illis obiectis interiores sensus mouentur.* Hæc ille. Qua ratione certè signa etiam, quæ in foribus publicorum hospitiorum pendent, instrumenta dici possunt cœnationis, quia mouent hominem, vt cogitet in ea domo paratum esse mensam, &c.

At scripturæ passim docent, Sacramenta esse res quasdam operantes, nimirum quæ mundent, lauent, sanctificent, iustificent, regenerent, Ioan. 3. 1. Cor. 6. Ephes. 5. ad Tit. 3. Actor. 2. immò nusquam scripturæ dicunt, Sacramenta esse testimonia promissionum Dei, & nostræ pietatis; aut certè non tam expresse hoc dicunt, vt id quod nos asserimus, nimirum quod sint causæ iustificationis.

ALTE-

ALTERUM verbum est, *benevolentiae erga nos suae*. Quod verbum duplici nomine non rectè ponitur in definitione Sacramenti. PRIMO; Quia ex hoc verbo sequitur, semper Sacramentum esse signum rei praeiitae, seu potius aeternae. Id quod ipse non potest negare, cum per benevolentiam intelligat gratiam praedestinationis: & praeterea id apertè concedit in Antidoto, sess. 6. cap. 5. *Non à Baptismo, inquit, initium habet eorum salus, sed quae iam in verbo fundata erat, Baptismo obfignatur.* Et ibidem: *Nisi enim iam antè ad eos pertineret vitae promissio, Baptismum prophanaret, quisquæ illi daret.* Itaque concedit ipse, Sacramentum esse sigillum praeiitae, immò aeternae Dei benevolentiae. Neque hoc pugnat cum eo quod ipse dicit in Antidoto, sess. 7. can. 4. & 5. & Sacramenta esse instrumenta iustificationis. Nam vult quidem Sacramenta, quatenus fidem sustentant & alunt, confirmare, vel augere iustificationem; (fides enim est, quae iustificat apud ipsos) tamen non vult Sacramentum esse sigillum huius iustificationis, quae habetur per fidem, sed gratiae praedestinationis; nec vult Sacramentum adferre primam iustificationem, sed solum augmentum, & confirmationem, vt clariùs ipse idem docet in paruo Catechismo. Prima enim iustificatio habetur per fidem conceptam ex concione praecedente.

At hoc totum repugnat apertissimis Scripturis, quae tribunt Sacramentis vim adferendi primam iustificationem. Quid enim aliud est regenerare, quod tribuitur Baptismo, Ioã. 3. & ad Tit. 3. quam ex homine mortuo in peccatis, facere hominem viuum vita gratiae? Sed de hoc infra suo loco fusiùs.

DEINDE non rectè ponitur in definitione Sacramenti illa promissio gratiae praedestinationis, tum quia saepe cõtingeret, Deum falsò testificari, tum quia nemo posset sine peccato alium baptizare. Nam baptismum prophanat, (vt Calvinus dicit in Antidoto, sess. 6. cap. 5.) qui illum confert ei, ad quem non pertinet promissio: nam cogit Deum testificari falsum, nimirum se eum diligere, quem reuera non diligit. At nemo potest certus esse de alio, si nẽ praedestinatus, an non: ergo vel neminem debet vllus baptizare, vel temerè, & infideliter agit, cum se periculo exponat prophanandi Baptismum.

AD HOC argumentum responderet Bucerus, ministros non habere

habere intentionem baptizandi, nisi prædestinatos: sic enim ipse dicit in præfatione commentariorum in Matthæum.

AT HOC non satisfacit. Nam IN PRIMIS hoc excusat ministrum, sed non Deum, nisi fortè etiam Deus aliquando baptizet sine intentione baptizandi, quod est ridiculum. DE IN-DE ex sententiâ Lutheranorum, & Calvinistarum omnium, Sacramenta non pendent ab intentione ministri. Scribit enim Lutherus in lib. de captiuitate Babylonica, de Baptismo; Baptismum esse verum, & ratum, etiam si minister intendat non baptizare, sed ludere. Nec dissentit Calvinus in Antidoto Cõcilij, sess. 7. can. 11.

Calvinus aliter RESPONDET, lib. 4. Instit. cap. 15. §. 16. & 17. Deum videlicet ex parte sua verè offerre promissionem, & sigillum promissionis omnibus, qui baptizantur, siue illi recipiant, siue non; proinde Deum semper esse veracem. Nec ministros etiam peccare diceret, si Baptismum conferant iis, qui profitentur se credere, si adulti sint, vel qui filij sint fidelium parentum, si sint infantes; nam filios fidelium, sanctos nasci credit Calvinus, ex illa promissione Dei, Genes. 17. *Ero Deus tui, & seminis tui.* Ratio autem, cur non peccent ministri, est, quia habent probabilem rationem, vnde colligant illos, quos baptizant, esse prædestinatos & sanctos.

SED hæc solutio non satisfacit. Nam IN PRIMIS, si quis Baptismum præbeat ei, ad quem scit non pertinere diuinas promissiones, prophanat Baptismum, vt ipse Calvinus dicit, quia falsum testificatur: cur non prophanat Deus ipse Baptismum, & falsum testificatur, cum illum præbet ei, quem scit se non prædestinasse? Non enim aliud agit hic Deus, aliud minister, sed vnus est, quod agant: Deus enim per ministrum agit, vt patet Ioan. 1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

PRÆTEREA Sacramentum non solùm offert, sed etiam præbet testimonium benevolentia; sic enim idem Calvinus ait in Catechismo paruo: *Sacramentum est diuinæ erga nos benevolentia testificatio.* Præbet igitur Deus sigillum benevolentia; ei, qui baptizatur, etiam si ipse non credat. Nam sine fide non percipitur quidem fructus, & res Sacramenti, tamen percipitur verum Sacramentum, vt Calvinus etiam docet, lib. 4. Institut. cap. 15. vbi contra Anabaptistas agnoscit verum Sacramentum dari, & suscipi apud Catholicos, vbi non

non putat ipse ullam esse veram fidem. Si igitur Deus reuera præbet sigillum, & testimonium beneuolentiæ ei, quem non diligit, quomodo non mentitur, & Sacramentum prophanat?

PRAETEREA, quòd minister peccet, probatur. Nam etiã si habeat probabilem rationem credendi, cum qui profitetur fidem, esse prædestinatum, tamen non habet certitudinem. Potest enim fieri, vt ille mentiatur se credere; potest etiam fieri (vt Calvinus fatetur, lib. 3. Instit. cap. 2. §. 10.) vt putet se credere, & tamen reuera non credat. At ad testificandum nomine Dei aliquid, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio: vt patet in simili de iuramento; non enim licet iuramento, id est, Dei testimonio vti in re, quam opinamur veram, sed solùm in re, quam certissimi sumus esse veram. Imò longè maior adhuc requiri deberet certitudo in Sacramento secundum aduersarios, quàm in iuramento nostro: nam Sacramentum est, quasi iuramentum Dei. Differt autem iuramentum Dei à nostro, quòd cum homo iurat, ipse est, qui asserit aliquid, licet Deum in testem aduocet. Vnde potest esse falsum iuramentum nostrum, sine vlla Dei iniuria; vt si quis iuret, quod putat se certò scire, & tamen re ipsa decipiatur: tunc enim Deus non dat testimonium, nec ille peccat, qui Deum in testem falsitatis citauit, quia credebat omninò se esse certum; vt si fortè vidit vnum ab alio occidi, qui erat simillimus alteri, quem ipse nunquam viderat. At in Sacramentis secundum aduersarios, Deus ipse affirmat, & quodammodò iurat illum, qui Sacramentum suscipit, esse electum, & iustum. Deus autem non potest vllò errore decipi. Ergo grauissimè peccat, qui Sacramentum confert ei, quem non certò scit esse iustum, & electum, quia cogit Deum mentiri.

PRAETEREA etiã si minister certò sciret eum, qui profitetur fidem, vel est filius hominis fidelis, esse iustum, & electum, tamen quid faciet si offeratur illi baptizandus infans, qui sit filius Turcæ, aut Iudæi; & parentes eius, licet infideles, libenter patiantur eum baptizari, & manere apud Christianos? Nam si eum baptizet, prophanat Baptismum, cum nullum habeat signum, quo intelligat illum esse prædestinatum: si verò non baptizet, facit contra vsum totius Ecclesiæ.

SED obiiciet fortassis aliquis pro Caluino, in iisdem angu-

stius versari Catholicos, cum etiam ipsi Sacramenta præbeant
iis, quos nesciunt an sint dispositi, & tamen affirmant, esse si-
gna gratiæ diuinitus instituta.

RESPONDEO; Nullas Catholici patiuntur angustias. Ipsi
enim dicunt, Sacramenta esse causas gratiæ efficaces, nisi po-
natur obex; & simul significare eiusdem gratiæ infusionem,
quantum est ex parte ipsius Sacramenti: denique esse eadem
Sacramenta signa eius effectus, quem facit gratia, ubicunque
adest. Vt enim abluit corpus aqua Baptismi; ita abluit ani-
mam gratia Saluatoris: quod quidem perpetuum, & infalli-
bile est, neque a dispositione pendet. Dispositio enim iuuat, ut
gratiam quis recipiat, sed quod gratia, ubicunque est, abluat
fordes animæ, si quas inueniat, intrinsecum est illi, & insepa-
rabile.

TERTIUM verbum in definitione Caluini erat, *Promissio-
nes*. Et quidem de promissione remissionis peccatorum dis-
seruimus in refutatione definitionis Lutheranorum, sed Cal-
uinus loquitur de promissione beneuolentiæ prædestinatio-
nis, quæ longè facilius refutari potest. Nam nulla exstat eius
modi promissio in tota Scriptura: omnes enim promissiones
includunt conditionem aliquam, ut fidei, aut pœnitentiæ, aut
alterius virtutis, & in his omnibus conditionem perseueran-
tiæ. Nam: *Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.*
Matth. 24. Nemo autem est, qui sine speciali reuelatione si-
promittere possit perseuerantiam.

Atque hinc refutari possunt omnia planè testimonia quæ
illi adferunt. Primarium est illud, Genes. 17. *Ego ero Deus tu-
us, & semini tui post te.* Sed hoc etiam requirit conditio-
nem fidei, & perseuerantiæ; nam: *Semen Abrahæ* (ut expo-
nit Apostolus, Rom. 4. & 9. *non sunt filij carnis, sed fidei,*
est, qui imitantur Abrahamum in fide, illi sunt eius semen,
cum quo intercedit pactum Dei. Et certè, ut quis incipit esse
semen Abrahæ, cum incipit credere, ita desinit esse, si desinat
credere. Quis autem certò sibi potest persuadere, se nunquam
à fide discessurum? præsertim cum & fides, & perseuerantia
fide dona Dei sint.

QUARTUM verbū est: *Conscientiis nostris*, cum quo ver-
bo iungi potest illud aliud, *ad sustinendam fidem imbecillitate-
rem*. Hæc verba non rectè poni in definitione Sacramenti, te-
stat

statuatur Baptismus paruulorum, qui est verissimum Sacramentum, etiam apud Calvinum, & tamen in paruulis non est conscientia, nec actualis fides, ad quam sustentandam sit necessarium Sacramentum. Et sanè si promissio est veluti diploma, & Sacramentum veluti sigillum, conscientia erit veluti charta, vel cera: quomodo igitur, vbi nulla est charta, diploma scribi poterit, vel obsignari? Porro, quod Lutherani dicunt, paruulos actu credere, dum baptizantur, iam est supra refutatum, neque id Calvinus affirmare audeat, tametsi nec reiicere voluerit, vt patet ex lib. 4. Instit. ep. 16. §. 19.

RESPONDET igitur Calvinus, Baptismus paruulorum operari in conscientiis paruulorum, cum primum illi vsu rationis habere incipiunt, etiam si antea collatus fuerit: recordantur enim postea Baptismi accepti, & eo signo nutriunt, & sustentant fidem suam, lib. 4. cap. 16. §. 20. & 21. Quod etiam dicit de illis, qui apud Catholicos baptizati sunt, & postea fiunt Calvinista, lib. 4. cap. 15. §. 17. At saltem rectè probamus, non rectè facere Calvinistas, quòd baptizent infantes: nam longè vtilius esset, eos baptizare adultos, quando fidei sunt capaces. Baptismi enim, quem in infantia accipimus, nullam habemus notitiam, nisi ex narratione aliorum: proinde nec certitudinem habemus, nisi fidei humanæ, quæ fallere potest. Deinde etiam si certissimi essemus, tamen magis mouent res visæ, quàm auditæ; quare melius esset ad fidem alendam, baptizari adultum, quàm infantem. Sed alere fidem est primarius finis, & vsus Baptismi, vt ex definitione patet; malè igitur illi baptizant infantes.

Nec possunt respondere, baptizari infantes, ne fortè pereant antequam adolecant, & eo modo decedant sine gratia Dei: nam Calvinus in Antidoto, sessionis 6. cap. 5. & alibi, docet, paruulos prædestinatos etiam sine Baptismo saluari, nõ prædestinatos autem, etiam cum Baptismo perire.

Nihil igitur dicere potest, nisi baptizari infantes ea solùm de causa, vt admittantur in externa Ecclesia, seu profiteantur se esse membra Ecclesiæ externæ. At hoc etiam non soluit argumentum. Nam ex sententia Caluini lib. 4. Instit. cap. 14. §. 5. & sequentibus, finis principalis Sacramentorum est, obsignare promissiones ad alendam fidem; finis minus principalis est, profiteri se esse membrum Ecclesiæ externæ. Non autem de-

be

bet finis minus principalis impedire finem magis principalem; non igitur debent infantes baptizari apud Calvinistas; siquidem apud eos in Baptismo infantium ob finem minus principalem, impeditur finis magis principalis.

QUINTVM verbum est, *Obsignat*, de quo verbo multa diximus in refutatione sententiæ Lutheri; vt etiam de reliquis verbis supra diximus in refutatione sententiæ Zvinglij. Superest igitur vt argumenta eorum refellamus.

CAPVT XVII.

Refelluntur argumenta aduersariorum.

ARGV MENTA, quibus cùm Lutherani, tum Calvinistæ vtuntur, vt probent Sacramenta esse sigilla promissionū, hæc sunt. PRIMO loco adfert Calvinus lib. 4. cap. 14. Institut. §. 5. verba Apostoli ad Roman. 4 vbi Circumcisionem vocat $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\delta\alpha$, id est sigillum eius pacti, cuius fide iam antea Abraham fuerat iustificatus.

RESPONDEO PRIMO; Quæ de sola Circumcisione dicuntur, non possunt trahi rectè ad omnia Sacramenta. Rectè enim argumentamur à genere ad speciem, non contrà.

SECUNDO; Apostolus nullam facit mentionem promissionis, aut pacti, cùm loquitur de sigillo Circumcisionis: vocat enim eam sigillum iustitiæ fidei, non sigillum promissionis, & pacti. Vocatur autem sigillum iustitiæ fidei, vel quia (vt Origenes in hunc locum scribit) Circumcisio obsignabat, & claudebat iustitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat id est, sub figura, & typo Circumcisionis illius carnalis occultè significabatur, & proinde velabatur Circumcisio cordis, quæ est vera iustificatio, quâ Christus allaturus erat: vel, (vt Chrysostomus, & Theophylactus, & alij docent) vocatur sigillum iustitiæ fidei, quia fuit data Abrahamo in signum, & testimonium iustitiæ, quam sibi acquisierat per fidem.

TERTIO dico; Fuisse hoc priuilegium solius Abrahamæ, & non posse transferri ad alios, quasi Circumcisio (vt hæretici volunt) in quocunque esset, testificatio esset iustitiæ illius. Nam priuilegium Abrahamæ fuit, vt ipse esset pater omnium fidelium, tam præputiatorum, quàm Circumcisorum. Et quia iam

erat pater præputiatorum fidelium, quia fidem habuerat adhuc præputiatus existens, vt patet Genes. 12. & ex hoc loco Pauli: *Accepit ipse primus omnium signum Circumcisionis, vt hoc modo esset etiam pater omnium circumcisorum.* Quia verò hoc priuilegium habuit merito iustitiæ, quam acquisierat per fidem, idèd fuit illi signum Circumcisionis sigillum iustitiæ fidei. Porro, ceteris Iudæis Circumcisio est quidem signum quoddam, nimirum quod sint filij Abrahæ, sed non est illis sigillum iustitiæ fidei, sicut non sunt omnes Iudæi patres multarum gentium.

Hæc esse vera, patet PRIMO; Quia Paulus hæc duo coniungit, cum ait: *Accepit signum Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, vt sit pater omnium credentium.* Non igitur habent signaculum iustitiæ fidei omnes circumcisi, cum non omnes sint patres omnium fidelium.

SECUNDO; Quia Paulus distinguit signum à signaculo, seu sigillo. Nam cum ait: *Accepit signum Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei;* pro signo, in Græco est *σημεῖον*, quod signum in genere significat; pro signaculo est *σφραγίς*, quod propriè sigillū exprimit. Cur autè distinxit hæc vocabula, nisi vt indicaret Circumcisionem semper, & omnibus esse signum quoddam, non tamen omnibus, sed soli Abrahæ fuisse sigillum iustitiæ.

TERTIO; Scriptura, cum sæpissimè loquatur de Circumcisione, nusquam tamen vocat sigillum, nisi hoc loco, vbi de Abrahamo agitur: quod est argumentum manifestum, soli Abrahamo fuisse Circumcisionem sigillum. Ac certè, cap. 3. ad Romanos, cum Paulus quæreret: *Quæ utilitas Circumcisionis?* & responderet: *Multum per omnem modum.* debuisset secundum aduersarios primo loco ponere hanc primariã utilitatem, quod sit sigillum diuinæ promissionis: at huius ne meminit quidem.

SECUNDVM argumentum Calvinus, ibidem §. 6. sumit ex Genes. 9. vbi arcus cœlestis dicitur signū fœderis inter Deum, & Noë; & ex cap. 17. vbi Circumcisio dicitur signum fœderis inter Deum, & Abraham, posterosque illius. Si enim iris, & Circumcisio sigilla fuerunt confirmantia pactum, ac promissionem Dei, cur non idem de Baptismo, & Euchristiadicij possit.

possit. Et confirmat argumentum, quia inter homines quoque id usitatum est, ut pacta sanciantur signo externo, ut porca caesa, vel contactu dexteræ, quæ signa nihil essent, nisi præcederent verba pacti.

RESPONDEO; Iridis, & Circumcisio signa fœderis erant, sed ad memoriam iuuandam, non ad fidem confirmandam: quemadmodum nos etiam supra docuimus, Baptismū, & Eucharistiā esse signa commemoratiua passionis, & mortis Domini. Multum autem interest, inter signum commemoratiuum, & confirmatiuum. Nam signum commemoratiuum esse potest id, quod oculis obicitur; etiam si tota eius efficacia pendeat a promissione, at signum confirmatiuum non potest esse, omnino pendeat a promissione. Fuisse autem signa commemoratiua tantum, Iridem, & Circumcisionem, patet. Nam in pendebant a verbo Dei, ut si quis non crederet verbo Dei, aut non crederet illud esse verbū Dei, non etiam crederet illa esse signa; & contra, si quis crederet verbo, non egeret illis signis.

Adde quod S. IOANNES CHRYSOSTOMVS ita exposuit hæc loca: sic enim ait de Circumcisione, homil. 39 in Genes. *Datum inquit, eis perpetuo memoriali inierit cum eis Circumcisionis signum.* Et infra dicit, signum Circumcisionis non esse datum a Deo, ut homines ei crederent, sed fuisse postulatum a Deo ab hominibus, quia Deus non credebat hominibus: *Quando, inquit, non habemus aliquibus fidem, curamus, ut ad ipsos signum, pignori loco accipiamus: similiter et omnium Dominus sciens mentium inconstantiam, hoc ab eis signum petere voluit.* Hæc ille. Porro de signo Iridis, homil. 28 in Genesim, sic loquitur: *Quid dicit: inquit, o beate Propheta Recordabor, inquit, Testamenti mei, id est, pacti mei, promissionis, pollicitationis: non quia ipse opus habeat recordationis, sed ut nos ad illud signum respicientes, nihil durum suspicemur, sed statim recordemur diuinæ promissionis, et roboramur, et confidamus.*

SED obiicies eundem Chrysostomum ibidem, qui sic ait: *Si sermo meus non sufficit, ecce et signum do, etc.* vbi videtur velle, Iridem fuisse signum confirmatiuum. Sed hæc obiectio paulò post diluetur.

Ad confirmationem ex humana consuetudine RESPONDEO, multum interesse inter pacta Dei, & hominum. Nam ad
homi

homine, quia non videmus eius animum, & timemus, ne forte nos decipiat, aut obliuiscatur pacti, quærimus signū externum, vt eo illū conuincamus, si negauerit, aut oblitus fuerit: at Deum non posse fallere, vel obliuisci, certissimi sumus.

TERTIUM argumentum sumit Lutherus in libro de Babylonica captiuitate, cap. de Baptismo, ex signis mirabilibus, quibus Deus confirmare solitus est promissiones suas: quale fuit signum in rore, & vellere datum Gedeoni, Iudicum 6. & in umbra horologii retrocedente datum Ezechia, 3. Reg. 20.

SED hæc & similia non sunt ad rem. Nam miracula, quia non pendent à verbo, sed ex se vim habent, cum sint opera supra naturam; ideo rectè adhibentur ad probandum, Deum esse, qui promisit, vel Deum reuera aliquid promisisse: Sacramenta verò nullam vim habent (vt supra diximus) sine verbo. Atque hinc intelligimus, cur CHRYSOSTOMVS putauerit, Iridem esse signum: non tantum memoriale, sed etiam confirmatiuum. Existimauit enim ipse Iridem rem esse nouo miraculo institutam; sic enim ait: *Etsi aquarum magna sit inundantia, neque sic metuendum, sed confidendum nobis ad miraculum respicientibus.* Hæc ille. Quia tamen probabilius est, Iridem rem esse naturalem, ideo diximus, signū fuisse tantum memoriale.

QUARTUM argumentum sumunt Lutherani ex illis verbis prioris epistolæ Petri capite tertio: *Quod et vos similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum.* Lutherus enim in cõmentatio huius loci, Græcam vocem ἐπερωτάματα, quam noster interpret vertit interrogationem, vult significare pactum, & hoc modo exponit: *Baptismus saluos nos facit, non quatenus lauat corpus, sed quatenus obsignat pactū, quod habet anima cū Deo, dum fide accipit promissiones eius.* Ex quo sequitur, Baptismum esse sigillum promissionis. Eodem ferè modo exponit Calvinus, licet vocem ἐπερωτάματα, non pactum, sed responsionem, & testimonium significare velit.

RESPONDEO; Locus hic præsens admodum obscurus est, tamen nihil iuuat causam aduersariorum. Oecumenius in commentario huius loci, per interrogationem videtur intelligere pignus, & arrabonem. Dicit enim Baptisma esse quasi pignus

pignus bonæ conscientia, id est, qui Deo inspirante conceperunt bonum desiderium, illi vitam immaculatam sectantur, eamque ubique exquirunt, & de ea interrogant: unde cum audierint per Baptismum mundari animas, mox accurrunt ad Baptismum, ut purgentur sordes ipsorum, atque hac ratione est Baptisma pignus bonæ conscientia.

Hæc expositio non fauet hæreticis, ut patet; tamen non videtur ad mentem S. Petri. Nam S. Petrus longè ampliùs tribuit Baptismo, quàm ut sit pignus bonæ conscientia, cum ait, per Baptismum nos saluari.

Est ALIA expositio Lyrani, Gagnæi, & Ioannis à Louanio, qui per interrogationem bonæ conscientia, intelligunt interrogationes, & responsiones, quæ fiunt ante Baptismum. Interrogat enim sacerdos catechumenum; Credis in Deum? Respondet, Credo. Abrenuncias Satanæ, & pompis eius? Abrenuncio, &c. Qui enim bona conscientia respondent his interrogationibus, illis prodest Baptismus; aliis non prodest.

Hæc etiam non fauet hæreticis, sed non videtur literaliter nec est Ambrosij, Basilij, & Augustini, ut putauit Ioannes à Louanio. nã beatus Petrus antithesin facit, cum ait: *Non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio.* Et sine dubio formalis Antithesis hæc erat futura; Non ablutio sordium carnis, sed ablutio sordium mentis: qua antithesi distinguitur Baptismus noster à Baptismo Iudæorum, qui erat exterior tantum. Porro illa pars huius antithesis, nimirum (ablutio sordium mentis) à beato Petro non est expressa propriis verbis, sed figuratis, ut omnes concedunt. Oportet igitur describam esse per causam, vel per effectum: si per effectum tunc non habet locum expositio istorum. Nam interrogatio illa, & responsio, de qua ipsi agunt, siue etiam fides, & charitas, quæ per illas interrogationes, & responsiones deteguntur, præcedunt Baptismum, & proinde abluionem mentis quam facit Baptismus: non igitur sunt effectus illius abluionis. Ergo necesse est ut dicant, illam abluionem describi per causam, ac proinde interrogationem illam, quæ præcedit Baptismum, esse causam illius abluionis. At hoc dici non potest. Nam tunc Sacramentum haberet efficaciam ex opere operantis, non ex opere operato; tribueretur enim iustificatio præcedenti fidei, & dilectioni suscipientis Baptismum, non ipsi abluio

lutioni Sacramentali: nec esse differentiam inter Baptismum nostrum, & Iudaicum; nam Baptismus Iudaicus, licet ex opere operato nō iustificaret, tamen ex fide, & dilectione suscipientis iustificare poterat, ut quodlibet opus meritorium.

DICENT fortasse, interrogationem, seu fidem præcedentem non esse causam efficientem ablutiois internæ, sed esse dispositionem. At istud quidem rectè dicitur, sed non quadrat verbis Apostoli: ipse enim tribuit efficientiam huic interrogationi bonæ conscientiæ, maiorem, quàm ipsi ablutiois externæ, quæ tamen instrumentum est iustificationis.

Estigitur ALIA expositio, quam puto esse Sanctorum, Augustini tract 80 in Ioan. & serm. 30. de verbis Domini, & Basilij libro de Spiritu sancto, cap. 15. ut videlicet exprimat a sancto Petro ablutio mentis, quæ per antithesin opponitur ablutiois carnis, non per causam, ut volebat præcedens opinio, sed per effectum. Est enim vsitatissima figura metonymia, qua per effectum intelligamus causam. Vocatigitur Petrus ablutioem internam, interrogationem, seu responsionem bonæ conscientiæ in Deum, quia ex illa munditia oritur pax, & quies conscientiæ; & proinde responsio bonæ conscientiæ, & etiã interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia Deum accedere, & interrogare, id est, cum eo colloqui, eum quærogare pro se, & pro aliis,

Adde SECVNDO, locum hunc non fauere aduersarijs, sed nobis etiam si per ἑπερώτημα accipiatur testimonium, verbum pactum. Nam INFRIMIS sanctus Petrus non loquitur de testimonio, vel pacto Dei, sed conscientiæ nostræ: ipsi autem probare deberent, Sacramentum esse sigillum testimonij, seu pacti Dei. Multum autem interest inter testimonium, seu pactum Dei, quod illi obsignari volunt Sacramento, & testimonium, seu pactum conscientiæ nostræ. Illud enim est verbum Dei scriptum, quod præcedit Sacramenti vsum, & fructum, id est, iustificationem: testimonium autem conscientiæ sequitur iustificationem, & proinde Sacramenti vsum, & fructum.

SECVNDO; Sanctus Petrus non dicit, Baptismo obsignari pactum, seu testimonium; sed dicit, saluari animas, & effici iustificationem, ex quo oritur testimonium bonæ conscientiæ. Id quod probatur ex illo verbo, *simili formæ*, Vult enim

A postolus eo modo nos saluari per aquas Baptismi, quomodo per aquas diluuij saluati sunt, qui erant in arca Noë. Porro aqua diluuij non saluârunt arcam Noë, testificando, vel obsignando promissiones, sed reipsa eleuando arcam in sublimem, ne obrueretur cum ceteris ædificijs huius mundi: sic igitur & Baptismus saluos nos facit, non obsignando, & testificando, sed reipsa iustificando animam; vnde sequitur, vultis testimonium; siue interrogatio conscientia bonam Deum.

QUINTVM argumentum esse posset pro aduersarijs, testimonium sanctorum Patrum, qui non raro Sacramenta vocant sigilla, seu signacula.

RESPONDEO; Longè alia significatione loquuntur Patres de signaculis Sacramentorum, quam hæretici faciunt. Patres enim nunquam Sacramenta vocant sigilla, vel sigilla promissionum Dei, vt hæretici volunt. Primum quo horum trium modorum loquuntur de signaculis. Primum signacula vocant Sacramenta, quia obsignant fideles tanquam nota quædam eos separant ab ijs, qui non sunt in grege, vel de exercitu Domini. Ita accipit hanc vocem beatus filius in exhortatione ad Baptismum: item Hieronymus cap. 4. ad Ephes. & Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 1. & alibi passim. Ita quoque accipit Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptismo, non procul ab initio, vbi dicit, Baptismum vocari posse sigillum, quia ita conseruat hominem baptizatum, vt noua regia conseruant res obsignatas. Nempe enim audet contingere eas quæ magni alicuius Regis sigillum habent.

SECUNDO vocant Sacramenta signacula, quia claudunt intra se rem sacram id est, inuisibilem gratiam. Id enim quod clauditur, obsignari solet, iuxta illud Apocalypsis. *Liber signatus, sigillis septem.* Atque hac significatione vocat Augustinus Sacramenta sacra signacula in libro de catechizandis rudibus, capite 26. & Scholastici, sigillum Confessionis. Hoc etiam ferè modo Gregorius Nazianzenus, in oratione de Baptismo, prope finem, vocat sigillum Baptisma, eò quòd obsignet, & claudat multa mysteria quæ solis fidelibus deteguntur: *Cetera, inquit, intus ab*

discer

discis, quæ etiam ipsa apud teipsum occulta, clausa, habetur, Baptismo obsignata, atq. reverentia.

TERTIO vocant Baptismum sigillum, vel obsignationem fidei, quia Baptismus est publica approbatio, & testificatio fidei eius, qui baptizatur. Sic enim vtitur hac voce Tertullianus in libro de Pœnitentia, vbi dicit catechumenus diu probari an credant, & tandem ibi constiterit, eos verè, & constanter credere, Baptismum illis dari in obsignationem, & approbationem fidei. Quomodo etiam vtitur eadem voce Basiliius in 3. libro contra Euhomium, vbi dicit, primùm oportere credere, & tum demum accipere sigillum fidei Baptismum. In libro quoque de Spiritu sancto, cap. 12. vocat Baptismum sigillum fidei, quia is qui baptizatur, eo signo testificatur se credere.

DE NIQVE vocari potest etiam Baptismus sigillum fidei, quia perficit, & absoluit quodammodò hominem fidelem: quomodo veteres vocabant mortem, seu occisionem pro Christo, signaculum maryrij, vt Eusebius refert libro 5. historiarum, capite 3. Confessio enim Martyrum, & supplicia pro Christo non habent perfectam laudem, dum periculum est inconstantia, & mutationis, sed tunc demum perfecta, & quasi sigillo quodam munita, & obsignata censentur, quando morte pretiosa consummantur. Atque hæc tenentur de definitione.

* * *



F 2

CONTRO.

CONTROVERSI TERTIA.

De causis Sacramenti.

CAPVT XVIII.

Sacramenta componi ex rebus, & verbis, vt materia, & forma.

DE CAUSSIS SACRAMENTI DISPUTATUR, PRIMVM de intrinsecis causis dicemus, DEINDE de extrinsecis, ac de intrinsecis tractabuntur quæstiones. PRIMÆ; An Sacramenta consistant ex rebus, vt materia, & verbis, vt forma. SECUNDÆ; Quæ sint illæ res, & illa verba. TERTIÆ; An illæ, & verba ita determinata sint, vt nihil in eis mutari possit.

PRIMÆ quæstio; Vtrum Sacramenta consistant ex rebus, & verbis, tanquam materia, & forma; etsi solum inter Catholicos disputatur, non tam ob discordiam eorum, quam vt res explicetur: est tamen quæstio utilissima, vel etiam necessaria propter calumnias hæreticorum, qui ex hoc dogmate Catholicorum, quo requirimus res, & verba in Sacramentis, conantur ostendere, multa non esse Sacramenta ex his, quæ nos habemus pro Sacramentis. Sunt igitur variæ Doctorum sententiæ.

PRIMÆ est quorundam recentiorum, qui volunt propriam in Sacramentis materiam, & formam non esse res & verba, sed rem sensibilem esse materiam, siue sit res, siue verbum, siue utrumque significationem autem esse formam. Quod verum communiter dicitur, rem in Sacramento esse materiam, verbum esse formam, volunt explicandum esse de Sacramento materialiter sumpto. Ita docet Dominicus à Soto in 4. dist. 1. q. 1. artic. 1. & 2. quod idem videtur dicere Caietanus in 3. part. q. 60. art. 6. nisi quod Caietanus affirmat, significationem Sacramenti

menti esse vnam & simplicem, resultatem ex composito sensibili ex rebus, & verbis; quod Sotus non dicit.

ALTERA sententia est aliorum, qui docent Sacramentum ipsum, & non solum eius partem materialem, constare ex rebus vt materia, & verbis vt forma. Ita sanctus Thomas 3. parte quaest. 60. artic. 6. ad secundum, & veteres Theologi communiter.

RVRSVS quidam existimant, non omnia Sacramenta constare rebus, & verbis, sed solum quaedam. Ita Durandus in 4. dist. 1. quaest. 3. & Adrianus q. 2. de Baptismo.

ALII docent omnia Sacramenta nouae legis, constare rebus, & verbis. Ita Alexander Alensis 4. parte summae, quaest. 3. memb. 3. art. 1. & 3. & Theologi communiter in 4. dist. 1. vel 3.

ALII denique volunt omnia Sacramenta constare rebus, & verbis, si res, & verba accipiantur largo modo pro ijs signis, quae aut sunt verae res, & vera verba, aut certe vicem eorum gerunt; si vero accipiantur in rigore, non constare omnia Sacramenta rebus, & verbis. Ita docet Dominicus à Soto in 4. dist. 1. quaest. 1. art. 6. & alij quidam recentiores. Sed istae opiniones magna ex parte conciliari possunt.

Sit igitur PRIMA propositio: *Sacramenta veteris legis probabile est non habuisse res, et verba, sed solas res.* Haec est sancti Thomae 3. parte, quaest. 60. art. 6. ad vltimum. Ratio est, quia in Scriptura veteri, vbi praescribuntur praecipui ritus Sacramentorum, nulla fit mentio verborum, vt patet Genes. 17. vbi praescribitur ritus Circumcisionis. Exod. 12. vbi praescribitur ritus Agni Paschalis. Leuit. 8. vbi praescribitur ritus Ordinationis. Praeterea ratio postulare videbatur, vt Sacramenta noua ab ipso Christo instituta, signa essent clariora, quam vetera, quae Moses, vt Dei minister instituit.

Posset OBJICI, quod Leuit. 4. vbi praescribuntur sacrificia pro peccato (quae erant etiam Sacramenta Testamenti veteris, ac respondebant Sacramento nostro Poenitentiae, vt sanctus Thomas docet, 1. 2. q. 102. art. 1.) praescribitur etiam, vt oraret sacerdos pro ijs, quorum est sacrificium, sed respondetur, orationem illam sacerdotis non fuisse de essentia sacrificij pro peccato, sed solum addi debuisse in vsu, seu administratione Sacramenti illius ad facilius impetrandum. Id quod ex eo colligitur, quod, vt ibidem habemus, in sacrificio pro peccato

cato sacerdotis nulla oratio adhibebatur, sed solum in sacrificio pro peccato aliorum de populo. Illud autem quod habetur Num. 5. de verbis praescriptis in caeremonia Zelotypiae, non est ad rem. Illa enim caeremonia non erat Sacramentum, cum non esset instituta ad sanctificandum, sed ad inuestigandum, & puniendum adulterium.

SECUNDA propositio: *In Sacramentis omnibus nouae legis inueniuntur res, ut materia, et verba, ut forma.* Haec propositio saltem quoad modum loquendi, negari non debet. Habetur enim expressè in Concilio Florentino, in instructione Armenorum, quae facta est, ipso approbante Concilio, ut ibidem legimus. *PRAETEREA* habemus in Scripturis, expressè res, & verba in quatuor Sacramentis, nimirum in Baptismo Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* In Eucharistia, Matth. 26. vbi ponitur panis, & verbum, *Hoc est corpus meum.* In Confirmatione, Actor. 8. vbi ponitur manus impositio, & oratio, quae verbis fit. In Extrema unctione, Iacobi 5. vbi ponitur unctio, & oratio. Creditur igitur est alia etiam Sacramenta constare rebus, & verbis licet non habeantur ita expressè in Scripturis. *ITEM* communis sententia veterum Theologorum, vno Durando vel alijs paucis exceptis, quorum loquendi modus corrigendus est, licet in re non multum discrepent à ceteris.

TERTIA propositio: *Non solum quod est materia in Sacramento, sed ipsum totum Sacramentum rectè dicitur constare ex rebus, ut materia, et verba, ut forma.* Haec est aliquo modo contra Caietanum, & Scotum: quamquam quod ipsi dicunt, etiam aliquo modo sit verum.

NOTANDUM igitur, Sacramentum propriè non est compositum aliquod Physicum, neque artificiosum, sed cum utroque habere similitudinem quandam. Et quidem si conferatur cum composito artificioso, tum sine dubio forma eius partim est significatio, partim virtus operatiua materia verò sunt res ipsae, & verba, in quibus residet significatio, & virtus illa operatiua. Ut enim in composito artificioso tota substantia dicitur materia, forma verò est quoddam accidens: ita Sacramentum, ut signum, formaliter dicitur significationem; ut causa, dicitur vim operatiuam; reliqua omnia ad materiam, seu subiectum pertinent.

Et hoc modo accipiendō Sacramenta, rectè dicunt Caieta-
nus & Sotus.

Tamen potest etiam Sacramentum considerari, vt est si-
mile composito Physico. Nam vt in cōposito Physico materia
præcedit: forma accedit, ita in Sacramento accedit verbum
ad elementum. ITEM vt in composito Physico materia est in-
determinata, sed coarctatur à forma; ita in Sacramēto verbum
determinat indifferentiam element. DENIQUE, vt in compositō
Physico materia est imperfecta, forma est perfecta, & dat
esse rei; ita in Sacramēto verba sunt rebus perfectiora, cū sint
signa multò clariora, & præstantiora.

Et hoc modo totum verbum cum sua significatione est for-
ma, & totum elementum cum sua significatione, est materia.
Id quod probatur PRIMO, quia ita loquitur Cōcilium Flo-
rentinum, & veteres Theologi. Nam ipsi dicunt, Sacramentū
constitui ex re, & verbo, vt ex materia, & forma. At remota si-
gnificatione, nulla est compositio ex re, & verbo; non enim est
alia coniunctio rerum, & verborum, nisi quatenus rei signifi-
catio indeterminata, determinatur per significationem verbi.
Non igitur Concilium, & Theologi volunt solum subiectum
significationis constitui ex rebus, & verbis, sed totum ipsum
Sacramentum etiam vt signum est formaliter.

PRAETEREA compositio ex re sensibili, & significatione, nō
est compositio ex materia & forma, vt partibus essentialibus,
sed est compositio ex subiecto, & accidente. At Concilium, &
Theologi dicunt, Sacramenta constare ex materia & forma,
non ex subiecto, & accidente: saepe etiam addunt, idē non
posse ab Ecclesia mutari materiam, aut formam Sacramento-
rum, quia sunt de essentia, seu substantia

SECUNDO probatur ratione. Nam significatio Sacramen-
ti, non est vna significatio simplex, vt Caietanus docet, sed duæ
sunt partiales, ex quibus vna totalis componitur. Ergo ipsa
etiam significatio ex materia, & forma constitui dici potest:
proinde totum Sacramentum ex materia & forma compone-
tur, vt ex partibus essentialibus.

Antecedens probatur dupliciter. PRIMO: Antequam fiat
coniunctio elementi, & verbi, vtrumq; habet suam significa-
tionem: sed ex coniunctione non perit vlla significatio: Non
enim potest verbum tollere significationem elementi, quæ est

naturalis, sed solum eam determinare, nimirum, ut cum aqua, exempli causa, naturaliter significare possit quamlibet purgationem, determinetur à verbo ad significandam purgationem à peccatis. Manet igitur utraque significatio, sed coniunguntur inter se, ita ut ex duabus partialibus, fiat una integra, & totalis.

SECVNDO: Tam verbum, quam elementum in Sacramentis significat aliquid, ut omnes docent, & patet etiam ex sacro S. Thomae 3. part. q. 60. art. 6. ad primū & secundum. Sed verbum nō communicat elemento suam significationem, neque verbo elementum: duæ sunt igitur, non una. Assumptio probatur. Quia elementi significatio naturalis est, ut ibidem ait S. Thomas, verbi autē voluntaria. Non igitur significatio elementi communicatur verbo, quia tum naturalis esset, nō voluntaria verbi significatio: & contrā significatio verbi non communicatur elemento, quia tum elementi significatio esset merè voluntaria, & nullo modo naturalis.

QUARTA propositio: *Ut Sacramenta constare dicantur rebus, & verbis, non est necesse, ut res nō sint verba, & verba non sint res, sed sat est si aliquid fungatur vice rei, alim vice verbi.* Hæc propositio conciliat tres ultimas sententias. Nam ut Ledesmius rectè monet, q. 1. art. 6. non est quæstio inter Durandum, & alios, nisi de nomine.

Probatur propositio. Nam in Sacramento Pœnitentiæ potest fieri, ut nulla sint alia signa præter verba. Ex communis enim consensu Theologorum, in Sacramento Pœnitentiæ, forma est absolutio; materia remota sunt peccata; materia proxima sunt actus pœnitentis, id est, contritio, confessio, & satisfactio, quatenus signo externo produntur. Potest autem fieri, ut quis nō habeat nisi peccata verbo commissa; & tunc materia remota erunt sola verba. Potest etiam fieri, ut non ostendantur signa contritionis, confessionis, & satisfactionis, nisi verbis. Non enim est de essentia Sacramenti, ut pœnitens ploret, suspirat, flectat genua, &c. sed si tantum verbo dicat sua peccata, & dicat se esse contritum, & velle satisfacere, potest absolui; quare materia etiam proxima tunc non erunt, nisi verba. Verè tamen dicuntur esse in eo Sacramento res, & verba, quia peccatum verbo commissum, non ut verbum, sed ut peccatum, est materia confessionis; peccatum autem formaliter non est ver-

verbum, sed res à verbi ratione valde distincta. Sic etiam confessio non est propriè materia Sacramenti, vt oratio quædam, sed vt actio pœnitentis. Nam vt eleganter docet sanctus Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. singulare est in hoc Sacramento, vt actio suscipientis sit pars essentialis Sacramenti. Vt enim inter corporalia medicamenta, quædam sunt omninò extrinseca, vt emplastra, quæ applicantur ægrotis, & non requirunt eius actionem, vt partem medicamenti; quædam alia partim sunt extrinseca, partim intrinseca, vt quædam potiones, quæ requirunt vt partem medicamenti, ambulationem: sic etiam quædam Sacramenta omni ex parte applicantur, & conferuntur à ministro, vt Baptismus, Eucharistia, &c. sed Sacramentum Pœnitentiæ partim applicatur à ministro per absolutionem, partim requirit ipsius ægroti actionem, nimirum confessionem, &c.

Idem iam de forma ostendere possumus; nam in Sacramento Matrimonij omnium consensu, loco verborum sufficiunt nutus, aut literæ; modò sufficienter exprimatursensus vtriusq; partis. Quod verò aiunt Nicolaus Papa 27. quæst. 2. canon Sufficiat; & Alexander Papa cap. Cùm locum, desponsalibus, & matrimonijs; solum consensum efficere Matrimonium non ita est accipiendum, quasi consensus, interior sufficiat sine signo externo: siquidem idem Alexander, cap. Licet, de sponsa duorum, docet necesse esse, vt consensus, verbis consuetis exprimaturs. Itaque illa particula: *Solus consensus dicitur efficere Matrimonium*; nò excludit signum, quò exprimitur consensus, sed excludit consensum parentum, & solennitatem, & alia, quæ non sunt de essentia Matrimonij.

QVINTA propositio: *Non est necesse, vt in omni Sacramento res, & verba ita coniungantur, vt partes essentielles eiusdem rei.* NOTANDVM est hoc loco, Sacramentum habere quandam similitudinem cum rebus naturalibus, quæ ex materia & forma constant: tamen non esse reuera compositum naturale, & idcirco non esse requirendas omnes proprietates materiæ, & formæ, sed satis esse, si aliquæ reperiantur.

Probatur hæc propositio ex Eucharistiæ Sacramento. Siquidem in Eucharistia omnium consensu inveniuntur res pro materia, id est, panis, & vinum, & verba pro forma: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus.* & tamen nunquam res

istæ, & verba ita coniunguntur, vt materia, & forma in rebus naturalibus. Nam vel Sacramentum Eucharistiæ est, solum res ipsa consecrata, id est, species panis, & vini, vt continent corpus, & sanguinem Christi: vel etiam cōsecratio, aut sumptio vt quidam volunt, Sacramenta dici possunt. Si consecratio dicitur Sacramentum, tum verba habemus, sed rem non habemus, ex qua Sacramentum componatur: tota enim consecratio in verbis consistit: nam panis, & vinum non concurrunt, vt pars consecrationis, sed vt subiectum circa quod agit Sacerdos, & in quo recipitur actio consecrantis. Cùm verò Sacramentum dicitur res ipsa consecrata, vel sumptio, tum rem habemus, verba non habemus, ex quibus Sacramentum componatur. Verba enim respectu rei consecratæ, non sunt pars essentialis, sed principium productiuum; pars enim essentialis manet cum ipsa, verba autem non manent cum res consecrata, immò tunc primùm incipit esse res consecrata, cùm verba desinunt esse. Quocirca Concilium Florentinum in instructione Armenorum, non dicit, verba Eucharistiæ esse formam Sacramenti, sed formam consecrationis. Ex quo intelligimus, quando idem Concilium docet, in omni Sacramento esse res pro materia, & verba pro forma, non debere hoc intelligi ita propriè, vt intelligeremus in vero composito naturali.

Idem ostendi posset ex Sacramento Confessionis. Nam non solum, vt diximus, in eo Sacramento materia sunt verba, quæ gerunt vicem rerum; sed etiam potest fieri, vt vno die fiat confessio, & altero die detur absolutio, ac proinde tum simul sint materia, & forma: quod in nullo composito vere Physico reperitur. Quocirca tum Concilium Florentinum in instructione Armenorum, tum etiam Tridentinum sess. 14. can. 4. dicunt, in Sacramento Confessionis actus penitentis esse quasi materiam: nec audent absolute dicere esse materiam.

Ex quibus omnibus apertissimè colligimus, materiam & formam in Sacramentis largo modo esse accipiendam: atque hinc etiam facillè soluuntur omnia quæ contra obijci solent,

CAPVT XIX.

*Verbum quod cum elemento Sacramentum facit,
non esse concionale, sed consecratorium.*

DIXIMVS in Sacramētis res & verba requiri, in quo cum aduersarijs conuenimus. Neque dubitatio vlla superest de re, quid sit illud videlicet, quod in Sacramentis adhibendum est, vt sensibile signum; fatentur enim nobiscum in Baptismo aquam, in Eucharistia panem, & vinum adhibendum. De materijs aliorum Sacramentorum nō est opus hic differere, quoniam ea non habentur ab aduersarijs pro Sacramentis.

Vnum hęc addam, ridiculè Brentium in confessione VVirttembergensi, cap. de Baptismo, excludere Chrisma ab vsu Sacramenti, quod dicat ad elementa mundi pertinere, & in vsu fuisse Iudæis in cæremonijs Testamenti veteris. Nam si ea ratio quidquam valeret, excludere oporteret etiā aquam. Nam aqua magis pertinet ad elementa mundi, quā oleum, cum sit ipsa vnum ex quatuor elementis mundi, oleum verò non inter elementa, sed inter mixta numeretur. In cæremonijs quoq; Iudeorum longè frequentiores erant ablutiones aque, quā inunctiones olei.

Sed his omissis, de quibus alio loco dicendum erit, quæstio grauiissima est de verbo, quod cum re coniunctum, Sacramentum facit? Nam Catholici omnes docent, verbum Sacramenti esse pauca quædam verba à Deo præscripta, quæ super materiam à ministro pronucianda sint; vt in Baptismo illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* In Eucharistia illa: *Hoc est enim corpus meum.* & de cæteris ad eundem modum.

At Ioannes Caluius lib. 4. Institut. cap. 14. §. 4. contendit verbum Sacramentale nihil esse aliud, nisi concionem; sic eim loquitur: *Hoc est q̄ vulgò dicunt, constare Sacramētum verbo, & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insurratū, solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Pape tyrannide factitatum est, non ca-*

rui ingenti mysteriorum prophanatione: putant enim satis esse, si sacerdos, populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret. Et infra: Ergo cum de verbo Sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, qua clara voce à ministro prædicata plebem in manu ducat, quò signum tendit, ac nos dirigit. Hec ille. Sed an tequam vel probemus aliquid vel refellamus, explicanda est diligenter Caluini sententia.

PRIMO igitur annotandum est, Caluinum, & ceteros aduersarios nostros aliter sentire, & loqui de Baptismo, aliter de Eucharistia, quæ duo sola sunt apud eos propriissimè Sacramenta. Nam in Baptismo duo genera verborum requirunt, Eucharistia vnum tantum: siquidem in Baptismo PRIMO loco requirunt verbum concionale, quo à ministro proponitur, & explicetur promissio diuina. DEINDE requirunt, dum aspergitur aqua, simul dicantur illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Id quod patet tum ex libello Caluini de formula ministrandi Sacramentum ex Melanchthone in locis, cap. de Baptismo; tum ex prixijs foris quotidiana; tum denique, quia non rebaptizatur apud Catholicos ij, quos Lutherani, & Calvinistæ baptizarunt: quod tamen esset faciendum, nisi illi veram formam Sacramenti adhiberent dum baptizant.

Porro in Sacramento Eucharistiæ Calvinistæ (vt ex formula Caluini perspicuum est) nõ requirunt aliud verbum, quàm instructionis; iubent enim PRIMO loco recitari institutionem Sacramenti ex cap. ii. prioris ad Corinthios, eo ferè modo, quo nos in Missa recitamus lectionem ex eadem epistola ad populi instructionem. DEINDE adhibet concionator explicationem; & tum demum sine vllò signo crucis, aut alio verbo, seu ritu sacro distribuunt panem & vinum. Exstat alia formula Anglorum, qui Geneuæ degunt, in qua post lectionem epistolæ ad Corinthios, & concionem sequitur gratiarum actio conceptis verbis, quam alta voce pronunciat minister, & tum demum sine vllis verbis consecratoriis, distribuitur panis, & vinum.

Lutherani autem non eodem modo omnes agunt, sed alij recitant verba institutionis merè historicè, alij recitant cum intentione

intentione consecrandi, alij nihil recitant: quorum opinio-
nes vide apud Kemnitium in 2. par. Examinis, pag. 346.

Ex quibus sequitur habere aduersarios verum Baptismum,
sed non veram Eucharistiam, nisi fortè admodum paucos, eos
videlicet qui adhibent verba, & fuerunt in Ecclesia ordinati
Sacerdotes.

SECUNDO notandum est, quod Calvinus dicit, verbum
Sacramentale esse concionem, duobus modis intelligi posse.
VNO modo, vt velit concionem esse partem Sacramenti es-
sentiali, ita vt sine concione non sit Sacramentum. ALTERO
modo, vt velit concionem non esse partem Sacramenti, sed
tantùm requiri, vt Sacramentum fructuosè percipiatur.

Et quidem valde p̄babile est, Lutheranos, qui præter con-
cionem adhibent verba consecrationis in omnibus Sacra-
mentis, non requirere concionem ad essentiã, sed ad fru-
ctum tantùm Sacramenti assequendũ; proinde cum eis nulla
erit hoc loco altercatio: ijs tamen exceptis, qui verba ipsa Sa-
cramentalia non proferunt ad consecrandum, sed ad instru-
endum, & apertè Euangelij prædicationem vocant, vt facit
Ioannes Brentius in Confessione VVirtembergensi, capit. de
Eucharistia.

At Calvinus videtur quidem interdum loqui de verbo cõ-
cionali, vt de re distincta à Sacramento, vt cum ait lib. 4. cap.
14. §. 3. Sacramentum esse quasi appendicem verbi: tamen sæ-
pius de eo loquitur, vt de parte essentiali Sacramenti. Nam in
verbis supra citatis dicit, Sacramentum constare duabus re-
bus, signo, & verbo, & per verbum dicit se intelligere concio-
nem. Item ibidem explicat de verbo concionali; illud AVGV-
STINI: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*
Vbi sine dubio verbum ponitur de essentia Sacramenti. Nam
ibidem AVGVSTINVS, & ex Augustino Calvinus, ait *Sine ver-
bo, quid est aqua nisi aqua?* id est, aqua sine verbo non est Sa-
cramentum, sed prophanum elementum. Præterea si con-
cionale verbum non esset de essentia Sacramenti, in Eucha-
stia nullum esset verbum, de essentia, apud Calvinistas non e-
nim aliud verbum in eo Sacramento habent, nisi concionale.
Præterea in commentario, cap. 5. ad Ephesios, explicans Cal-
vinus illud (Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ) *Appa-
ret, inquit, nullam in Papatu legitimam esse signorum obser-
uatio-*

uatio

uationem. nam verbum quidem per se habere iactant, sed quod sit incatationis vice: quia illud lingua incognita demurmurant, & ita quasi de mortuo elemento potius, quã hominibus destinatum foret; nulla mysterij explicatio ad populum, quã sola facit ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum, NOTA vltima verba.

Denique Theodorus Beza omnem dubitationem tollit: ita scribit in libro, quem inscripsit, Summa doctrinã de re sacramentaria: *Quæ est causa formalis Sacramentorum* est ordinatio Dei in ipsius verbo cõprehensa, & ab ipsius ministro explicata secundum eius mandatũ: non autem pronuntiatio ipsorum verborum, neq. vlla vis in vocabulis latens. Hęc illi. Ex quo intelligimus verba illa Baptismi: *Baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, recitari quidẽ à Calvinistis dum aspergitur aqua, sed non esse illa verba formã sacramenti apud eos; verũ concionem præcedentem esse formam, illa autem verba ad ritum pertinere, ut paulõ infra idem Theodorus indicat: & illa ipsa non proferri, ut consecraretur aqua, sed ut etiam inde instruatur populus.

NOTANDVM est TERTIO, tria esse in quibus nos à Calvinistis dissentimus, quã sunt ordine demonstranda. PRIMVM enim nos in omni Sacramento docemus, necessarium esse verba quãdam à Deo instituta pronuntiare in ipsa actione sacramenti: illi solũ in Baptismo id necessarium docet. SECUNDO nos docemus, ad essentiã sacramenti non requiri verbum concionale, illi affirmant, requiri. TERTIO nos docemus, ad essentiã sacramentorum requiri verba certã concepta, consecratoria, & hæc esse, quã dicantur propria verba sacramentalia; illi hoc totum negant, & magicam incantationem vocant. Nam etiam verba Baptismi, ut dixi, non idẽ recitant dum aspergunt aquam, ut consecraretur aqua, sed ut instruatur populus, ut sint etiam illa verba pars quãdam concionis: in quo, ut dixi, Ioannes Brentius, & alij quidam Lutherani cum Calvinistis conueniunt. Et hæc est ratio, quã illi lingua vulgari, nos Latina vtamur in sacramentis: illi enim populum docere volunt, qui non intelligit linguam Latinam; nos Deum inuocamus ad sanctificandum elementum. Deus autem omnes linguas intelligit.

Sic igitur PRIMA propositio: *Non solũ in Baptismo*

sed etiam in ceteris Sacramentis requiruntur verba in ipsa celebratione mysterij. Probat. Nam Eucharistia, Dominus dum panem benedixit, certa verba pronunciauit, nimirum: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* ac deinde iussit, vt idem nos faceremus: *Hoc inquit, facite in meam commemorationem,* Luc. 22. Debemus igitur & nos certis verbis vt, si facere volumus, quod ipse fecit, vt nobis imperauit.

DICENT forasse, Christum imperasse, vt faceremus, quod ipse fecit, non autem vt diceremus verba, quæ ipse dixit. SED nos respondemus, illud (Hoc facite) referri ad totam actionem Christi, ita vt comprehendat etiam verba. Id quod (vt omittere nunc alia argumenta) discimus ex traditione, & vsu Catholicae Ecclesiae, quæ traditio si non recipiatur, in dubium reuocabitur etiam forma Baptismi. Nam vnde, quæso, colligitur, dum aqua aspergitur, dicenda esse illa verba: *Baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* certe non aliunde quam ex illis verbis Matt. vlt. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* At ex hoc loco id non potest certe colligi, nisi recipiatur Ecclesiae traditio. Non enim Dominus ait, *Dicite, Baptizo te in nomine Patris, &c.* satis igitur erit, si aspergentes aquam dicamus, *In nomine Patris, & Filij, &c.*

Præterea non etiam dixit Dominus, *Dicite, In nomine Patris, &c.* sed solum ait: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quæ verba non cogunt, vt dicamus; *In nomine Patris, &c.* sed solum vt baptizemus auctoritate Dei, nimirum vt eius ministri, quod potest fieri, etiam si nihil dicamus. Id quod ex alijs similibus locis demonstrari potest. Nam Marc. vlt. Dominus ait: *In nomine meo demonia eiciet, super egros manus impo- nent, & bene habebunt.* & tamen non erat opus, vt Apostoli, cum aliquem curare volebant, dicerent voce, in nomine Domini, sed satis erat, si cogitatione: nam Act. 9. Petrus excitauit Tabitham. & Act. 14. Paulus sanauit claudum sine vlla mentione nominis Christi. Sic etiam Matth. 18. Dominus ait: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* & tamen non est opus, vt qui volunt congregari in nomine Christi, dicant verbis; *Congregamur in nomine Christi:* sed satis est si conueniant Christi auctoritate. Sic de- nique

nique Ioan. 5. Dominus ait: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepit me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. vbi non significatur aliud per nomen, nisi auctoritas.

Quod igitur in Baptismo dicere debeamus: *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non ex sola Scriptura certè colligi potest, sed ex Scriptura, adiuncta Ecclesiae applicatione, & praxi. Quod si in Baptismo recipitur Ecclesiae auctoritas, cur non etiam in Eucharistia, & ceteris Sacramentis?

De alijs Sacramentis idem probari potest, quanquam non sit valde necessarium, cum ea ab aduersarijs non recipiantur. In Confirmatione perspicuum est, adhibenda esse verba. In cap. 8. Actor. vbi Apostoli manus imponentes simul orabant. Vnde CYPRIANVS in epistola ad Iubaianum: *In impositione* inquit, *manuum inuocatur, & infunditur Spiritus sanctus super baptizatos*. Idem habet AMBROSIVS libro 3. de Sacramentis, cap. 2. *Post fontem*, inquit, *superest, ut perfectio fiat quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur*. Idem habet Hieronymus in libro contra Luciferianos. Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 16.

In Sacramento Pœnitentiæ requiri etiam verba, patet illo Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur*, nec enim id fieri potest sine verbis. Vnde Ioannes Chrysostomus commentario eius loci, dicit, Deum vti, & manu, & lingua sacerdotis ad absoluendum; & S. Leo in epist. 91. ad Theodorum dicit, post Baptismum Deum sic ordinasse remedium Pœnitentiæ, ut nisi supplicationibus sacerdotum venia nequeat obtineri.

In Sacramento Ordinis requiri verba, docet AMBROSIVS in cap. 4. prioris ad Thimotheum: *Manus impositiones*, inquit, *verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre*. Item Hieronymus in cap. 1. Isaïæ, dicit Ordinationem clericorum fieri ad imprecationem vocis, & impositionem manuum.

In Sacramento Vnctionis ægrotorum, planum est requiri verba ex epistola Iacobi; cap. 5. *Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, &c.*

Denique de Matrimonio res est perspicua, cum non possit constare mutua consensio, nisi verbis, aut signis æquivalentibus exprimatür. Itaque Calvinus etiam in libro de forma ministrandi Sacramenta, licet Matrimonium non habeat pro Sacramento, tamen vult in Ecclesia celebrari, & præscribit certam formam verborum.

SECUNDA propositio: *Non requiritur verbum concionale ad essentiam ullius Sacramenti.* Probatür **PRIMO**, argumento ab auctoritate Scripturæ negativè, quod ab aduersariis magnifiter solet, & debet, cum nihil oporteat in rebus diuinis facere sine Dei verbo, & ipsi nullum Dei verbū agnoscant, nisi scriptum. Igitur in Scripturis fit mentio Baptismi; primū Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* deinde Ioan. 4. ubi habemus, Dominū per discipulos baptizasse; item Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Tit cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrū.* 1. Pet. 3. *Vos saluos facit Baptisma.* Sed in his locis nulla fit mentio verbi, nedū concionis.

Duo tantū sunt loca, ubi fit mentio verborum. **VNVS** est ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* **ALTER** Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Prior locus explicari debet per posteriorem; tum quia hæc sit regula generalis etiam ab aduersariis celebrata, vt cum id fieri potest, vna Scriptura per aliam explicetur; tum quia Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, alijque interpretes ita docent; dicunt enim illud: *In verbo vitæ, significare: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vnus est Hieronymus, qui in commentario huius loci per *verbum vitæ*, intelligit doctrinam. **SE**d obseruandum est, Hieronymum omisisse literalem expositionem, & solam exposuisse mysticè, id est, vt ipse dicit, tropologicè. Non enim per lauacrum intelligit Baptismum, sed purgationem quamlibet, quæ per doctrinam fieri potest. Omnes autem interpretes, qui ad literam exponunt, per lauacrum intelligunt Baptismum, & per verbum, intelligunt inuocationem Trinitatis.

Remanet ergo solus locus ille Matthæi vlt. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* quo loco non negamus iuberi, vt instructio præcedat Baptismum: imò hoc ipsum nos docemus;

mus, & facimus; nō enim baptizamus ullos adultos, nisi prius diu multumque instructi fuerint. Sed negamus hoc loco prescribi concionem tanquam partem essentialē Sacramenti, immō asserimus distingui hoc loco apertē doctrinam à Sacramento. Sic enim distinguit S. HIERONYMVS in commentario huius loci: *Ordo, inquit, præcipuus, iussit Apostolus, ut primū docerent omnes Gentes: deinde fidei intringerent Sacramento, & post fidem, ac Baptisma, quæ essent seruanda præciperent.*

Porro, quod diximus de Baptismo, dici potest etiam de Eucharistia. Nam nec Dominus Matthæi 26. nec Paulus 1. Corinthios 11. dicunt fieri debere concionem, cū celebratur cœna Dominica: nec ipse Dominus ullam habuit concionem, nec explicuit vim Eucharistiæ (quod tamen Calanus necessarium putat) in ipsa cœnæ celebratione. Habet quidem postea longissimum sermonem, quem Ioannes describit, cap. 14. 15. & 16. sed is nihil ad cœnam pertinebat, tum quod post cœnam habitus sit, tum etiam, quod nihil inde de cœna Dominus disseruerit. Viderit igitur Calanus, quo Euangelio didicerit, concionem esse formam Sacramenti.

SECUNDO probatur, non esse concionem de essentiali Sacramenti. Nam si ita esset, non distinguerentur officia concionandi, & baptizandi. Quicumque enim concionaretur, ipso baptizaret, quandoquidem ministraret formam Baptismi: & contra, qui baptizaret, concionaretur, cū Baptismus formaliter nihil aliud sit, nisi concio. At contradicit huic sententiæ B. Paulus, cū ait 1. Corinth. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* In quem locum præclare scribit commentarius, qui tribuitur Ambrosio: ostendit enim multo minus esse baptizare, quàm prædicare, ex eo, quod qui baptizat, solum prænunciat solemnia quædam verba, & aquam infundit, quod facillimum est. Vnde etiam Petrus Act. 10. postquam prædicauerat Cornelio, non ipse cum baptizaret, sed iussit à ministris inferioribus baptizari. Ad secundum Calanum Petrus ipse baptizasse dicendus esset, qui formam præciperet Baptismi.

TERTIO; Si forma Baptismi esset concio, varia essent Baptismata pro varietate concionum: non enim omnes eodem

modo concionantur. At vnum Baptisma esse, sicut vnus est Deus, & vnus Dominus, testatur Apostolus ad Ephes. 4. & Symbolum Constantinopolitanum.

QVARTO; Si forma Baptismi esset concio, falsum Baptismum haberent hæretici, ac proinde rebaptizandi essent: non enim vera esse potest prædicatio hæreticorum. At Ecclesia approbat Baptisma quorumlibet hæreticorum, modò detur verbis præscriptis, id est: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, etiam si addant ipsi peruersissimam concionem, & explicationem, vt docet S. AVGVSTINVS libro 3. de Baptismo, cap. 15. *Si Evangelicus*, inquit, *verbu*, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* Martion Baptismum consecrabit, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides sub iisdem verbis aliud opinariis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, (id est, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*) non solum Marcio, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesie, si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Nunquid tamen idè non integrum Sacramentum accipiunt.

QVINTO; Baptismus Catholicorum datur sine vlla concione. Et si enim præcedit Catechismus, & sermones, ac prædicationes permultæ, tamen eo die, quo fit Baptismus, ordinariè concio fieri non solet. Et tamen Calvinus non iubet rebaptizari Catholicos, immò fateretur verum esse eorum Baptismum lib. 4. Instit. cap. 15. §. 16. *Tales*, inquit, *hodie sunt Catholicæ nostræ, qui ritè nos baptizatos pernegat, quod ab impiis, & Idololatriis in regno Papali baptizari sumus. Itaque Anabaptismum furiosè urgent, &c.* Quomodo ista cohererent, vt concio sit forma Baptismi, & tamen sine concione verus Baptismus dari possit? Quomodo etiam verba ista ex libris Institutionum concordant cum verbis eiusdem Caluini supra citatis ex commentario 5. cap. ad Ephes. vbi ait, nullam esse apud Papistas legitimam signorum obseruationem, quòd deficit apud eos explicatio ad populum, quæ sola facit vt motuum elementum incipiat esse Sacramentum?

Sexto, Si forma Baptismi esset concio, paruuli certè baptizandi

perizandi non essent: non enim fieri debet concio, ubi non est, qui audiat, & intelligat. Monet enim Sapiens Eccles. 32. *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* At pueri nihil intelligunt, nec attendunt, aut attendere possunt; igitur non est illis concio facienda: quare nec baptizari debent, aut possunt.

Ad hoc argumentum dupliciter responderi solet; aliqui enim, ut Lutherani, volunt paruulos percipere concionem. Sed hos supra refutauius dilemmate S. Augustini in epistola ad Dardanum. Aut vsus rationis habent, aut non; si non habent, ergo non intelligunt; si habent, ergo sacrilegi sunt, qui Sacramentum recusant, ut patet.

Alij, ut Calvinus lib. 4. Institut. cap. 16. §. 20. dicunt, paruulos non percipere Sacramentum vtiliter pro eo tempore, in quo men verum Sacramentum percipere, quod postea vtile sit futurum. Sed hæc solutio non est sufficiens. Nam si verbi prædicatio est de essentia Baptismi, non minus, quam aqua; ceterum debet percipi non minus, quam aqua, alioqui non modo non vtile, sed etiam nullum erit Sacramentum. Quod si aqua aspergeretur à ministro, infantem verò non attingeret, nemo diceret illum esse baptizatum; ergo si concio fiat, & non percipiatur ab infante, nemo dicere debet ex Calvinistis, illum esse baptizatum. Concio autem non verè percipitur, nisi cum intelligitur: non enim dicitur percipere concionem, quæ proprie instructio quædam est, quæ non instruitur, etiam si numerum quendam audiat. Non ergo infantes percipiunt formam Sacramenti, quare nec Sacramentum. Aut igitur Calvinistæ fiant Anabaptistæ, aut definant concionem requirere ad essentiam Sacramenti.

TERTIA propositio: *Requiritur ad essentiam Sacramenti certa forma verborum, quæ non tam instruat circumstantiam, quam consecret et sanctificet elementum.* Hæc est non modo aduersus Calvinum, sed etiam aduersus Brentium, accersos Lutheranos, qui verba ipsa cõsecrationis pronounciati videntur ad instruendum populum, non ad materiam consecrandam; & idcirco nefas esse putant, si ea verba Latinè pronounciantur apud populum Latinæ linguæ imperitum.

Probatur hæc propositio *PRIMO*; Verba à Domino præscripta in Baptismo, non habent formam instructionis, sed inuocationis, & benedictionis. Id quod probatur ex ipsa forma loquendi Christi. Non enim ait; *Docete omnes Gentes* non

nomē Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vbi verba illa: *In nomine Patris, &c.* respiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde sonant inuocationem Trinitatis super aquæ asperisionem, non declarationem mysterij ad auditores. DEINDE, si licet Scripturam exponere per Scripturam, perspicuum erit: *In nomine Patris, &c.* sonare inuocationem, non instructionem: sic enim accipitur ista forma loquendi in aliis locis, vt Marci vlt. *In nomine meo demonia eicient.* Actor. 3. *In nomine Iesu Christi, surge, & ambula.* Matth. 7. *Nónne in nomine tuo demonia eiecimus?* & alibi passim. DEINDE, si verba ista ad instructionem pertinerent, valde profectò imperfecta essent. non enim solùm instrui debent de Trinitate qui baptizantur, sed etiam de incarnatione, & passione Domini, & præcipuè de promissione gratiæ, ob Christi meritum; quarum rerum nulla in his verbis mentio fit.

SECUNDO; Verba, quæ dicuntur in mysterio Eucharistiæ ab Apostolo, dicuntur verba benedictiuis, quod certè non instructionem, sed consecrationem sonat, 1. Corint. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nóne communicatio sanguinis Christi est?* Idem argumentum duci posset ab aliis Sacramentis, si ea reciperent aduersarij. Vide tamen quæ diximus in confirmatione primæ præpositionis.

TERTIO probatur ex illis Apostoli verbis, 1. Cor. 1. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* vbi Apostolus demonstrare vult, Sacramentorum auctores non esse eos homines, qui illa ministrant, sed Deum: idque inde probat, quia non dantur in nomine ministrorum, sed in nomine Dei, id est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nomen igitur in verbis Sacramentorum, inuocationem significat, ex qua colligitur auctoritas. Vnde CHRYSOSTOMVS hom. 3. in priorem ad Cor. *Noli, inquit, mihi dicere, quis baptizauit, sed in cuius nomine; neq; qui baptizat, sed quæ in Baptismate inuocamus, requiritur.* Vide de hoc loco, & de hoc argumento Optatum Mileuitanũ, lib. 5. contra Parmenianum.

QUARTO idem probatur ex traditione Conciliorum. Nam Concilium Nicænum can. 19. iubet rebaptizari Paulianistas: quod idem statuit Concil. Laodicenum can. 8. de Cataphrygibus. At contra Cõcilium I. Arelatense eodem tempore cele-

bratum can. 8. & Syricius epist. 1. cap. 1. iubent, Arianos nõ re-
baptizari, cuius differentie causa non potest reddi nisi illa,
quam reddit Innocentius I. in epist. 22. c. 5. quia videlicet Pau-
lianista, & Cataphryges non solum non credebant Trinita-
tem, sed nec baptizabant, cum inuocatione Trinitatis at Ari-
ani licet non crederent Trinitatem vnus essentia, tamen ba-
ptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. At cen-
quantum ad instructionem, & explicationem, tam errabant
circa Trinitatem Ariani, quam Paulianista, & Cataphryges
non igitur instructio, sed inuocatio Baptismum perficit.

QVINTO probatur ex Patribus, qui cum de verbis Sacra-
mentorum loquuntur, non instructionis, sed inuocationis,
consecrationis mentionem faciunt. DIONYSIUS AREOPAG-
ITA in lib. de Eccles. hier. cap. vlt. vocat verba Sacramentorum
τὰς τελεεργίας ἐπικλησεις, id est, consecratorias inuo-
cationes. IUSTINVS in Apologia ad Antoninum Pium: Sup-
eo, inquit, qui renouendum sibi esse statuerit, parentis reuocant
omnium, & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum
solum lauaturum istum ad lauacrum ducentes inuocant.
infra: In nomine etiam IESU Christi crucifixi, atque in no-
mine Spiritus sancti abluitur, qui illuminatur. BASILIUS
de Spiritu sancto, cap. 15. Tribus, inquit, mersionibus, ac
dem nomenclaturis, siue inuocationibus magnum Baptis-
mum mysterium perficitur. CYRILLUS catechesi 3. Aqua
plex, inquit, per sancti Spiritus, Christi, & Patris inuoca-
tionem, sanctitatem consequitur.

ATHANASIUS serm. 3. contra Arianos, circa medium
Cur, inquit, dum inuocatur Baptismate, vnã cum Patre,
ly quoque nomen recensetur? nam vt Pater sit insufficien-
nesaria vox est, &c. vbi docet, tres personas nominari in Ba-
ptismo, non quod vna non sufficiat sanctificare hominem,
quia inseparabiles sunt ob nature unitate: quocirca vult
ba illa Baptismi non dici, ad instruendum populum, vt heretici
somniaut, sed ad inuocandum Deum, qui per Baptismum
nos sanctificat.

Gregorius NISSENVS in lib. de Baptismo: Omite, inquit,
mecum confingere, & oppone te, si potes, Domini vocibus, qui
inuocationem, & cognominationem Baptismatis hominibus
instruerunt. Et que sunt verba Domini precepti? Bap-
zan-

zantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Et infra: Submittimus nos Patri, ut sanctificemur, &c.

CYPRIANVS, vel quicumque fuit auctor, in sermone de Baptismo Christi, prope initiū: Verborum, inquit, solennitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis sacerdotum mysteria attributa, visibile celebrant Sacramentum rem verò ipsam Spiritus sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit.

AMBROSIVS lib. 2. de Sacramentis, cap. 15. Venit, inquit, sacerdos, precem dicit ad fontem, inuocans Patris nomen, & præsentiam Filij, & Spiritus sancti, utitur verbis cælestibus Cælestia verba, quæ Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Si ergo ad hominis sermonem, ad inuocationem sancti, aderat præsentia Trinitatis, quantum magis ibi adest, ubi sermo operatur æternus? Similia dicit de verbis Eucharistiæ, lib. 4. de Sacramentis, cap. 4.

AVGVSTINVS lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 10. Non est, inquit, aqua prophana, & adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiamsi à prophanis, & adulteris inuocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus verò Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici, & immundi, quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo diuina virtus assistit. Et lib. 5. c. 20. Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit: ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel supra aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen, & sunt, & valent etiam per homicidas.

CAPVT XX.

Soluuntur obiectiones.



OLVENDAE supersunt obiectiones Caluini, qui PRIMO loco profert testimonium S. AVGVSTINI extract. 80. in Ioan. vbi S. Augustinus, postquam dixerat: Vnde tanta virtus aquæ, ut cor-

pus tangat, & cor abluat? Adiungit: Nisi faciente verbo non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei, quod predicamus. Unde in Actis Apostolorum; Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apostolus; Sic nos Baptisma saluos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientie bonae interrogatio. Hoc est, verbum fidei, quod predicamus. Hæc ille.

RESPONDEO; Locus hic mirè torquere solet non nullorum, cum tamen non usque ad eò obscurus esse possit, cum sit pars quædam concionis ad populum habitæ, nisi fortè credimus S. Augustinum per ænigmata prædicare solitum, vt Oedipus opus esset ad eum intelligendum. Referam igitur quid alii sentiant, & refellam ea, quæ non videntur rectè dicta.

PRIMUM igitur Calvinus contendit, totum hunc locum de concione intelligendum. Sed fallitur apertissimè, PRIMO quoniam AVGVSTINVS ait: *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua?* At detracto verbo concionis, adhuc aqua Baptisma non est pura aqua, sed aqua sacra, & Sacramentalis. nam apertè nos nulla fit concio in Baptismo, & tamen Baptismus nostrum verum Sacramentum Calvinus esse fatetur, lib. 4. In fine cap. 15. §. 16.

SECUNDO, AVGVSTINVS ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At concio non accedit ad elementum, sed præcedit, vt ipse idem Calvinus docet, lib. 4. cap. 14. §. 3. Oportuisset ergo, vt diceret; *Accedit ad verbum elementum, & fit Sacramentum.*

TERTIO AVGVSTINVS ait: *Unde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* Et infra: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elementum, nisi adderetur in verbo.* Vbi fatetur Augustinus, ipsam etiam aquam vim habere mundandi, sed eam non ex se habere, sed a verbo. At concio nihil tribuit aquæ; tota enim refertur ad instruendos auditores, non ad sanctificandam aquam. Immo illi nobis obiicit Calvinus in commentario, cap. 5. ad Ephesios, tanquam valde absurdum, quod in Sacramētis interdum verba referamus ad ipsum elementum consecrandum, & non ad populum instruendum.

QUARTO, AVGVSTINVS ait: *Hoc verbo, vt mundare possit*

fit, consecratur & Baptismus. At idem Augustinus docet verbum, quo Baptismus consecratur, esse illam inuocationem: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Sic enim loquitur, lib. 3. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 15. *Quãobrem si Euangelicũ verbum, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum*. Id ipsum repetit in infinitis locis.

QVINTO, AVGVSTINVS ait: *Hoc verbum fidei tantũ vala in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicientem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem*. At verbum concionale nihil prodest, nisi actu credatur, vt notũ est. non igitur Augustinus de concionali verbo loquitur.

Reiecta igitur Caluini sententia, quidam ex Catholicis docent, Augustinum loqui de verbo non concionis, nec consecrationis, sed institutionis Sacramenti: illud enim suo modo efficit Sacramentum, consecrat aquas, mundat infantem, &c.

Sed neque hæc explicatio admitti potest. PRIMO, quoniam non tollit difficultatem, quam aduersarius nobis obiecit, ex illis verbis: *Non quia dicitur, sed quia creditur* Et ex illis: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*; quæ verba ter repetuntur hoc loco ab Augustino.

Nihil enim horum quadrat in verba institutionis Sacramenti. Nam verba institutionis non idè vim habent, quia creduntur, sed quia dicta sunt à Domino, qui solus potuit ex elementis facere Sacramenta. Neque verba institutionis sunt propriè verbum fidei, quod prædicamus: nam ibidem explicat AVGVSTINVS, quod sit hoc verbum fidei, cum ait: *Quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est IESVS, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris*.

SECUNDO, AVGVSTINVS præter verbum, de quo hîc loquitur non agnoscit in Sacramento aliud verbum; sed nudum ac solum elementum, vt patet ex illis verbis: *Detrahe verbũ, quid est aqua nisi aqua? Et: Accedit verbum ad elemẽtum, & fit Sacramentum*. Et: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* Non igitur hoc verbum est verbum institutionis, cum certum sit præter verbum

bum institutionis, Sacramenta constare ex verbis, & elementis, & non esse nuda elementa.

Alia item Catholicorum sententia est, Augustinum loqui solum de verbo caeremoniali, seu consecratorio. Quae sententia melior est ceteris duabus; tamen habet hoc unum incommodum, quod non potest reddere causam, cur *AVGVSTINVS* allegauerit ex cap. 10. epistolae ad Romanos illa verba *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quia si confitear in corde tuo, &c.* Et rursus cur paulo infra allegauerit illa ex cap. 15. Actor. *Fide mundans corda eorum.* Et ex 1. Pet. 3. *Non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio.* Et denique illa ex capite 15. Ioan. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Nam nihil heri trahi potest, ad verba consecrationis, nisi per summam viam, & nisi ex concione populari, ut supra dixi, enigmata faciamus.

Quo igitur, Augustinum hoc loco non semper loqui de eodem verbo, sed nunc de Sacramentali, nunc de concionali, ut ex argumentis iam factis planum factum est.

DICES, ergo *AVGVSTINVS* in perpetua aequiuocatione versatur, cum iisdem sententiis tam differenter accipiat nomen verbi: exempli causa, cum dixisset: *Vnde tanta virtus aquae ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo.* Subiungit: *Non quia dicitur, sed quia creditur;* ubi aperte loquitur de verbo concionali: proinde aut etiam antea loquebatur de concionali, aut vitiosam aequiuocationem committit.

PRAETEREA ad probandum, aquam habere vim ex verbo, profert testimonium B. Pauli, ex cap. 10. ad Rom. *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quia si confitear, &c.* Et illud Actor. 15. *Fide mundans corda eorum.* Et illud 1. Pet. 3. *Non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio.* Et addit: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus.* Sed quid, quaeo, probat Augustinus, si aequiuocè de verbo loquitur?

DENIQUE in extrema concione cum dixisset, aqua per verbum mundari infantem, subiungit continuo: *Hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait; Iam vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis.* quae verba de concione Domini sunt intelligenda necessario. Quare vel etiam superiora intelligi debent de concionali verbo, & non de Sacramenta-

mentali, vt nos paulò antè dicebamus; vel erit in his verbis intolerabilis æquiuocatio.

RESPONDEO, nullam esse in verbis Augustini æquiuocationem. Siquidem ipse explicanda suscepit illa verba Domini, Ioan. 15. *Iam vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis.* Dum autem illa verba explicaret, proposuit sibi ipsi quæstionem, cur non dixerit potius Christus; Iam vos mundi estis propter Baptismum, quo loti estis. Nam etiam si verbum Domini prædicatum mundat, quatenus gignit fidem, quæ est initium iustificationis, tamen etiam Baptismus mundat, cum statim abluat sordes omnium peccatorum.

Ad hanc quæstionem respondet, Christum dixisse: *Vos mundi estis, propter verbum,* & non dixisse: *Mundi estis propter Baptismum,* quia in omni mundatione, siue ea fiat in Sacramento, siue extra Sacramentum, semper vis mundandi oritur ex verbo. Nam si fit mundatio extra Sacramentum, necessario fit per actualem fidem: fides autem ex auditu: auditus autem per verbum Christi, Rom. 10. Si verò mundatio fit in Sacramento; elementum quidem est, quod mundat, sed vt mundare possit, adiungitur ei verbum consecrationis. Semper igitur mundatio oritur ex verbo. Quocirca sanctus Augustinus illa verba Domini: *Vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis,* non restringit ad verbum concionis, sed generaliter accipit; & in toto reliquo sermone id vnum probare conatur, omnem mundationem fieri per verbum: idcirco promiscuè adfert argumenta, & testimonia, nunc de verbo Sacramentali, nunc de concionali, quia illi perinde est, modò demonstret verbum esse, quod mundat.

Ex hoc fundamento facile explicabuntur tria illa loca, vbi videbatur esse vitiosa æquiuocatio. PRIMVS locus erat: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Hæc verba à nonnullis intelliguntur idè esse dicta, quia nisi adsit fides vel propria in adultis, vel aliena in paruulis, Sacramentum nihil efficit. Sed hoc non rectè dicitur. Quia licet fides in adultis requiratur, vt dispositio quædam ad Sacramentum fructuosè recipiendum, tamen non est fides, quæ dat virtutem mundandi elemento: non enim idè aqua habet vim mundan-

di,

di, quia ego credo, sed quia est Sacramentum à Deo institutum.

Id autem quærit A V G V S T I N V S, unde sit virtus aquæ, non cui proficit aqua. Illud ergo: *Non quia dicitur, sed quia creditur*, significat, verbum Sacramentale non dare vim aquæ, ut est res quædam naturalis, id est, aër percussus; sic enim nihil melius est verbū elemento: sed ut est res spiritualis, & sola fide cognoscibilis, nimirum, ut continet inuocationem Trinitatis, quomodo etiam signum crucis, & nomen I E S V S, honorabile est, & vim habet operandi miracula, ac dæmones coercendi; non ut est res naturalis, & sensu corporeo perceptibilis, sed ut representat rem diuinam ita ut sensus sit: (Verbum non quia dicitur, sed quia creditur;) id est, non quatenus auribus sentitur, sed quatenus fide percipitur.

Esse autem hunc sensum verum huius loci, patet ex sequentibus verbis: *Nam*, inquit, *et in ipso verbo aliud est sonum transiens, aliud virtus manens.* vbi id vocat sonum transeuntem, quod vocauerat, Verbum quia dicitur; id vocat virtutem manentem, quod vocauerat, verbum quia creditur.

P R A E T E R E A illud: *Quia creditur*, vel significat, quia creditur actu, vel quia est obiectum fidei, & proinde res fide perceptibilis: non autem potest significare, quia creditur a Deo, nulla enim actualis fides est in rigore necessaria ad Baptismum. Nam non requiritur fides actualis suscipientis Baptismum, ut patet in paruulis, quos Augustinus hoc loco dicit verissime per verbum in Sacramento mundari, etiam si non valeant corde credere, & ore confiteri. Nec requiritur fides ministri, aut parentum, aut quorumlibet offerentium, & susceptorum, ut idem Augustinus probat in epist. 23. ad Bonifacium, vbi dicitur, verè mundari paruulos etiam si baptizentur, vel offerantur ab infidelibus. Cuius igitur fides actualis requiritur, si nec suscipientis, nec dantis, nec offerentis?

D I C E S, requiritur fides Ecclesiæ. S E D quid si nullus in Ecclesia actum fidei exerceret, dum infans ab infideli baptizatur? quid si per impossibile Ecclesia tota periret, & tamen Turca quispiam, qui nosset res nostras, infantem baptizaret cum intentione faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia faciebat? certè ille esset baptizatus. Verum est tamen, quod Augustinus & alij dicunt, infantes baptizari in fide parentum, vel

vel Ecclesiæ, quia de facto, si nullus esset fidelis, certè nullus moueretur ad baptizandum infantes: sed nõ ideò fides actualis ita requiritur, vt sine illa Baptismus infructuosus esset.

Est autem hîc diligenter NOTANDVM, non negari ab Augustino, verbum ipsum, vt dicitur, & vt est res sensibilis, habere virtutem; nam si aqua ipsa habet virtutem mundandi, quantò magis verbum, etiam vt sensibile? sed negari virtutem illam esse a verbo, vt est res sensibilis. Itaque totum Sacramentum habet virtutem, sed habet à verbo, vt verbum est res spiritualis, & sola fide cognoscibilis.

ALTER locus difficilis erat, vbi Augustinus allegat Scripturas, Roman. 10. Actor. 15. & 1. Pet. 3. SED respondeo, illa loca non allegari ad probandum, vim mundandi esse in aqua à verbo; sed ad probandum in genere, verbum habere vim mundandi: ille enim est Augustini scopus, vt diximus. Et quia id iam probauerat ex eo, quod verbum Sacramentale dat vim mundandi elemento: idem probat testimoniis illarum Scripturarum. Nam illa loca demonstrant fide purgari corda hominum, fidem autem nasci ex verbo prædicationis; ex quibus sequitur, verbum vim habere mundandi.

TERTIVS locus difficilis erat in fine sermonis, vbi postquam dixerat, verbo Sacramentali mundari infantes, addidit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait; Iam vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis.* SED iam responsum est, ista verba Domini ab Augustino restringi ad sermonem, quem Dominus loquutus fuerat post vltimam cœnam, sed intelligi de verbo generaliter, vt sensus sit; Vos mundi estis, propter verbum meum, siue quod me concionante audistis, & credidistis, siue quo in Baptismo sanctificati estis. Atque hæc de isto loco Augustini, ac de præcipuo argumento Caluini.

Altera obiectio est Caluini, Brentij, Kemnitij, & aliorum, quòd sit species quædam magicæ incantationis, demurmurare certa verba super aquam, vel panem, aut aliud eiusmodi mutum elementum.

SED hæc non tam obiectio, quàm horribilis blasphemia est. Nã in primis duo sunt, quæ damnantur in incantationibus magicis. VNVM, quòd aliqui putent in certis figuris, aut verbis esse naturalem virtutem aliquid efficiendi, atque hæc quidem
super-

superstitio est; cum certò constet, nec figuras, nec verba vim naturalem ullam habere aliquid efficiendi. ALTERNUM, quod alij existiment, figuras, aut verba nihil ex se habere virtutis, tamen ex pacto cum Diabolo inito adhiberi ad res certas efficiendas; & hæc propriè magica est incantatio, & peccatum maximum.

Porrò verba Sacramentalia omnes fatemur nullam vim naturalem habere; idè enim dicimus requiri diuinam institutionem, vt ex Dei institutione efficiant, quod ex se facere non poterant. Estque mera calumnia Caluini, lib. 4. cap. 14. §. 4. quod solo strepitu verborum sine sensu, & fide vtamur ad elementum consecrandum; & Kemnitij in Examine, parte 2. pag. 101. qui dicit nos vim ponere in syllabis, & characteribus, neglecto sensu verborum. Ita enim sunt mera mendacia: nam nos in characteribus, nec in sono, aut numero syllabarum, sed in sensu, & significatione vim ponimus, idque ex Christi institutione.

Siquidem fatentur omnes Catholici, quauis lingua vtamur, verè perfici Sacramentum, modò sensus sit idem; constat autem eadem verba, si diuersis linguis efferantur, vel scribantur, diuersos habere characteres, diuersum sonum, diuersum numerum syllabarum. Sequitur igitur, vt existimemus, vt verè existimamus, ea ex pacto, & promissione Christi vim habere; quæ si magia est, quid aliud sequitur, quam vt Christus sit Diabolus? Nam cum omnis magia pendeat ex pacto Diaboli, vis autem Sacramentalium verborum pendeat ex pacto Christi: manifestè sequitur, aut nullam in Sacramentis nostris esse magiam, aut Christum esse Diabolum. Ad hanc igitur horribilem impietatem aduersarij nostri deuenerunt, vt ex Christo Diabolum faciant;

DICENT, se non facere Christum Diabolum, quia Christus non instituit eiusmodi verborum pronunciationem super muta elementa. SED iam satis probauimus, Christum instituisse. Ceterum quæro ab eis, an credant Christum potuisse instituere eiusmodi signa, quæ vim haberent ex pacto ipsius aliquid operandi. Non, opinor, negabunt, nisi Christum negent esse Deum.

Nam Deus, Num. 5. instituit verba quædam, quæ dicerentur super aquas, ac voluit eam esse vim illorum verborum, vt

virtu-

virtutem tribuerent aquis continuò interficiendi mulieres adulteras, si ab eis biberentur. Item Num. 21 instituit, vt qui aspicerent æneum serpentem, continuò curarentur à morſu serpentium ignitorum. Et Christus ipſe, nonne verbis, aut manus impositione, aut etiam luto, & ſputo, pellebat morbos? Potuit igitur Christus hoc instituere, vt verba Sacramentalia vim habeant ex pacto ipſius.

Rurſus autem quæro, an ſi id Christus inſtituiſſet, quod etiam facere potuiſſet conſtitit, eſſet magia, nec ne? Si dicant magiam futuram fuiſſe, apertè fatentur, Christum eſſe Diabolum: ſi negant futuram fuiſſe magiam, non poſſunt vlla ratione nos magos appellare: id enim ſolùm facimus, quod Christum inſtituiſſe credimus. Si autem Christus id non inſtituiſſet, falleremur ſimpliciter, ſed nulla ex parte magiæ crimen nos attingeret.

D E N I Q U E verba, & ſigna magica, non habent vllam vim; neque enim Diabolus dare poteſt rebus virtutes, ſed ſolus Diabolus operatur ad eorum præſentiam. At verba, & ſigna Sacramentalia vim habent à Deo operandi quod ſignificant: quare longè mirabilius, & ſublimius agunt, quàm vllæ incantationes poſſint.

T E R T I A obiectio Caluini ſumitur ab auctoritate Chriſti, Apoſtolorum, primitiuæ Eccleſiæ, & ipſius Dei: *Nec eſt*, inquit lib. 4. cap. 14. ſ. 4. *quod in hac probatione laboremus, quando minimè obſcurum eſt, quid Chriſtus fecerit, quid nobis facere mandauerit, quid ſequuti ſint Apoſtoli, quid purior Eccleſia obſeruauerit: immò ab initio uſque mundi notum eſt, quoties ſignum aliquod obtulit Deus ſanctis Patribus, inſeparabilem fuiſſe doctrinæ copulam, ſine qua attoniti nudo aſpectu ſenſus noſtri redderentur. Ergo quum de verbo Sacramentali ſeri mentionem audimus, promiſſionem intelligamus, quæ clara voce à miniſtro prædicata plebem eo manu ducat, quo ſignum tendit, ac nos dirigit.]*

S E D nihil eſt etiam quod nos in reſponſione laboremus. Nam minimè obſcurum eſt, Christum nullam præmiſſiſſe concionem, cùm Euchariftiam primus confecrauit, & vt deinceps idem faceremus, mandauit. Vide Matth. 26. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Notum eſt etiam quid Apoſtoli, & veteres Pa-

tres

tres sequuti sint, ex his testimoniis, quæ nos paulò antè citauimus. Calvinus enim nullum attulit testimonium, præter unum Augustini, quòd iam à nobis est explicatum. Denique non negamus, & Deum cum signa dedit Patribus, eorum vim explicuisse, & nobis idem esse faciendum, dum Catechumendos instituiamus; sed non rectè inde colligit Calvinus, verbum Sacramentale nihil esse, nisi concionem. Aliud enim est concionari, aliud Sacramenta celebrare: vtrumque fieri debet, sed non idcirco distinguenda non sunt, & tempora, & officia.

CAPVT XXI.

Res, & verba Sacramentorum ita determinata esse, vt nihil addere, minuere, aut mutare liceat.

SEQVITVR TERTIA quæstio de causis intrinsicis, vt rum res, & verba Sacramentorum ita sint certa & determinata, vt nihil in eis mutari possit. Et quidem apud Catholicos nulla ferè dissensio est, magisque explicatione, quam altercatione res indiget.

Apud hæreticos veteres non deerant, qui res, & verba Sacramentorum inuerterent, ac præcipuè apud Gnosticos, de quibus vide Irenæum, lib. 1. cap. 9. & 18. & Epiphaniû hæretic. 26. Interim tamen omnes, qui Sacramentis utebantur, res, & verba determinata habere volebant, & vt plurimum non recedebant à verbis in Euangelio præscriptis. Sic enim ait Augustinus, lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 25. *Facilius inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.*

At nostro tempore Martinus Lutherus hæreticorum omnium audacissimus, nouâ hæresim excogitauit, videlicet non requiri certa verba in Sacramentis. Sic enim loquitur in libro de captiuit. Babylonica, cap. de Baptismo: *Quocunque modo tradatur Baptismus, modò non in nomine hominû, sed in nomine Domini tradatur, verè saluum facit: immò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini.* Hæc ille, Itaq; secundû Lutherum, si quis dicitur

Ego te baptizo, in nomine Lutheri, & Catharinæ vxoris eius, vel etiam in nomine Diaboli, erit verus Baptismus, modò qui suscipit, accipiat in nomine Domini.

Retractauit postea Lutherus hunc errorem; Nam in prima homilia de Baptismo, habito anno M. D. XXXV. ita loquitur: *Clare exprimit Christus, quas ceremonias velit, & formam ipse præscribit: vti illa ipsa signa, neq. alia; illa ipsa verba, neque alia hîc adhibeantur.* Et infra: *Si infantem intingeres aqua, neque adderes verba Baptismi, sed pronũciare orationem Dominicam, aut alia quædam verba ex sacris literis, non esset verus Baptismus.* Et infra: *Si quis pane, & vino proposito pronunciat non ipsa verba Sacramenti, sed aut Dialogum, aut Symbolum Apostolorum, aut sententiam aliquam sacram, vel Psalmum, non esset verũ corpus & sanguis Christi.* Similia habet in 3. homil. de Baptismo, habita anno M. D. XI.

Licet autem retractauerit Lutherus errorem suum, tamen Ioannes Brentius magis probasse videtur priorem Lutheri sententiam. Siquidem in Catechismo suo, capit. de Baptismo, non multum curat præscriptam formam Baptismi à Christo; vt etiam Zvinglius in libro de vera, & falsa religione, capit. de Baptismo, de qua re dicemus etiam libro 2. de Sacramentis, cap. 3. Et sanè prior Lutheri sententia, vt manifestè repugnat veritati, ita magis conuenit principijs Lutheranæ Theologiæ, quàm posterior. Si enim Sacramenta idè potissimùm instituta sunt, vt fidem excitent, & sustentent; nihil interest, quibus verbis, aut rebus vtamur, modò illis fides excitari, ac sustentari possit. Igitur tum ad hunc errorem destruendum, tum ad rem ipsam declarandam statuam aliquot propositiones.

PRIMA propositio: *Res certæ, & determinatæ ab ipso Deo in Sacramentis esse debent.* Hæc propositio, quantum ad Sacramenta nouæ legis, nec ab hæreticis negatur, & apud Catholicos certissima est. Sed aliter ab illis, aliter à nobis probatur. Illi probant ex generali suo principio, quod nullus cultus Deo placeat, nisi quem ipse instituit: cetera ad ἑθελουθεκσ καάμ, & traditiones hominum pertineant. Quod argumentum institutum est, vt nos alibi sæpe ostēdimus. Catholicis pro-

H

bant

caussa gratiæ, & iustificationis. 1. Corinth. 6. *Abluti estis
sanctificati estis.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in ver-
bo vitæ.* At nemo potest gratiam dare nisi Deus; solus igitur
potuit Deus ea determinare, quæ ad essentiam Sacramento-
rum pertinent.

De Sacramentis legis Mosaicæ, & legis naturæ nonnulli du-
bitare videntur: tamen si vera Sacramenta erant, vt reuera-
rant, omninò sentiendum est, fuisse à Deo determinatas res
eorum Sacramentorum. Nam IN PRIMIS de facto constat,
omnia ferè Sacramèta, quæ ad notitiam nostram venerunt
à Deo fuisse determinata. Nam Circumcisio Sacramentum
fuit legis naturæ, & constat ab ipso Deo determinatum; quomodo,
& quo tempore faciendum esset, Genes. 17. Agnus
Paschalis Sacramentum erat legis scriptæ, & à Deo determi-
natum eum ritum nouimus, ex cap. 12. Exod. Idem de multis
alijs probare possemus. DEINDE; Sacramenta vetera erant
figuræ, ac typi Sacramentorum nostrorum. At determinatæ
certas res, quæ infallibiliter significant aliquid futurum, non
potest conuenire nisi Deo; qui certè nouit illas res futuras.
DENIQUE; Etiam si Sacramenta vetera non efficiebant gra-
tiam iustificantem, tamen efficiebant legalem munditiam, &
introducebant in populum Dei: at nemo potest determinare
aliquid ad legalem munditiam efficiendam, aut ad introducendam
in certam Rempublicam, nisi qui auctor est illius legis,
& Reipublicæ.

Est autem hîc NOTANDVM cum sancto Thoma, 3. parte
quæst. 60. art. 5. ad 3. in omni lege fuisse materiam Sacramen-
talem determinatam à Deo, sed non semper eodem modo. Nam in
lege naturæ, quia lex non scribebatur in tabulis, nec promul-
gabatur per homines, aut Angelos, sed dictabatur interiùs, &
que inspirabatur cordibus hominum: ita quoq; & Sacramen-
ta inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noë, Abræ, &
qui alios deinde docebant. Quia verò lex Mosaica promul-
gata est per Moysen, & publicè scripta in tabulis; ita etiam Sa-
cramèta illius temporis, à Deo per Moysen tradita, & literè
mandata etiam fuerunt. Denique, quia legis nouæ auctor est
Verbum incarnatum, idèd etiam ab ipso Sacramenta noua
determinata fuerunt.

SECUNDA propositio: *Non solum res, sed etiam verba
Sacramentorum*

Sacramenta nouæ legi à Deo determinata sunt, vt nō liceat quidquam immutare. Hæc propositio explicanda est, vt rectè intelligatur. Notandum est igitur PRIMO, sex modis contingere posse formæ variationem; nimirum per additionem alicuius vocis; detractionem alicuius vocis; mutationē, vt si vna ponatur loco alterius, corruptionem alicuius vocis, detrahēdo, vel mutando aliquam syllabam; trāspositionem, id est, ordinis dictionum variationem, denique per interruptionem, vt pronuntiando vnā partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod spatium, vel loquendo aliquid impertinēs, & tūc detum perficiendo formæ pronuntiationem.

SECUNDO notandum est, duplicem esse Sacramētalis formæ integritatem; vnā substantialem; alteram accidentalem. Substantialis consistit in solo sensu, seu significatione verborum, non autem in sono vel numero syllabarum. Quare vtcunque variantur verba, addendo, detrahendo, mutando, transponendo, corrupendo, interrumpendo, semper manet, integritas substantialis, dum manet idem sensus: & contrā minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus; vt si quis vna sola litera mutata dicat; Ego te baptizo in nomine Matris, & Filij, & Spiritus sancti, non habet substantialem formam. Accidentalis integritas consistit in ceteris omnibus, id est, in integro sono, ordine & numero syllabarum:

TERTIO nota, iudicium de his mutationibus, sintne substantiales, an accidentales, non debere esse mathematicum, sed morale, ita vt tunc iudicandum sit, sensum verborum conseruari, quando audientes intelligunt, vt iudicant illud significari, quod per integra verba significari solet, etiam si alioqui verba pronūtiēntur valdè corruptè. Exemplo esse potest, id quod refert Zacharias Pontifex in epistola ad Bonifacium, & habetur etiam apud Gratianum, can. Retulerunt, de consecrat. distinct. 4. Quidam enim ex nimia imperitia linguæ Latinæ baptizabant his verbis; Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta. Quæ verba si propriè accipiantur, nō significant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & præsertim si seorsim pronuntiarentur: iudicauit tamen summus Pontifex prudentissimè, substantiam formæ non esse mutatam, quia facilè poterat intelligi, quid ille vel-

let dicere, tum ex ipsa actione baptizandi, tum etiam ex conjunctione cum verbo in nomine; Non enim ait: In nomine Patriæ, & Filiæ, quod ratio Grammaticæ exigebat, si is de industria formam mutare voluisset; sed, in nomine Patria, & Filia: quæ cum ex se nihil significant, signum est illum voluisse dicere, quod alij dicunt, cum aiunt; In nomine Patris, & Filij, &c.

Pari ratione iudicandum est de interruptione: Si enim quis diceret in consecranda Eucharistia: *Hoc est cor*, ac deinde recitaret unum Psalmum, vel quiesceret ad spatium notabile, & tum demum adderet, *pus meum*, sine dubio iudicio prudentium non censeretur dixisse: *Hoc est corpus meum*. Si verò vbi dixit: *Hoc est cor*, pateretur breuem aliquam euagationem mentis, & non nihil etiam interquiesceret, antequam adderet, *pus meum*, non censeretur sensus formæ petire.

Notandum est **Q V A R T O**, non esse licitum, vt in Conclusionedicimus, vlllo modo verborum formam immutare, siue per eam immutationem tollatur substantialis formæ integritas, siue solùm accidentalis. Sed hoc interest, quod cum forma mutatur substantialiter, Sacramentum non perficitur, & idè ea integritas dicitur necessaria, necessitate Sacramenti, cum autem mutatur solùm accidentaliter, Sacramentum perficitur, sed peccat qui ita mutat: & idè dicitur hæc integritas necessaria solùm necessitate præcepti.

Nota **Q V I N T O**, ex parte formæ verborum nunquam Sacramentum irritum reddi, nisi reuera desit integritas substantialis, tamen aliunde posse contingere, vt cum sola corruptione accidentali non perficiatur Sacramentum, nimirum si is qui accidentaliter mutat formam, velit introducere nouum ritum, vt docet Zacharias, can. Retulerunt, de consecrat. dist. 4. & post eum S. Thomas, 3. par. q. 60. art. 7. ad 3. & art. 8. in corpore articuli. Quorum auctorum verba non rectè ab omnibus explicantur.

Idè **A N I M A D V E R T E N D V M** est, vtum is, qui intendit introducere nouum ritum, intendat introducere nouum essentialem ritum respectu totius Ecclesiæ Christi, in vniuersum, id est, qui non fuerit antea in ipsa vera, & vniuersali Ecclesiâ; an intendat nouum ritum introducere respectu alicuius Ecclesiæ, quam ipse putat falsam.

Si intendit introducere nouum absolutè, tunc non perficitur

tur Sacramentum, non quia desit forma, sed quia deest intē-
tio. Conuincitur enim ille non velle facere, quod facit vera
Ecclesia, quandoquidem vult introducere ritum, qui nun-
quam fuit in Ecclesia vniuersali, & vera. Et hoc est, quod docet
S. Thomas locis citatis: semper enim reddit rationem cur
non perficiat Sacramentum, qui intēdit introducere nouum
ritum, quia non habet intentionem Ecclesiæ.

Si verò intendit introducere nouum ritum, non absolutè,
sed solùm respectu alicuius Ecclesiæ, quam ipse putat falsam,
& interim intendat facere quod facit vera Ecclesia; tunc per-
ficitur Sacramentum, etiam si ipse fallatur in vera Ecclesia
internoscenda. Vt exempli causa, si Græcus aliquis dum bap-
tizat illis verbis; baptizetur seruus Christi in nomine Patris,
& Filij, & Spiritus sancti, intendat introducere ritum substā-
tialem & necessarium contrā ritum Romanæ Ecclesiæ, ita vt
velit persuadere, non perfici Sacramentum, si quis dicat; Ego
te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & ta-
men intendat facere, quod facit Ecclesia vera, quęcunque illa
sit; is vere baptizabit, non obstante ipsius errore. Nam in eo
Baptismo inuenitur forma substantialis, & intentio veræ Ec-
clesiæ in genere, quæ omnium consensu sufficit: error enim
illius circa Sacramentum, aut Ecclesiam, non irritat Sacramē-
tum, vt omnes Catholici docent, quid docent Sacramenta
ab hæreticis tradita esse valida. Non enim tenetur minister
Sacramenti intendere id facere, quod facit Ecclesia Romana:
alioqui nullus hæreticus verè baptizaret; sed solùm id quod
facit Ecclesia Christi vera, in qua tamen intētionē virtualiter
includitur, vt intendat id, quod Romana Ecclesia intendit,
quia illa sola est vera Ecclesia.

Itaque quod Paludanus ait in 4. dist. 39. q. 1. art. 3. non semper
irritari Sacramentum, cū quis intendit introducere nouum
ritum, est verum, sed non contra S. Thomam, vt ille fortasse
putauit. Immò S. Thomas idēdō non dixit; Cū quis vult in-
ducere nouum ritum, nō perficitur Sacramentum, sed non vi-
detur perfici Sacramentum, quia nimirum posset fieri, vt per-
ficeretur Sacramentū, sed præsumitur non perfici, quia præsu-
mitur non adesse intentionem debitam.

Quod verò Dominicus à Soto ait, q. 1. art. 8. Græcos verè
baptizare illis verbis; Baptizetur seruus Christi, &c. quia Ec-
cle-

clesia Romana tolerat eum ritum; sed si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, tunc fore ut ipsi non verè baptizarent; non est verum absolute. Nam si Ecclesia Romana eum ritum detestaretur; ut corruptionem formæ accidentalem, illi peccarent quidem, sed tamen verè baptizarent; si verò Ecclesia Romana eum ritum detestaretur, ut corruptionem substantialem, tunc illi non verè baptizarent, sed causa non esset, ut Sotus dicit, quia deesset intentio, sed quia deesset forma substantialis.

His ita explicatis, probatur nostra propositio aduersus Lutheri & Brentij temeritatem. PRIMO. Sacramenta à Deo sunt instituta, ut aduersarij concedunt; ergo pars Sacramenti præcipua, nimirum forma verborum à Deo instituta est; ergo qui eam mutat, peccat contra Deum, & sæpe non perficit Sacramentum, nimirum cum substantialiter mutat. Si enim Sacramentum à Dei institutione pendet, certè non erit Sacramentum, cum non facimus, quod ipse instituit.

SECUNDO Mutare Sacramentorum materiam, graue sacrilegium esset, nec perficeretur Sacramentum, ut aduersarij concedunt; cur igitur non sit eadem ratio de forma, quæ in verbis consistit?

TERTIO. Addere ad verba Scripturæ, vel ea mutare nullo pacto licet: igitur nec verba Sacramentorum mutari villo modo debent, aut possunt; præsertim cum verba Scripturæ solum ad significandum, verba Sacramentorum ad significandum, & sanctificandum instituta sint.

QUARTO. Idem probatur testimonijs Patrum. IRENAEUS lib. I cap. 18. reprehendit hæreticos quosdam, quod mutarent formam verborum à Christo præscriptam in Sacramento Baptismi. TERTULIANUS in lib. de Baptismo: *Lex, inquit, tingendi imposita est, & forma præscripta; Ite, inquit, ad omnes gentes tingentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* CYPRIANUS in epistola ad Iubaianum idem habet. Item ATHANASIUS sermone 3. contra Arianos. BASILIUS homil. in sanctum Baptisma, & ceteri, qui scribunt aduersus Arianos, hoc argumento probant trium personarum diuinitatè, quod iussi sumus in Baptismo tres personas exprimere. Item Basilius libro de Spiritu sancto, capite 12. dicit, cum à gratia excidere, qui detrahit, aut addit ad verba præscripta in Sa-

ramento Baptismi. DIDYMVS in libro 2. de Spiritu sancto: Qui unum, inquit, de præceptis nominibus prætermittit, neque perfectionem Sacramenti attingit, nec à peccato hominem liberat AVGVSTINVS libro 6. contra Donatistas, capite 25, Certa sunt, inquit, verba Evangelica, sine quibus non potest consecrari Baptismus. DAMASCENVS libro 4. de fide, capit. 16. Quæ forma verborum in Baptismo adhibenda sit, Dominus exposuit, dicens; Baptizantes eos, &c. Accedat Concilium ARELATENSE I. can. 8. quod examinari iubet, qua forma verborum Ariani baptizent,

CAPVT XXII.

De fine, & necessitate Sacramentorum.



RIA explicanda erunt circa finale causam Sacramentorum. PRIMVM, de ipso fine dicendum erit, SECVNDO, de necessitate, quæ ex fine cognoscitur. TERTIO, defendenda est sententia Ecclesiæ contra menadcia, & calumnias hæreticorum. Quod ad primum attinet, duo quæri possunt, cum quæritur quis finis sit Sacramentorum. PRIMVM, ad quem finem assequendum Deus instituerit Sacramenta. SECVNDO, cur ad eum finem assequendum talia media instituerit, cum potuerit per alia media, & etiam sine vllis medijs ad eum finem peruenire.

Prior quæstio iam explicata est in disputatione de definitione Sacramentorum: iam enim ostendimus, Sacramenta instituta esse ad iustificandos homines, atque ut sint signa, & causæ instrumentales gratiæ Dei.

Posterior quæstio facilis est, nec de ea vlla est controuersia. Et quidem auctores multas rationes colligunt, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex parte Sacramentorum ipsorum, cur vtile fuerit Sacramenta, id est, sensibilia signa instituire ad iustificandos homines. Sed hæ sunt præcipuæ causæ.

PRIMA, quia id congruit naturæ humanæ, quæ ex corpore, & spiritu constat. Sic enim ait S. CHRYSOSTOMVS homil. 60. ad populum, & 83. in Matth. Si incorporeus esses, nuda, & incorporea tibi dedisset dona, sed quoniam anima corpori inserta est in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Similia docent

docent Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus in sermone de Baptismo.

SECVNDA, vt clariùs appareret, gratiam, quæ datur per Sacramenta, à solo Deo esse. Si enim daretur per actiones aliquas spirituales, suspicari potuissent homines, vi propria illius actionis homines iustificari: nunc autè cum per res corporales, & abiectas detur tam excellens donum, nullus relinquatur locus eiusmodi suspicionis. Qua etiam de causa Dominus Ioan. 9. cæcum illuminauit sputo, & luto, non aliquo precioso vnguento: & mundum sibi subijcere voluit per homines pauperes, & obscuros.

TERTIA, vt simul essent instrumenta iustificationis, & signa, quibus discernentur fideles ab infidelibus, & quibus colligeretur populus Dei, & quibus etiam, vt sacris cæremonijs coleretur Deus. Nec enim poterant esse signa ad discernendos alios ab alijs, neque etiam cæremoniæ religionis, nisi essent externa, & sensibilia, Vide multas eiusmodi rationes apud Hugonem, lib. 1. de Sacramentis, part. 9. cap. 3. & Magistrum, ac Doctores, lib. 4. sentent. dist. 1. & S. Thomam, lib. 4. contra Gentes, cap. 56. & ex recentioribus Gulielmum Aleum, lib. de Sacramentis in genere, cap. 24.

Quantum ad SECVNDVM, de necessitate, duplex est necessitas. VNA dicitur necessitas præcepti ALTERA necessitas medijs. Et quanquam interdum hæ duæ necessitates coniunctæ sint; nam hoc ipso quod aliquid est medium ad salutem necessarium, simul etiam est præceptum naturale, si in nostra potestate situm sit: tamè hoc interest, quod cum quis ex ignorantia inuincibili, aut alia iusta de causa nõ implet præceptum, is nihil detrimenti accipit: at si quis non accipiat medium necessarium, is magnum detrimentum capit, quia non assequitur finem, licet ex ignorantia inuincibili ei accidat. Verbi gratia, Sacramentum Confirmationis est præceptum, sed non medium ad salutem simpliciter necessarium, idè qui negligit accipere eiusmodi Sacramentum, peccat: sed si ex legitima causa non accipiat, nec peccat, nec impeditur à salute. Quia verò Baptismus in re, vel in voto est præceptum, & medium, idè qui non baptizatur; aut certè non desiderat Baptismum, non saluatur, licet ex ignorantia, vel impotentia id accidat.

Rursus necessitas medijs; A VT est necessitas simpliciter, quomodo

modo alæ necessariae sunt ad volandum; Avt ad bene esse, quomodo equus necessarius est ad iter faciendum. Denique utraque necessitas, Avt est absoluta, & naturalis, ut in exemplis positus; Avt ex institutione, & arbitratu alteri: quomodo in ludis attingere metam, est medium necessarium ad brauium; Avt est partim ex institutione, partim ex naturali congruentia, ut cum Imperator cōcedit militibus urbem aliquam diripiendam, si eam vi ceperint. Ex his facile poterit intelligi, quæ sit necessitas Sacramentorum.

Sit igitur PRIMA propositio: *Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem, sed omnis eorum necessitas pendet ex præcepto, & institutione diuina, adiuncta naturali congruentia* Certum est enim potuisse Deum sine vllis Sacramētis homines iustificare neque de hoc vlla controuersia est.

SECUNDA propositio: *Omnia Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licet non singulis.* De hac propositione non est controuersia cum hæreticis.

TERTIA propositio: *Baptismus, & Pœnitentia necessaria sunt, posita in institutione diuina, necessitate medij simpliciter; Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia ijs, qui post Baptismum læthaliter delinquent.* In hac non conuenimus. Nam aduersarij, fatentur quidem Sacramenta esse necessaria, quia præcepta, & etiam necessaria ut media vtilia: non tamen agnoscunt vllum Sacramentum necessari-um simpliciter ut medium. Et ratio est, quia cum sola fides iustificet, Sacramenta solum adhibentur, ut fidem excitent, aut nutriant. Atqui sine Sacramentis per solum verbum potest fides gigni, nutriri, augeri: non igitur sunt vlla Sacramenta simpliciter necessaria. Sed hæc controuersia tractanda est in disputatione de Baptismo, & Pœnitentia: nunc sufficient duo loca Scripturæ apertissima. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Lucae 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

QUARTA propositio: *Eucharistia, Confirmatio, & Extrema vntio necessaria sunt necessitate medij ad bene esse, posita diuina institutione.* In hac non conuenimus, quatenus numeramus, Confirmationem, & Vntionem inter Sacramen-
ta: sed de hoc alibi. Quantum ad Eucharistiam, conuenimus,

H. S. quod

quod sit in præcepto; sed quod sit necessaria ad benè esse, ut medium, videtur conuenire, sed re ipsa non conuenimus. Nam dicunt quidem *Caluinus* in Antidoto, & *Kemnitius* in Examine, Sacramenta esse necessaria, ut media à Christo instituta; sed inter explicandum ita extenuant hanc necessitatem, ut eam ferè tollant. Volunt enim Sacramenta solùm esse utilia ad alendam fidem, quia repræsentant oculis id, quod verbum offert auribus. Vnde *Apologia Confessionis*, artic. 13. comparat Sacramenta picturæ: sicut ergo picturæ non possunt dici necessariae ad salutem, nisi fortè hominibus valde rudibus, ita nec Sacramenta secundum ipsorum sententiam. Conatur *Kemnitius* loco citato refellere hanc similitudinem de pictura, & ostendere nescio quam maiorem necessitatem. Sed non potest negare similitudinem illam esse in *Apologia*, quam se in omnibus sequi profitetur. Et præterea alijs verbis idem dicit: nihil enim vult Sacramenta esse aliud, nisi ritus, in quibus visibiliter repræsentetur promissio, sicut audibiliter, ut sic loquar, repræsentatur in verbo. Itaque reuè non agnoscunt necessitatem, licet mentiantur se agnoscere, sed solùm tenuem quandam utilitatem Sacramentorum.

QVINTA propositio: *Ordo necessarius est, non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesie in vniversum, necessitate medijs simpliciter, posita diuina institutione.*

SEXTA propositio: *Matrimonium necessarium est ad bene esse, non singulis hominibus, seu Ecclesie in vniversum.* De his non est controuersia. Vide sanctum Thomam, 3. parte quest. 65. artic. 4.

Quantum ad *TERTIVM*, refellenda sunt mendacia & calumniæ *Caluini*, & *Kemnitij* contra canonem IV. sess. 7. Concilij Tridentini, vbi de necessitate Sacramentorum agitur. Verba Concilij ita habent: *Si quis dixerit, Sacramentum nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiâ iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Quo Canone Concilium tria definit. *PRIMUM* Sacramenta non esse superflua ad salutem, sed necessaria: id quod definitum est contra *Anabaptistas*, & *Zvvingianos*, qui (ut supra in disputatione de definitione vidimus) Sacramen-
ta vi-

ta vtilia esse volebant ad discernendos fideles ab infidelibus, non autem ad salutem consequendam. Atque hanc partem definitionis libenter admittunt, & probat Calvinus, & Kemnitius. SECUNDO, Sacramenta quædam adesse necessaria, ut sine ipsis, vel eorum voto non possit salus contingere. Hoc autem est contra Lutheranos, & Calvinistas, qui soli fidei tribuunt eiusmodi necessitatem. TERTIO, non omnia Sacramenta esse singulis necessaria: id quod asseritur propter Ordinem, & Matrimonium. In qua parte definitionis illud solum reprehenditur, quod hæc inter Sacramenta numeramus: sed de hoc alibi dicendum erit. veniamus nunc ad mendacia.

Hunc Canonem ita Calvinus calumniatur in Antidoto: *Hic boni Patres pro sua crassitie non animaduertiunt, quidquid nobis gratia per Sacramenta confertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim à Sacramentis fidem separat, perinde facit, ac si animam à corpore tolleret. Ergo quemadmodum Euangelij doctrinam non excludimus, cum dicimus, nos sola fide Christi gratiam adipisci, ita nec Sacramenta; quorum eadem est ratio, cum Euangelij sint sigilla.* Hæc ille.

Quibus verbis reprehendit illam partem canonis, vbi Concilium damnat eos, qui dicunt, homines iustificari sola fide sine Sacramentis. Idem autem reprehendit, quia putat à Concilio damnari sententiam Lutheranorum non intellectam. Nam etsi fatentur Lutherani solam fidem iustificare, & proinde Sacramenta non iustificare, eo modo, quo fides iustificat, tamen admittunt etiam Sacramenta alio modo iustificare: quomodo non negant, Deum iustificare, & Christi passionem iustificare, & concionem etiam suo quodam modo iustificare. Nam Deus iustificare dicitur, ex auctoritate peccata remittens, & in gratiam nos recipiens: Christus iustificare dicitur meritoriè, quia meruit nobis gratiam, & remissionem peccatorum, verbum, & Sacramentum iustificant instrumentaliter, quatenus excitant, vel nutriunt fidem, quæ iustificationem apprehendit: fides autem iustificat, quia immediatè veluti quædam spiritualis manus, iustificationem apprehendit; quo modo iustificandi fides comitem nullum habet. Itaque ineptè Concilium ex Caluini sententia colligit Lutherana

nos excludere Sacramenta à iustificatione, quia doceant solam fidem iustificare.

Similem calumniam habet Kemnitius, pag. 80. Quod inquit, præcipuè observandum est, necessitatem Sacramentorum opponunt iustificationi per solam fidem, atque ea, quæ ad salutem necessaria sunt, distinguenda sunt, ut Christus promerens, Pater donans, organa, seu instrumenta verbi, & Sacramentorum, per quæ Spiritus sanctus beneficia illa novi testamenti offert, applicat, obsignat, auget, & confirmat, in credentibus, & demum fides, quæ beneficia illa apprehendit, & accipit. Singula hæc suo modo, & in suo gradu ad salutem nostram ordinata sunt. Et sicut non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non solus Christus suo merito nobis eam acquisiuit: ita etiam non sequitur, Sacramenta ad salutem sunt necessaria, ergo non per solam fidem gratiam iustificationis accipimus. Hæc ille.

Atqui hæc est calumnia, & mendacium manifestum. Concilium enim rectè intellexit eorum sententiam, & id ipsum propriè damnavit, quod illi docent. Nam non damnat eos Concilium, quòd excludant Sacramenta à iustificatione quovis modo, sed quòd excludant ab immediata acceptione, & applicatione iustificationis, quam ipsi soli fidei tribuunt. Fides enim Catholica non admittit sola fide immediatè apprehendi, & applicari hominibus gratiam iustificationis, sed vult ad id necessariò requiri etiam Sacramenta, ad eòdè ut si fides in aliquo existat, quamvis maxima, non tamen iustificet, nisi adit etiam Sacramentum in re, vel in voto; Immo magis requiritur Sacramentum, quàm fides. Nam sine Sacramento in re, vel in voto nemo iustificatur, neque paruulus, neque adultus; sine fide autem aliqui iustificantur, ut paruuli, qui fidem propriam nullam habent, qua recipiant iustificationem, & tamen per Sacramentum fidei iustificantur.

Vnde etiam refellitur, quod ait Calvinus; quidquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, id fidei imputandum. Id enim falsum est. Gratia enim quæ per Sacramenta confertur, imputanda est virtuti ipsorum Sacramentorū, & Christi institutioni, non fidei: fides enim non tribuit vim Sacramentis, sed solùm disponit subiectum, ut supra diximus,

Iam verò Martinus Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 79. & sequentibus, dicit in singulis dictionibus huius canonis latere insidias: detegit autem ipse quinque insidias: quæ tamen reuera non sunt latentes insidiæ Concilij, sed patentes calumniæ Kemnitij. P R I M O sic ait: *Principio artificium compositionis in hoc canone considerandum est. In singulis enim ferme dictionibus peculiare latet insidiæ.* Et infra, *Reliquos, inquit, ritus, ut Confirmationis, Extremæ unctionis, auricularis Confessionis, Satisfactionis, &c. volunt simpliciter esse Sacramenta ad salutem necessaria.*]

Hoc esse mendacium perspicuum est, tum ex eo, quod Concilium non addit vocem illam (simpliciter) tum etiam quia communis sententia Theologorum, à qua Concilium nunquam recedit, solum tria Sacramenta docet esse necessaria simpliciter; Baptismum omnibus; & Pœnitentiam omnibus, qui peccant post Baptismum; & Ordinem ipsi Ecclesiæ in vniuersum. Sine reliquis posse homines saluari, modò absit negligentia, & contemptus. Vide S. Thomam 3. par. quæst. 65. art. 4.

S E C V N D O sic ait idem Kemnitius: *Neque enim quisquam sanus iustificationem per solam fidem ita vnquam intellexit, quasi à iustificatione excludatur gratia Dei, meritum Christi, & ministerium verbi, & Sacramentorum.*

Hoc est alterum mendacium. Nam etsi Kemnitius, & Calvinus doceant, solam fidem nõ debere opponi Sacramentis in negotio iustificationis, sicut non apponitur gratiæ Dei, & merito Christi; tamen Lutherus, quem sanum fuisse Kemnitius nunquam negaret, multis in locis opposuit solam fidem Sacramentis, ac disertis verbis docuit, ita sola fide homines iustificari, vt nulla pars iustificationis ad Sacramenta pertineat. In lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo: *Baptismus, inquit, neminem iustificat, nec vlli prodest, sed fides in verbum promissionis.* Et in asserti. artic. *Nos dicimus, inquit, nec noui, nec veteris Testamenti Sacramenta, sed solum fidem iustificasse.* Et in lib. contra Ioannem Cochlaeum: *Non potest, inquit, vlla pars iustificationis tribui Baptismo.* Hec ille. Qui certè non dixisset, Gratia Dei, aut meritum Christi non iustificanti, nec vllis profunt, & nulla pars iustificationis tribui potest gratiæ Dei, aut merito Christi. Lutherus igitur opposuit iustificationem per solam fidem Sacramentis, quam tamen

non

non opposuisset gratiæ Dei, aut merito Christi. Sic etiam Philippus Melanchthon, quem insanum fuisse Kemnitius nunquam diceret, in locis editis, anno M. D. XXII. *Non iustificat, inquit, signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est, nec Baptismus nihil est participatio mensæ Domini nihil est.* Hæc ille. Sed quæso, an dixisset Melanchthon, Gratia Dei non iustificat, & gratia Dei nihil est? Igitur opponebant veteres Lutherani solam fidem Sacramentis, quam non opposuissent gratiæ & merito Christi. Porro Concilium simul damnauit & has prophanas voces veterum Lutheranorum, & sententiam, quam sequuntur Caluius, & Kemnitius, licet à veteribus abstineant.

TERTIO, sic ait ibidem Kemnitius: *Neque necessitate Sacramentorum eò tantùm referunt, quòd sint causa instrumentales, per quas à Deo nobis offeratur, & exhibeatur gratia iustificationis, sed loquuntur de adipiscenda, seu accipienda gratia iustificationis. Et hoc nolunt soli fidei tribui, sed adiungunt necessitatem Sacramentorum: hoc est, intelligunt nostrum opus, quòd in susceptione Sacramentorum facimus, ut fides non sola, sed unà cum dignitate, seu merito illius nostri operis accipiat gratiam iustificationis.*

Hic verò impudenter mentitur Kemnitius. Nullus enim Catholicorum iustificationem, quam in Sacramentis accipimus, tribuit dignitati, aut meritis operis nostri, sed institutioni diuinæ, & operi Christi. Nec enim Baptismus, aut alia Sacramenta sunt opera nostra, aut pendent ex nostra dignitate, aut merito: alioqui Sacramenta ab impijs collata non essent vtilia, cuius contrarium tum Catholici, tum etiam Lutherani defendunt contra Donatistas.

QUARTO addit Kemnitius: *Et propterea nominant Sacramenta nouæ legis, ut sit mutua relatio legis, & nostrorum operum in ipso etiam Sacramentorum usu.*

Hic etiam leuiter calumniatur. Non enim per legem intelligit Concilium præceptum, quo opus imperatur, sed Testamentum nouum; idem enim significant Sacramentum nouæ legis, & Sacramentum à Christo institutum, qui est auctor noui Testamenti, seu legis.

QUINTO adiungit ineptissimè: *Ideo etiam votum nomi-*

nant, hoc est, pollicitationem certi operis ad accipiendam iustificationis gratiam.

Quis non miretur imperitiam, vel impudentiam huius cœsoris? Nam vel ignoravit, votum in verbis Concilii non pollicitationem, sed desiderium significare; vel de industria cavillari voluit. Certè Concilium, cum ait, Sacramenta esse necessaria, vel eorum votum, per votum voluntatem accipit. Nam ut S. Augustinus libro 4. contra Donatistas, cap. 23. docet, sine Baptismo, latro saluatus est, quia non eius accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit. Atque hæc de nugis Kemnitianis, & de causa finali Sacramentorum,

C A P V T XXIII.

Auctorem Sacramentorum solum esse Christum.

DE CAUSSA efficiente Sacramentorum, quatuor sunt cōtrouersia; quot sunt etiam canones de hac re in Concilio Tridētino, sess. 7. Ut autē hæc facilius intelligantur, obseruandum est triplicem causam efficientem in Sacramentis à Theologis considerari. VNAM principalem, & omninò indepēdentem, in qua dicunt esse potestatem auctoritatis. ALTERAM instrumentalem, sed instrumenti cōiuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. TERTIAM instrumentalem, sed instrumenti separati in qua dicunt esse potestatem ministerialem.

PRIMA causa omnium consensu est Deus; ipse enim solus ex auctoritate gratiam dare potest, & proinde Sacramenta instituire, quæ gratiam efficiunt, aut etiam infallibiliter significant. SECUNDA causa est Christus vt homo; Christi enim humanitas est instrumentum coniunctum diuinitati hypostaticè, & ideò Christo vt homini tribuitur quædam potestas ministerialis quidem, quia deriuata est à diuinitate, tamen excellentiæ potestas dicitur, quia soli Christo conuenit. TERTIA causa est quilibet alius minister Sacramentorum. De 1. causa nulla est quæstio, de 2. vna controuersia, est de 3. tres.

PRIMA igitur quæstio est; An auctor Sacramentorum nouæ legis sit solus Christus. Aduersarij duo quædam docent, Primò, Sacramenta quæ sola ipsa vera Sacramenta putant, à solo

solo Christo esse instituta, nimirum Baptismum, & Eucharistiam; cetera non à Christo instituta. Ita docent Calvinus in Antidoto Concilij, sess. 7. can. 1. & Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 13. Citat. autem Kemnitius Cyprianum, in sermone de ablutione pedum; item Hugonem, lib. 2. de Sacramentis, par. 15. cap. 2. & Petrum Lombardum, lib. 4. dist. 23. qui negant omnia Sacramenta à Christo instituta fuisse. Poterat addere Alexandrum Aleriensem, qui 4. part. quæst. 24. membro 1. dicit Sacramentum Confirmationis post mortem Apostolorum institutum esse ab Ecclesia in Concilio Meldensi. Idem sentire videtur S. Bonaventura, in 4. distinct. 7. art. 1. quæst. 1. Præterea idem Alexander, quæst. 59. membro 3. & Bonaventura dist. 17. art. 1. quæst. 3. & Marsilius in 4. quæst. 14. dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ non fuisse à Christo institutum, sed à Apostolis.

Aduersus errorem hunc posuit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. qui talis est: *Si quis dixerit, Sacramenta noua huius non esse omnia à IESU Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Qui canon non debet ita intelligi, quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse à Christo immediatè, & mediatè; sed solùm immediatè: nam alioqui Concilium frustra canonem istum posuisset, cum nemo vnquam dubitauerit, quin saltem mediatè Sacramenta à Deo sint instituta. Præterea idem Concilium, sess. 14. can. 1. agens de Sacramento Vnctionis extremæ, seipsum explicat, cum ait; Sacramentum illud ab ipso Christo institutum fuisse, sed à Beato Apostolo promulgarum. Denique, si tantùm mediatè Christus Sacramenta instituisset, idem dici posset de Sacramentis, & de alijs omnibus cæremonijs Ecclesiasticis: omnes enim sunt à Christo mediatè institutæ. qui nimirum dedit Ecclesiæ potestatem instituendi, & inspirauit, vt institueret, & assistit, ne erraret in instituendo; & tamen idem Concilium non eodem modo loquitur de Sacramentis, & de alijs cæremonijs. Nam sess. 21. cap. 2. dicit, Ecclesiã habere potestatem mutandi, & instituendi circa Sacramenta, salua tamen eorum substantia.

Hæc igitur verissima Concilij sententiã confirmari potest his rationibus. PRIMO, in Scripturis Apostoli nõ vocantur nisi dispensatores, & ministri mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. Si

nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Non igitur instituerunt ipsi, sed solum promulgarunt, & ministrarunt Sacramenta à Christo instituta.

SECUNDO, Sacramenta legis veteris à Deo immediatè sunt instituta, à Moysè autem solum promulgata, ut patet ex libris Exodi, & Leuitici, ubi temper cum aliquid noui instituitur, legimus; Loquutus est Dominus ad Moysen; multò igitur, magis par erat, ut Sacramenta nouæ legis præstantiora ab ipso Deo instituerentur.

TERTIO, id Patres affirmant. CYPRIANVS, siue quicumque est auctor, in sermone de ablutione pedum: *Ipse, inquit, summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, et auctor: in ceteris homines Spiritum sanctum habuere doctores.* Vbi vides non Sacramenta (ut Kemnitius falsò citabat) sed quosdam alios ritus ab hominibus institutos, auctore Cypriano. AMBROSIVS lib. 4 de Sacramentis, cap. 4. *Auctor, inquit, Sacramentorum quis, nisi Dominus IESVS?* AVGVSTINVS lib. 3. doct. Christ. cap. 9 dicit primò ipsi Dominum, deinde Apostolicam disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramenta. Idem in Epist. 118. cap. 1. Sacramentorum auctorem Deum facit.

Ad testimonia verò, quæ allegat Kemnitius, RESPONDE-
MVS, Cyprianum contrarium habere, ut supra ostendimus. Hugonem autem, & Lombardum per institutionem intelligere voluisse promulgationem; quomodo etiam lex vetus dicitur lex Moysis, cum tamen eam Moyses non instituerit propriè, sed tantum promulgauerit. Idem responderi potest ad eorum testimonia, qui dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ ab Apostolis institutum. Nam iidem dicunt, Christum instituisse Absolutionem, & insinuasse Confessionem: quocirca non tam relinquunt Apostolis institutionem, quam declarationem, licet ipsi eam vocent institutionem. Porro quod aiunt Alexander & Bonauentura de Sacramento Confirmationis, defendi non potest. Constat enim testimonio Fabiani Papæ, Dionysij Ateopagitæ, Cypriani, Tertulliani, & aliorum veterum, Sacramentum Confirmationis fuisse diu ante Concilij Meldensis tempora. Vide Dionysium de Eccles. hierar. cap. de Baptismo, Tertullianum lib. de resurrectione carnis, Fabianum in Epistola ad Orientales, Cyprianum lib. 2. epist. 11. & in sermone de Chrismate. Sed neque Concilium illud aliud sta-
I
tuta.

tuit, nisi ut qui ad Sacramentum Confirmationis accedunt, ieiuni sint, ut patet ex Gratiano, canone, Ut Episcopi, de consecrat. dist. 5. nec enim aliud exstat ex hoc Concilio. De hac tota quaestione plura dicentur, cum de singulis Sacramentis ageretur.

CAPVT XXIV.

Ministrum Sacramentorum ordinarium non esse quemlibet hominem etiam baptizatum.



ALTERA quaestio est de causa ministeriali in Sacramentis conficiendis, & ministrandis, quae proprie in Ecclesia sit minister Sacramentorum. Adversarii multum inter se, & nobiscum in hac quaestione dissentiunt.

Martinus Lutherus duo dicit falsa, & inter se pugnantia. PRIMUM, omnes omnino esse ministros, non solum homines, sed etiam daemones. Sic enim ait in lib. de missa privata & vinctioe Sacerdotum, edito anno M. D. XXXIV. Ego non dicam, quod Papistae dicunt, nullum Angelorum, ne Marianam quidem ipsam consecrare posse. Sed contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea resciscerem diabolus sic irrepisset in officium pastoris Ecclesiae, in specie hominis vocatum, & praedicandum & publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absoluisse a peccatis, & tali munere factum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateari Sacramenta idem non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Euangelium, veram Absolutionem, verum Sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI nos accepisse. Hac ille.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas, & efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personae; sed Christi verbo, & ordinatione. Siue igitur bona sit, siue mala, siue vincta, siue non vincta, siue vocata legitime, siue non sic vocata, siue Satan, siue Angelus, idem efficit, modo seruet Christi ordinationem; tum etiam quia Iudas, qui erat membrum diaboli, non minus praedicabat, & baptizabat, quam ceteri Apostoli. Cur igitur non possit diabolus, quod possunt membra eius?

ALTE

ALTERVM quod Lutherus dicit, est, omnes & solos homines baptizatos habere potestatem omnia Sacramenta ministrandi: tamen si ad tollendam confusionem, non oporteat omnes uti hac potestate, sed tantum eos, qui legitime sunt vocati, exceptis tribus casibus. PRIMO, quando quis est in loco priuato, ut domi suæ. SECUNDO, quando nemo alius adest, & necessitas urget. TERTIO, quando alius adest, sed non tam bene ministrat, ut ego facerem, iuxta illud, I. Cor. 14. *Si alteri reuelatum fuerit prior taceat.*

Hanc esse eius sententiam patet ex sequentibus. In libro de captiuit. Babylon. cap. de Ordine: *Esse, inquit, certus, & sese agnoscat quicumque se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eandem in verbo, & Sacramento quocumque habere potestatem; verum non licere quenquam hac ipsa vi, nisi consensu cõmunitatis, vel vocatione maioris.* Et paulò antè: *Quòd si cogerentur admittere, non omnes esse æqualiter Sacerdotes, quòtquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, &c.* Item in articulis à Leone X. damnatis, art. 13. *Vbi, inquit, non est Sacerdos, æquè potest quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset.* Et in assertione eiusdem articuli ratione reddens, ait: *Qui enim baptizatus est, Spiritum Christi habet; ubi autem Spiritus Christi, ibi omnium potestas, & libertas.* Hæc ibi. Item in libro, quem edidit contra eandem bullam Leonis, anno XX. *Affero, inquit, & amplector fiducia tota spiritus mei articulos per eam damnatos, asserendosq; pronuncio omnibus Christianis, sub pœna æterna damnationis.* Et infra in fine libri: *Hic, inquit, scriptis testor, me omnia damnata per bullam istam execrabilem confiteri pro Catholicis dogmatibus.* Et infra: *Vltimum quod habeo exponam, nempe hanc animam, & hunc sanguinem. Melius enim est me millies occidi, quàm vnã syllabam damnatorum articulorum reuocare.* Hæc ibi.

Vbi est obiter NOTANDVM, reuocasse postea Lutherum aliquos ex iisdem articulis, ac nominatim 36. de libero arbitrio, quem in assertione primarium, & fundamentum totius doctrinæ suæ ipse appellat. Nam in art. isto 36 dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo: & in assertione explicat, id ita intelligendum esse, ut iuxta doctrinam Wiclefi omnia de necessitate absoluta eueniant. Quod quidem apertissime re-

uocauit in uisitatione Saxonica, ubi docet, hominem esse libero arbitrii in operibus ciuilibus, nec omnia necessario euadere.

Ad hæc in lib. de abroganda Missa, edito anno XXI. ex proposito docet, & probat omnes Christianos habere eandem potestatem in verbo, & Sacramentis ministrandis: *Innuistis*, inquit, *Scripturis firmabimus legitimū illud, & unicū uerbi ministerium esse cōmune omnibus Christianis, sicut & sacerdotium, & sacrificium.* Et infra probat aliquot exempla Scripturæ, licere etiam fœminis concionari. Item in libro Pragenses, de instituendis ministris Ecclesiæ, quem edidit anno M.D. XXIII. *Sacerdos*, inquit, *in nouo præsertim Testamento non fit, sed nascitur, nō ordinatur, sed creatur; nascitur autem in Baptismo, sunt q̄ prorsus omnes Christiani Sacerdotes.* Et ibidem prolixè probat, omnes Christianos ex Baptismo habere, ut possint concionari, baptizare, consecrare, absoluere, ac ligare. Et de clauibus habet hæc uerba: *Cesset inquit, hominum mendacia. Clauis sunt totius Ecclesiæ, & cuiuslibet membri eius, tam iure, quàm usu, & omnibus modis.* Hæc ille. Infra tamen monet, non licere unicuique hoc iure, nisi in necessitate, sed expectandam esse uocationem, & electionem multitudinis.

Ex quibus duo corollaria deducit. VNVM, quòd publici ministri non differant à ceteris potestate, uel dignitate aliquâ sed solo usu potestatis. ALTERVM, quod ex proximo sequitur posse ministrum fieri laicum, ut ex laicis fiunt ministri. Porro argumenta eius infra ponentur, cum soluenda erunt. Hoc igitur est Lutheri sententia.

Ioannes Calvinus in altero extremo versatur. Nam non solum non concedit diabolum, aut fœminas, aut quoslibet Christianos posse concionari, & Sacramenta ministrare, sed ita seuerè defendit, solum quosdam legitimè uocatos habere hanc potestatem, ut ne in necessitate quidem concedat laicis ac præsertim fœminis, ut baptizent. Sic enim scribit in Annotatione ad can. 10. *1. s. 7. Nemo sanus Christianos omnes in uerbis Sacramentorum q̄ administratione pares facit: non solum quia decenter, & ordine geri omnia in Ecclesia decet: sed etiam quod singulari Christi mādato ad eam rem ordinantur, ministri.* Et infra: *Porro munus baptizandi, ubi mulierculus inuocatur*

Etum reperient, quemadmodum illis permittunt? Idem fuse docet in Institut. lib. 4 cap. 3 §. 10. & cap. 15. in fine. Itaque cum Caluino nulla nobis hoc loco controuersia est. Nam quod negat laicos, & sceminas non posse in necessitatis articulo baptizare, in disputatione de Baptismo refutandum erit.

Martinus Kemnitius more suo rem totam inuoluens, non satis aperit quid sentiat. Nam discutiens 10. can. sess. 7. Concilij Tridentini, qui sic habet: *Si quis dixerit, Christianos omnes, in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Tria dicit. Queritur PRIMVM, canonem esse positum ad damnandam Lutheri sententiam, sed mutilatam, & deprauatam: *Non enim Lutherus unquam sentit,* inquit Kemnitius, pag. 138. *quemuis Christianum promissuè sine legitima vocatione, vel posse vel debere sibi arrogare, vel usurpare ministerium verbi, & administrationem Sacramentorum in Ecclesia.*

At debuisset distinguere Kemnitius potestatem ab executione: Nam si loquitur de sola executione, verum est, Lutherum non sensisse, posse vel debere quemuis sibi arrogare hoc ministerium sine legitima vocatione. Sed neq; Concilium id in Luthero damnauit; id enim omnes fatemur esse verum. Si verò loquitur de potestate, falsum est Lutherum non ita sensisse: vt loca à nobis prolata demonstrant. Atque id est, quod damnauit Concilium. Neque potest dici Lutheri sententia à Concilio mutilata, vel deprauata. Non enim Conciliū debuit totum librum Lutheri describere, aut referre ea, quæ ab illo benè scripta sunt: sed satis fuit ea referre, quæ damnanda erant.

DEINDE addit Kemnitius, Concilium fraudulenter loqui: *Obliquè,* inquit, pag. 140. *& quasi aliud agentes hoc axioma petunt; Neminè, etiam si legitimè iuxta præscriptum verbi Dei ab Ecclesia electus, & vocatus sit, nisi ab Episcopo aliquo vnctus, & rasis sit, habere vllam potestatem in verbi, & Sacramentorum administratione: & Sacramenta ab illis administrata non esse vera, & efficacia. Hias insidias Lector intelligat occultatas in hoc canone.*

SED canon apertissimus est, & Kemnitius potiùs simplici eius intelligentiæ insidias tendit. Nam Concilium non dicit, non habere vllam potestatem in Sacramentis ministrandis eos, qui non sunt ab Episcopo vncti & rasi. Nam Concilium

non ignorabat, ad Sacramenta Baptismi, & Matrimonii non requiritur necessariò ordinationem, sed dicit non habere potestatem in omnibus Sacramentis; vt reprobet Lutheri sententiam, quæ in omnibus Sacramentis, etiã Eucharistiæ, & Penitentiaë tribuit laicis potestatem. Deinde Concilium non nominat vnctos, & rasos; vnctio enim, & rasura cæremonia sunt accidentales, sine quibus essentia Ordinationis consistere potest. Itaque Kemnitius insidias in suis verbis occultat.

TERTIO, dicit sententiam canonis, vt verba sonant, esse veram, sed tamen eam non rectè exponit: *Quod verò, inquit, ad ipsam sententiã decimi huius canonis, sicut verba posita sunt, attinet, planè & clarè respōdeo. Si qui existimant, cum Christiano promiscuè sine peculiari, & legitima vocatione permissam esse potestatem vsurpandi, & exercendi ministerium verbi; & Sacramentorum in Ecclesia, eos iure, & merito damnari.*

At non rectè exponit Concilium Kemnitius. Non enim Concilium damnat eos, qui dicunt, licere vnicuique sine vocatione vsurpare ministerium; id enim nemo dicit, proinde non fuisset opus canone: sed damnat eos, qui dicunt, omnes Christianos habere potestatem, verbum, & Sacramenta omnia ministrandi, quod Lutherus dixit, & Kemnitius sentire videtur, licet apertè confiteri non audeat. Proponenda est igitur, & probanda Ecclesiæ doctrina, quæ duabus propositionibus comprehendi potest.

PRIMA propositio: *Minister Sacramentorum homo esse debet, non autem Angelus, siue bonus, siue malus.* Hæc est abuersus Lutherum, & communis apud Theologos

Est tamen **OBSERVANDVM**, quod si fortè Angelus bonus Sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset reatum, quia certum esset id factum esse diuina dispensatione extraordinaria. Quocirca refert Nicephorus lib. xi. cap. 20. S. Amphilochem ab Angelis ordinatum Episcopum; idque ratum habitum ab Episcopis eius prouinciæ. At si Diabolus idem faceret, iterandum esset Sacramentum; quia Diabolus nec habet ex se potestatem, nec peculiari Dei dispensatione acciperet, sed sibi vsurparet, vt falleret.

Probatur hæc propositio. **PRIMO**, Ad essentiam Sacramentorum, vt requiritur verum, & naturale elementum, ita ve-

rum,

rum, & naturale verbum. Sed solus homo verè, & naturaliter loquitur: loquienim est actio corporis viuentis per instrumentum linguæ, & palati; non igitur Angelus bonus, vel malus Sacramenta conficere potest. Nam vt rectè docet S. Thomas 1. parte quæst. 51. art. 3. ad quartum, Angeli etiam per corpus assumptum, non possunt propriè loqui.

S E C V N D O; Etiam si vera elementa, veraque verba Angeli adhibere possent, tamen non propterea illa verum Sacramentum efficerent. Nam Sacramentum est signum, & causa infallibilis gratiæ: non autem id habent elementa, & verba naturaliter, sed solùm vt à Deo assumuntur vt instrumenta iustificationis. Ergo non sunt vera Sacramenta cùm à quocunque adhibentur, sed cùm adhibentur ab eo, cui Deus id committit: quomodo etiam verba, quibus miracula faciebant Christus, & Apostoli, non à quocunque prolata fuissent, eandem vim habuissent. Si enim quis dicat claudo. *Surge, & ambula*, nihil efficit, nisi à Deo assumatur vt instrumentum ad miraculum faciendum: non igitur vera Sacramenta conficere potest, nisi qui à Deo habet auctoritatem. Sed Deus hanc auctoritatem solis hominibus dedit, non Angelis bonis, vel malis. Nam Matth. 28. hominibus dixit: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patrù, &c.* Item Lucæ 22. solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioan. 20. solis hominibus dixit: *Quorum remisertis peccata, &c.* Adhæc Ephes. 4. *Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus* vbi per dona intelligit varia ministeria, quæ sunt in Ecclesia; nam antea dixerat: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, sicut scriptum est, Ascendens in altum, &c.* Et infra: *Et ipse dedit quosdam quidè Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c.* Deniq; Hebr. 5. *Omni Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, &c.* Quare Chrylostomus lib. 3. de sacerdotio, apertè testatur, Angelis non esse concessum, quod est concessum hominibus, vt Sacramenta ministrent: & idem habet homil. 85. in Ioannem, prope finem.

T E R T I O, confirmatur ex doctrina Lutheri Nam ipse vult fundamentum potestatis in verbum, & Sacramenta, esse Baptismum, vt patet ex locis citatis: at hoc fundamento carent

Angeli tum boni, tum mali. Item in homilia de Baptismo, & alibi docet, non sufficere verba, & elementa, sed requiri Dei mandatum; at Deus nusquam mandauit Angelis, vt Sacramenta conficerent; igitur &c.

Neq; argumenta Lutheri pro Diabolo facta concludunt. Ad PRIMVM concedimus, Sacramentorum efficaciam non pendere à qualitate ministri quacunq;. Non enim pendet à qualitate accidentali, vt est bonitas: tamen pendet à qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister; talis autem in primis est, vt sit homo.

Ad SECUNDVM, fatemur Iudam, & membrum Diaboli fuisse, & vera Sacramenta ministrasse; negamus autem idem conuenire Diabolo. Nam Iudas non vt membrum Diaboli, sed vt minister Christi Sacramentum administravit: fuit autem Iudas Christi minister, quia verus homo erat, & a Christo acceperat potestatem baptizandi, quorum neutrum Diabolo conuenit.

SECUNDA propositio: *Verus minister Sacramentorum (Baptismo & Matrimonio exceptis) non est quilibet homo etiã baptizatus, sed v. solùm, qui ritè in Ecclesia ordinatus est.*

NOTA, excipi Baptismum, quia propter summam eius Sacramenti necessitatè, semper Ecclesia intellexit, posse à quolibet homine conferri; de qua re dicemus in materia de Baptismo. Item excipi Matrimonium, quoniam cùm Matrimonium consistat in contractu mutuo duorum, non poterat aliter fieri, quàm vt ipsi contrahentes essent ministri.

Probatur hæc propositio aduersus Lutheranos. PRIMO, ex Scripturis, quæ docent, in Ecclesia esse diuersa officia, nec omnia omnibus conuenire; vt Rom. 12. 1 Corinth. 12. & Ephel. 4. *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas, &c. Erunt quid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ? &c.* Idem ergo dici potest de pastoribus, & doctoribus, qui ibidem nominantur. Nec responderi potest hic agi de vsu, vt Lutherani dicunt, non de potestate. Nam certè Apostoli non habebant potestatem Apostolicam, antequam illam à Christo acciperent; non igitur acceperunt vsum tantùm, sed ipsam potestatem.

SECUNDO ex illo Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Non igitur omnes, qui sunt

sunt de populo Dei, sunt hoc ipso sacerdotes. Neq; potest hic locus intelligi de exercitio tantum: nam Aaron antequam vocaretur à Deo ad sacerdotium, non habebat, neque usum, neque potestatem. Præterea assumere honorem, non est exequi potestatem, sed accipere eam; quod etiam confirmatur ex sequentibus: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.* Igitur assumere honorem est fieri Pontificem, non autem exercere Pontificatum.

TERTIO, Apostoli baptizati sunt & baptizabant ante Christi passionem. Nam quod baptizarent, habetur Ioan. 4. quod baptizati fuerint, docet Augustinus in epist. 108. ad Seleucianum: nec est credibile eos à Christo iussos baptizare, antequam ipsi baptizarentur. At potestatem consecrandi Eucharistiam acceperunt postea Luc. 22. cum audierunt: *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & absoluendi potestatem acceperunt postea Ioan. 20. *Quorum remisit.* Non igitur acceperunt in Baptismo.

QUARTO; Si omnes Christiani acciperent in Baptismo hanc potestatem, idè acciperent, quia tunc, ut ait Lutherus, vnguntur gratia Spiritus sancti, & proinde fiunt spirituales sacerdotes. At id falsum est: nam sequeretur eos, qui dum baptizantur, non recipiunt gratiam, & eos, qui postea eam perdunt, non verè conferre Sacramenta, quod tamen Lutherus rectè negat contra Anabaptistas. Nec potest responderi, sufficere characterem, nam Lutherani non agnoscunt vllum characterem.

QUINTO; Si omnes Christiani haberent hanc potestatem, nemo posset priuari usu eius, nisi in pœnam magni criminis: atqui apud Lutheranos multi priuantur usu huius potestatis sine ulla sua culpa. Neq; obstat quod illi obiiciunt de confusione, quæ nasceretur in Ecclesia, si omnes vterentur hac potestate. Nam possent per vices fungi hoc ministerio: aut certè non deberet posse repelli, qui vellet ministrare, quando pauci sunt ministri, etiam si non esset vocatus à Magistratu. At ipsi repellunt non vocatos; ergo vel iniuriam eis faciunt, vel fateri debent, eos non habere potestatem.

SIXTO; In lege veteri, vbi erant Sacramenta imperfectiora, non tamen omnes poterant ea ministrare, sed soli sacerdotes. Nec valet solutio, si dicas, Christianos esse factos in Ba-

ptissimo spirituales sacerdotes: nam etiam illi fiebant in Circumcisione spirituales sacerdotes, & poterant omnes offerre spirituales hostias. Immò quod dixit B. Petrus de omnibus Christianis. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*, 1. Pet. 2. idem antea dixerat Moses de omnibus Israëlitis, Exod. 19. & tamen Ozias Rex, lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere sacerdotali, 2. Paralip. 26.

CAPVT XXV.

Soluuntur argumenta Lutheri.

His ad argumenta Lutheri facile erit responderi. Ac PRIMVM in libro de abroganda Missa proponit sex Scripturas, quibus probet omnes Christianos æquè esse sacerdotes. PRIMA est 1. Pet. 2. *Tanquam vivi lapides superædificamini in sacerdotium sanctum*. SECUNDA ibidem: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. TERTIA ibidem: *Vt virtutes annuntietis eius qui vocavit de tenebris in admirabile lumen suum*. Vbi Christiani dicuntur ad hoc vocati, vt annuntient, id est, prædicent virtutem Christi: gitur omnes Christiani possunt ac debent prædicare, quod est præcipuum munus sacerdotis. QVARTA Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotium*. QUINTA Apoc. 20. *Erunt sacerdotes Dei, & Christi eius*. SEXTA 2. Corinth. 3. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*.

Addit PRÆTEREA quædam loca, vt probet mulieres posse concionari, Ioel. 2. *Prophetabunt filij vestri & filie*. Act. 21. *Erant Philippo quatuor filie virgines prophetantes*. Exod. 15. *Maria prophetauit*. Iudicum 4. *Debora docuit Barach*. 4. Reg. 22. *Olda consilium dedit Regi Iosæ*. Luc. 1. *Virgo Maria prophetauit*. 1. Cor. 11. *Mulier velato capite oret, & propheteret*. Ex quo loco explicari putat alium eiusdem Apostoli. 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant*. Nam in priori loco loquitur absolutè, in posteriori prohibet, ne loquantur mulieres viris præsentibus, & loqui volentibus, & valentibus.

Rursus in lib. de instituendis ministris ad Pragenses, probat hoc ipsum dupliciter. PRIMÒ, hac ratione; Christus est sacerdos, Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternũ*. Omnes Christiani

ni sunt fratres Christi, Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et Psal. 44. Vixit te Deus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Igitur omnes Christiani sunt sacerdotes.

SECUNDO probat ex officiis sacerdotum, quæ sunt concionari, baptizare, consecrare, absoluerè, sacrificare, orare pro aliis, & iudicare de doctrinis. Quòd enim omnes possint concionari, probat tribus Scripturis. PRIMO ex illo 1. Pet. 2. *Ut virtutes annuncietis.* SECUNDO ex illo 1. Cor. II. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis.* Annunciare enim mortem Domini, prædicare est. TERTIO ex illo 1. Cor. 14. *Vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, potestis omnes per singulos prophetare.* Propter quæ loca ita Lutherus triumphat: *Quare sitis hæc locis robustissime, & clarissime firmatum sit, ministerium verbi potissimum in Ecclesia esse prorsus unicum, & commune omnibus Christianis, non modò iure, sed etiam præcepto. Quare & sacerdotium non nisi Vnicum, & commune erit: ut nihil valeant aduersus hæc diuina fulmina, infiniti Patres, innumera Concilia, æterna consuetudo, & vniuersa mundi multitudo, quibus stipulus rasæ larvæ nituntur sacerdotium suum stabilire.* Hæc ille

Quòd omnes possint baptizare, probat ex vsu nostræ Ecclesiæ, quæ concedit etiam mulierculis vt baptizent: & proinde vt ministrent verbum: nec enim Baptismus sine verbo cõstat.

Quòd omnes possint consecrare Eucharistiã, probat PRIMO, quia Luc. 22. Christus in cœna omnibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item SECUNDO, quia Paulus 1. Cor. II. totam Ecclesiam alloquitur, cum ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Denique TERTIO probat, quia maius est baptizare, & concionari, quàm consecrare. Nam ex concione, & Baptismo datur remissio peccatorum; ex consecratione nihil sequitur, nisi stupor sacerdotis super sua potestate, & dignitate.

Quòd omnes possint absoluerè, probat ex illo Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, &c.*

Quòd omnes possint sacrificare, probat, quia nullum est sacrificium in Ecclesia, nisi illud, quo iuxta Paulum Rom. 12. *Sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum.* Id autem commune est omnibus,

Quòd

Quòd omnes possint orare pro aliis, probat, quia oratio Dominica est communis; & in ea pro aliis etiam oratur.

Quòd omnes possint iudicare, & discernere dogmata probat dupliciter. PRIMÒ ex illis Scripturis, quæ iubent, ut fugiamus falsos Prophetas. Ioan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, vocem alienorum non audiunt.* Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis.* SECUNDO ex illis verbis Pauli 1. Cor. 14. *Si sedenti reuelatum fuerit, prior taceat.* Hic verò triumphat Lutherus, ac vult licere unicuique iudicare Ecclesiam Romanam, licet ipsa sedeat, ut mater, & magistra Ecclesiarum. Hæc sunt argumenta ex lib. de instituendis ministris. Accedat VLTIMO argumentum, quod facit in assert. 13. art. *Qui, inquit, baptizatus est, spiritum Christi habet, ubi autem spiritus Christi est, ibi omnium potestas, & libertas.*

RESPONSIÒ. Ad PRIMVM, SECUNDVVM, QVARTVM, & QVINTVM locum respondeo, loca illa intelligi de sacerdotio spirituali, quo offerimus hostias spirituales, id est, opera bona, ac præcipuè laudes, & preces: quod quidem sacerdotium commune est omnibus piis hominibus. Sed præter hoc sacerdotium est aliud propriè dictum, quo offertur sacrificium propriè dictum, & ad cuius officium pertinet ministrare verbum, & Sacramenta populis.

Id ita esse patet, PRIMÒ ex ipsis locis. Nam 1. Petr. 2. habetur: *Offerentes spirituales hostias.* Addidit enim spirituales ad distinctionem hostiarum, quæ non spiritualiter, & mysticè, sed propriè sacrificantur. Sic etiam in cap. 5. & 20. Apocal. agitur de sacerdotio beatorum in cœlo, quod certum est non esse nisi ad offerendas laudes.

SECUNDO idem probatur: quia verba B. Petri sumpta sunt ex cap. 19. Exodi, ubi illud idem dicitur de Hebræis, quod B. Petrus tribuit Christianis. At in Testamento veteri non erant omnes propriè dicti sacerdotes, sed solum filii, & posterii Aaron, & tamen erant omnes sacerdotes spirituales.

TERTIO quia tam Petrus in epist. quam Ioannes in Apocalypsi coniungunt regnum cum sacerdotio. Sic igitur sunt omnes Christiani sacerdotes, quomodo sunt omnes Reges.

QVARTO: hæc loca solum intelliguntur de sanctis & piis Christianis, non de peccatoribus, qui non sunt gens sancta, ut eos Petrus vocat: at sacerdotium, seu ministerium externum conue-

conuenit etiam peccatoribus, ex sententia tum Catholico-
rum, tum Lutheranorum.

Ad TERTIVM locum: *Vt virtutes annuncietis, &c.* Respon-
sio. Non imperat S. Petrus, vt omnes Christiani publicè
prædicent verbum Dei, sed vt gratias agant Deo, eumque lau-
dent ob eius beneficia. Nam vt rectè exponit Beda, alludit Pe-
trus ad Canticū Hebræorum (*Cantemus Domino gloriosè, etc.*
Exod. 15.) quod cantauerunt liberati ex Ægypto post transi-
tum maris rubri. Vult enim eodem modo Christianos libe-
ratos de diabolica seruitute per aquas Baptismi cantare can-
ticum actionis gratiarū, & assiduè laudare potentiam Redem-
ptoris. Nec malè addit Oecumenius, velle etiam B. Petrum,
vt omnes Christiani non tam verbis, quàm bonis operibus
annuncient Dei virtutem, ita vt eorum vita sit quasi quædam
concio gentilibus, iuxta illud Matth. 5. *Vt videant opera ve-
stra bona, & glorificent Patrem &c.* Quomodo etiam intel-
liguntur multa alia loca, vt Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam
Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* 1. Timi.
2. *Sicut decet mulieres promittentes,* Græcè ἐπὶ ἡμελλομέ-
ναις, annunciatēs pietatem per opera bona. Et infra: *Mulieri
docere nō permitto.* Vbi vides mulieribus imperari, vt annun-
cient pietatem: ac ne fortè Lutherana interpretatione dece-
ptæ putarent, sibi licere etiam concionari, addit: *Per opera
bona, & Mulieri docere non permitto.*

Ad SEXTVM: *Idoneos nos fecit ministros, &c.* Respon-
sio. Non loquitur de omnibus Christianis, sed de se tantum, & ce-
teris collegis suis Apostolis. Nam confert se cum Moyse, qui
minister fuit Testamenti veteris, ac dicit, illum ministrasse li-
teras in lapidibus insculptas, se autem, & collegas suos, mini-
strare spiritum, &c. At constat in Testamento veteri non fuisse
omnes ministros, & promulgatores legis, sed solum Moy-
sem. Præterea toto capite præcedenti loquitur de seipso, & si-
militer initio capituli 3. cum ait: *Incipimus iterum nosmet-
ipsos commendare? aut egemus, sicut quidam commendati iis
litteris ad vos, aut ex vobis?*

Ad loca illa pro fœminis, RESPONDEO. Aliud est pro-
phetare, id est, futura prædicere, aliud prophetare, id est, con-
cionari, siue Scripturas interpretari. Primum non est propriè
munus sacerdotis, seu præsulis Ecclesiastici, sed est gratia gra-
tis

tis data, quæ etiam laicis viris, & fœminis convenire potest. Certè David, Helias, Helifæus, Isaias, & alij per multi, sacerdotes non erant, & tamen prophetabant, & de hoc genere prophetandi intelliguntur ferè omnia loca allegata. Alterum genus est proprium sacerdotis, neque continet fœminis, quia fœminarum est subesse, non præesse. Et hanc rationem adfert B. Paulus, 1. Corinth. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia non enim permittuntur eis loqui, sed subditas esse.* Nec tamen propterea prohibetur Deus, quin possit extraordinariè fœminis concedere, ut doceant viros, ut quondam contigit Deboræ, & ante annos ducentos S. Catharinæ Senensis. Sed hæc priviilegia non faciunt legem.

AD argumentum, ex eò quòd Christus est sacerdos, & omnes Christiani sunt fratres eius. RESPONDEO. Nihil concludit hoc argumentum. PRIMO, quia Christus non est sacerdos Aaronicus, sed secundum ordinem Melchitedech. In sacerdotio Aaronico id habebat locum, ut omnes fratres essent sacerdotes: at in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech solus primogenitus erat sacerdos.

PRAETEREA etiam in sacerdotio Aaronico soli fratres naturales erant sacerdotes, non autem adoptivi: porro Christiani sunt fratres Christi adoptivi non naturales.

DENIQUE, si omnia, quæ Christo conveniunt, nobis etiam omnibus convenirent, cur non omnes faceremus miracula, prædiceremus futura, &c.

AD argumentum ex PRIMO officio sacerdotis, RESPONDEO. Tria illa loca nihil probant. Nam illud 1. Pet. 2. *Ut virtutes annuncietis*, intelligitur de laude privata, non de concione, ut diximus. Illud 1. Corin. 11. *Mortem Domini annuntiabitur*, intelligitur de commemoratione passionis Domini, quam facimus non concionando, sed sumendo Eucharistiam; alioqui deberent omnes, qui sumunt Eucharistiam, concionari, quod est impossibile. Illud 1. Corinth. 14. *Potestis & omnes prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur*, non intelligitur de omnibus Christianis, sed de omnibus, qui habebant ea dona, ait enim: *Vnusquisque vestrum psalmum habet, linguam habet, &c.* At certè non habebant omnes donum linguarum, cum idem Paulus dicat, 1. Cor. 12. *Divisæ sunt gratiarum sunt, &c. & Nunquid omnes linguas loquuntur?* hoc

hoc tempore nulli sunt, qui habeant eiusmodi donum. Vult ergo Paulus dicere; Vnusquisque vestrum, qui gloriamini ob eiusmodi dona, utimini illis ordinatè, & ad ædificationem. Adde SECUNDO, quod non loquitur de concione publica, quæ est propria sacerdotum, sed de piis collationibus, & exhortationibus quibus utebantur, cum simul conueniebant, ut paulò pòst dicam. Itaque immeritò Lutherus ob hæc tria loca malè intellecta, contemnit infinitos Patres, innumera Concilia, æternam consuetudinem, & vniuersam mundi multitudinem.

AD alterum ex SECUNDO officio, RESPONDEO. Mulieres apud nos baptizare in casu necessitatis, & ex permissione, non ex officio: quo modo etiam permittitur Iudæis, & Turcis ob summam eius Sacramenti necessitatem. Sicut ergo non sequitur, Turca potest baptizare, ergo potest omnia Sacramenta ministrare, vel, ergo est verus sacerdos; ita non sequitur, Fœmina potest baptizare, ergo potest omnia Sacramenta ministrare, vel, ergo est sacerdos. Neque est verum, neminem baptizare, quin concionetur. Verbum enim quod in Baptismo profertur, non est concionale, ut supra demonstrauimus, sed consecratiuum.

AD argumentum ex TERTIO officio, RESPONDEO. Illud, *Hoc facite*, non est dictum omnibus; alioqui tenerentur fœminæ, & pueri consecrare Eucharistiam: Pari ratione illud: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis*; non significat omnibus traditam potestatem consecrandi, sed omnibus traditum, id est, dictum, explicatum, & declaratum, quod Dominus instituerat. Denique potentia consecrandi maior est, quam baptizandi, sicut per Baptismum datur remissio peccatorum, ita & per Eucharistiam; Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Et præterea per consecrationem fit conuersio panis, etiam si Lutherus nolit, quæ non fit per Baptismum.

AD argumentum ex QUARTO officio. Illa verba: *Quæcunque alligaueritis super terram, &c.* intelliguntur dicta Ecclesiæ, de qua ibidem: *Dic Ecclesiæ, &*; *Si Ecclesiam non audierit, &c.* Ut enim ostenderet Dominus non esse contemnendum Ecclesiæ iudicium, addidit illam promissionem: *Quæcunque alligaueritis*. Porro Ecclesiæ ligat, & soluit, sed per suos

suos præfules, non per quoscunque, sicut corpus loquitur, sed per linguam, non per manum; & vniuersitas determinat propositiones, sed per Doctores, non per Scholasticos. Id autem ostendit apertissimè praxis Ecclesiæ omnium ætatum.

AD argumentum ex QVINTO officio, NEGAMUS non esse in Ecclesia aliud sacrificium, quàm mortificationis vitiorum. Nam ad hoc sacrificium non requiritur altare: est autem in Ecclesia altare, vt patet ad Hebræ 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Sed hoc de alibi.

AD argumentum ex SEXTO officio, RESPONDEO. Non est sacerdotis orare quomodocunque, sed orare publicè, tanquam publicam personam intercedere pro vniuerso populo, vt Chrysostomus docet, lib. 6. de sacerdotio.

AD argumentum ex SEPTIMO officio, RESPONDEO. Illa loca: *Quæ meæ vocem meam audiunt, non audiunt vocem alienorum, & Attendite à falsis Prophetis;* docent, debere omnes homines iudicare de dogmatibus, non quidem examinando illa ad regulam Scripturæ, vt hæretici; si enim id omnes facere possent, non esset opus pastoribus, & doctoribus Ecclesiæ; sed examinando illa ad doctrinam antea traditam, & ad doctrinam aliorum pastorum. Facile enim possunt omnes iudicare, an doctrina sit noua, & tunc eam suspectam habere debent. Præterea Dominus alienos, & falsos Prophetas non vocat ordinarios pastores, sed extraordinarios, qui perueniunt, vt venerunt omnes hæretici.

Illud autem: *Si sedenti reuelatum fuerit, prior taceat,* quò Lutherus triumphat: non intelligitur nisi in colationibus quibusdam, de quibus eo loco Paulus agit, non de publica concione Pastoris, & multò minus de publico iudicio Concilij, aut summi Pontificis. Id quod patet PRIMO, vsu Ecclesiæ. Nunquam enim est auditum, vt dum sit publica concilio, permittum sit alicui alteri loqui, & multò minus permittum est vnquam priuatis hominibus reluctari iudicio totius Ecclesiæ.

SECUNDO, quia non tenemur credere vnicuique dicenti sibi esse reuelatum aliquid, præsertim in re graui, & maxime si illa reuelatio sit contraria doctrinæ ordinariorum Pastorum: alioqui pateret aditus omnibus hæresibus. Nullus est

enim hæresiarcha, qui non iacet sua dogmata, vt verissimam Dei reuelationem.

TERTIO patet ex illis verbis Prophetæ *duo aut tres dicat, & ceteri diiudicent.* Non enim conueniret vt duo aut tres concionarentur, sed benè conueniebat, vt in collatione spiritali duo aut tres dicerent. Adde quòd Iustinus in 2 Apologia propè extrema, explicans morem primæ Ecclesiæ, distinguit concionem, quam soli Præposito tribuit, à collatione spiritali, quam ibidem post concionem, & Sacramenta inter se habere soliti erant.

AD illud argumentum postremum; Qui baptizatus est, habet spiritum Christi: vbi autè spiritus Christi est, ibi omnium potestas, & libertas. **RESPONDEO PRIMO;** Maior propositio nõ est vera vniuersaliter. Multi enim baptizantur, qui non recipiunt spiritum Christi, quia sine fidè aut pœnitentiâ baptizantur: multi recipiunt, qui postea amittunt, & tamen non amittunt Baptismum. **SECUNDO;** Minor etiam propositio falsa est. Nam plurimi habent spiritum Christi, qui tamen non habent omnium rerum potestatem, cum nec possint loqui variis linguis, neque futura prædicere, neque curare morbos, neque excitare mortuos.

CAPVT XXVI.

Non requiri fidem, aut probitatem ministri, vt Sacramenta efficacia esse possint.

SEQVITVR TERTIA quæstio de qualitatibus ministri Sacramentorum, vtum requiratur necessariò fides, aut caritas, ita vt hæretici, infideles, schismatici, improbi Catholici non possint Sacramenta conferre. Non quærimus autem, an peccent Sacramenta conferendo: ista enim est quæstio propriè Scholastica; sed tantum an sit irritum, quidquid faciunt infideles, aut improbi homines, etiam si alioqui legitimè ordinati sint Presbyteri, aut Episcopi, & nihil omittant eorum, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent.

Porro, cõtrouersia de hac re nulla, aut penè nulla hoc tempore esse videtur. Nam etsi Lutherus aliquoties dicat, spiri

rum Christi, qui recipitur in Baptismo esse fundamentum potestatis conferendorum Sacramentorum, ex quo sequitur, solos bonos, qui spiritum Christi habent, efficaciter Sacramenta conferre: tamen ipse idem postea docuit, ad eò non requiri fidem, aut probitatem ministri, ut etiam Diabolus efficaciter Sacramenta ministrare possit, ut supra diximus. Confessio quoque Augustana, artic. 8. fatetur Sacramenta esse efficacia, licet ab hypocritis, & malis hominibus ministrentur. Quod idem habet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 16. Vnde in Antidoto Concilij Tridentini ad can. 12. sess. 7. ubi dicitur anathema qui negant Sacramenta esse efficacia, si à malis ministrentur nihil aliud scribit, nisi hanc vocem, *Amen*. Denique Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 155. affirmat canonem Concilij 12. sibi non displicere.

Tribui solet Hussitis, & Anabaptistis ea sententia, quòd Sacramenta non sint efficacia, nisi à probis, & fidelibus ministrentur. Sed mirum est, si Hussitæ ita sentiant, cum ordinationes sacerdotum suorum à Romano Pontifice petere consueverint, cum tamen Romanum Pontificem, & omnes Episcopos Catholicos pro hæreticis haberent, & habeant. Et certè si Hussitæ ratas habent ordinationes eorum, quos hæreticos putant, multò facilius ratum haberent Baptismum ab eis collatum. Id patet ex libro Lutheri ad senatum Pragensem, ubi dehortatur Bohemos Hussitas, ne petant ordinationes à Romanis, cum & ipsi Romanis, & Romani ipsis sint hæretici. Quod etiam Ioannes Huss in articulis, qui damnantur in Concilio Constantiensi, sess. 14. dicit, Prælatum malum, aut præfatum esse æquiocè pastorem; & nullum esse Episcopum, dum in peccato mortali: aut intelligitur solùm, quoad iurisdictionem; aut certè non sequuntur in hac parte Hussitæ Magistrum suum.

Anabaptistis tribuit hunc errorem Kemnitius loco citato, sed quia doctrina eorum est in multis occulta, & non publicè enulgata, non scimus quibus fundamentis nitantur. Quod satis erit hoc loco PRIMVM indicare qui fuerint olim errores de hac re. DEINDE à quibus Patribus, & quibus rationibus confutati. POSTREMO quomodo eorum obiectiones dissoluantur.

Quoad PRIMVM; Ante annos M. CCC. in Asia, & Africa

cœpit error exoriri, non esserata Sacramenta, quæ ab hæreticis, & schismaticis dabantur post separationem eorum ab unitate Catholica. De Asiaticis id refert Eusebius libro 7. histor. cap. 6. ex epistola Dionysij Alexandrini. De Africanis constat tum ex eodem Eusebio lib 7. cap. 2. tum ex Augustino lib. 2. de Baptismo, cap 7. vbi etiam indicat primum auctorem huius erroris fuisse Agrippinum Episcopum Carthaginensem sancti Cypriani prædecessorem: Quod clarius testatur Vincentius Lyrinensis in commonitorio, vbi dicit Agrippinum primum omnium mortalium rebaptizandum censuisse.

Sequitus est prædecessorem suum S. Cyprianus cum multis Africæ Episcopis, sic tamen, vt non propterea se ab Ecclesiæ unitate separaret, vt patet ex epistolis ad Quintum, ad Pompeium, & ad Iubaianum. quocirca nunquam hæreticus habitus est. Nec desunt, qui asserunt, eum postea reuocasse sententiam, vt S. Augustinus testatur in epist. 48. ad Vincentium: quemadmodum etiam Episcopos ceteros, qui cum Cypriano cum errore definierant, reuocasse sententiam suam, per motos auctoritate Stephani Romani Pontificis scribit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

Sequuti sunt paulò post hæretici Donatistæ, qui pertinaciter eundem errorem tenuerunt, & auxerunt. Nam INPRIMIS, Agrippinus, & Cyprianus non habebant pro hæreticis, qui contrarium sentiebant: vnde nec rebaptizabant baptizatos à Catholicis etiam sibi in ea opinione contrariis. Donatistæ autem rebaptizabant etiam Catholicos, quos hæreticos putabant. Sic enim ait AVGVSTINVS in libro de vnico Baptismo, cap. 13. conferens Donatistas cū Agrippino, & Cypriano: *Rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.*

SECUNDO, Donatistæ errorem defendebant post Ecclesiæ definitionem in Concilio generali, quod est hæreticorum proprium. Agrippinus, & Cyprianus non viderunt vllam absolutam Ecclesiæ definitionem, vt Augustinus testatur, lib. 2. de Baptismo, cap. 7. & 9.

TERTIO, Cyprianus tantum improbat Sacramenta tradita ab hæreticis, & schismaticis, id est, ab iis, qui essent extra Ecclesiam; at non improbat Sacramenta tradita à malis

ministris intra ipsam Ecclesiam: vt Augustinus demonstrat lib. 4. de Baptismo, cap. 2. & lib. 3. contra epistolam Parmeniani, cap. 2. At Donatistarum alij, omnes peccatores manifestos excludebant à Sacramentorum administratione, vt Augustinus testatur, lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 10. alij, omnes omninò homines malos, etiam occultos, vt idem Augustinus refert lib. 2. contra Cresconium, cap. 28.

Post Donatistas eundem errorem saltem ex parte docuerunt Luciferiani. Nam teste S. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, admittebant illi Baptisma collatum ab hæreticis, sed non Ordinationem: quanquam Hylarius quidam Diaconus, vt ibidem ait Hieronymus, ne Baptisma quidem admitteret.

Fuerunt deinde alij tempore S. Bernardi, qui dicebantur Apostolici, qui negabant homines malos posse efficaciter Sacramenta ministrare, vt ipse testatur serm. 66 in Cantic. Quos idem postea etiam docuerunt Albigenses, vt refert S. Antoninus in summa Theologica, part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

Inter vtrosque autem exstiterunt Waldenses, qui boni laicis concedebant ministeria Sacramentorum, atque illa eodem malis sacerdotibus detrahebant, teste S. Antonino, part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2. Atque huc respexit, S. Thomas. lib. 4. contra Gentes, cap. 77. cum ait esse quendam errorem, quòd omnes boni, & nulli mali possint esse idonei Sacramentorum ministri: quod idem omninò est cum eo, quod Lutherus initio dicebat, eos omnes, & solos esse sacerdotes, qui habent Spiritum Christi.

Denique post hos omnes exstitit Ioannes Wicel, qui hanc hæresim non parùm locupletauit. Nam non solùm peccatores, siue occultos, siue manifestos, seu etiam bonos in presenti, sed malos aliquando futuros, id est, præscitos, negant Sacramenta posse conficere. Vide de hoc errore Concilium Constantianse, sess. 8. & Thomam Waldensem, tomo 1. cap. 14.

Quantum ad SECUNDVM; Refutârunt hanc hæresim multi sancti ac veteres summi Pontifices: Ac primum in ipso eius exortu S. Stephanus Papa, & Martyr, vt refert Eusebius, lib. 7. hist. cap. 2. & sequentibus. Deinde Syricius in epist. 1. ad Himerium, Innocentius I, in epist. 22. ad Macedoniae Episcopos,

Leo

Leo in epist. 77. ad Nicetam, Anastasius II. in epist. ad Anastasium Imperatorem, & alij.

S E C U N D O damnârunt eandem hæresim Concilia. **P R I M O** Concilium **N I C A E N V M** generale. Id enim frequentissimè testatur S. Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 3. 4. 5. 7. 9. & alibi, sed quia nusquam Augustinus vocat illud Cōcilium Nicænum, multi dubitant de quo Concilio loquatur. At nulla est caussa dubitandi; nam vocat Concilium plenariū orbis terræ. Nullum autem nouit Augustinus orbis terræ Concilium, nisi Nicænum. Nam quatuor tantū facta sunt Augustini tempore Concilia generalia, Nicænum, Sardicense, Constantinopolitanum I. & Ephesinum I. Sed ex his Ephesinum I. indictum fuit paulò ante mortem Augustini, & post mortem eius celebratum, ex epistola Africanorum ad Imperatorem Theodosium iuniorem. Concilium Constantinopolitanum de hac quæstione non tractauit.

Adde, quod Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 9. testatur Concilium plenarium, in qua hæc veritas definita est, antè celebratum fuisse, quàm ipse nasceretur. Constat autem solum Nicænum celebratum esse ante Augustini natiuitatem. Nam Concilium Nicænum actum est anno **C C C. X X V I I** Augustinus natus est anno **C C C. L V I I**. Concilium Constantinopolitanum actum est anno **C C C. L X X X I I I** Vide Chronicum Eusebij cum additione Prosperi. Concilium Sardicense nec de ista quæstione tractauit, nec notum fuit Augustino, vt ostendimus in disputatione de iure appellationis, & sexto Concilio Carthaginensi.

Præterea in Concilio Nicæno can. 19. iubentur Paulianistæ rebaptizari, ex quo apertè deducitur ceterorum hæreticorum Baptisma approbatum à Concilio fuisse.

Denique (quod vnum sufficere deberet) **S. H I E R O N Y M V S** in Dialogo contra Luciferianos extremo, sic ait: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Hæc ille. Vbi apertissimè dicit, à Synodo Nicæna approbatum Baptisma hæreticorum omnium (de hac enim re loquebatur) exceptis quibusdam, qui nimirum non utebantur forma legitima.

Non diu pòst damnauit eundem errorem Concilium Carthaginense I. can. 1. præsidente Grato Episcopo, temporibus

Constantini Imperatoris, cuius Concilij meminit etiam sanctus Augustinus, libro 2. cap. 2. de Baptismo contra Donatistas. Item Arelatenſe I. can. 8. eodem tempore: ac diu poſtea Concilium Conſtantiense, ſeſſ. 8. & Tridentinum, ſeſſione 7. can. 12.

TERTIO, refutârunt Doctores permulti, ac præcipuè Augustinus in omnibus libris contra Donatistas. Optatus in libris contra Parmenianum, Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Nazianzenos in oratione de Baptismo. S. Thomas lib. 4. contra Gentes, cap. 77. & Thomas Waldenſis tomo 2. ab initio per multa capita, vbi etiam multorum multa profert testimonia.

Porro argumenta præcipua quibus vtuntur tria ſunt. PRIMO adferunt traditionem, & conſuetudinem antiquiſſimam ab Apoſtolorum tempore. Hoc enim argumento præcipuè vſum S. Stephanum Papam teſtatur S. Cyprianus in epistoſa ad Pompeium. Eodem argumento vtitur paſſim S. AUGUSTINVS lib. 2. de Baptismo, cap. 9. *Conſuetudinis*, inquit, *robore tenebatur orbi terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Vincentius autem Lyrinenſis in commonitorio, dicit tantum valuiſſe apud Eccleſiam Catholicam hoc argumentum ductum à traditione, & conſuetudine Eccleſiæ, vt hoc vno ſuperata fuerit cauſa S. Cypriani, qui ſumma eloquentia, & frequentiffimo ſanctorum Epiſcoporum Concilio, & multis diuinæ Scripturæ testimoniis contra veritatem pugnabat.

Ex quo intelligimus Lutherum cum ſuis, contrarium ſpiritus habere ei, quem habuit vetus, & vera Chriſti Eccleſia. Lutherus enim propter vnum Scripturæ testimonium perperam intellectum, contemnit æternam conſuetudinem, vt ipſemet loquitur in libro de abroganda Miſſa; & in libro de inſtituendis miniſtris ad Pragenſes. At vetus Eccleſia ex conſuetudine ducentorum, vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quæ Cyprianus cum ſuis adferebant, & merito: Nam cum certum ſit, conſuetudinem vniuerſæ Eccleſiæ perpetuam non poſſe cum verbo Dei pugnare, & clarior ſit conſuetudo, quàm ipſum verbum; rectè iudicabant illi ex conſuetudine verbum Dei eſſe interpretandum, non ob verbum Dei obſcurum & ambiguum, conſuetudinem abolendam,

vt Lutherani hoc tempore faciendum esse contendunt.

SECUNDO adferbant rationem in verbo Dei fundatam, quæ potest hoc syllogismo concludi. Minister Sacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina, Deus autem non aufert à ministro datam ei potestatem ob eius peccatum, aut infidelitatem, ergo, &c.

PROBATVR Maior; nam Scripturæ passim hoc docent. Ioan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Præcipuus ergo auctor in Baptismo Christus est, non minister, vt fusè hinc deducit Augustinus, tract. 5. in Ioannem. 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* PRAETEREA si ministri sua virtute baptizarent, essent diuersa Baptismata, alia aliis meliora pro diuersitate meritorum, & excellentiæ baptizantium. At vnum est Baptisma, ad Ephes. 4. ITEM Apostoli nunquam appellarunt Baptismum, suum, quem aliis conferebant, cum tamen aliquando appellarent Euangelium suum, quod prædicabant, Roman. 16. & 2. Timoth. 2. *Iuxta Euangelium meum.* Ergo in Baptismo nihil suum agnoscebant, nisi nudum ministerium. DENIQUE æquum fuit, vt Sacramenta non penderent ab humana virtute, neque homines in hominibus confidere assuescerent, cum scriptum sit: *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

PROBATVR iam minor propositio. Nam auctoritas conferendi Sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data: non ergo ita pugnat cum improbitate vitæ, vt simul cum ea esse non possit. Constat enim eiusmodi gratias in peccatoribus esse posse, vt patet de Caipha, qui prophetauit, cum tamen esset pessimus. Ioan. 11. item de illis, qui Matth. 7. dicunt: *Nonne in nomine tuo demonia eiecimus? &c.*

SECUNDO; Auctoritas conferendi Sacramenta, non datur in utilitatem habentis, sed aliorum: igitur non erat conueniens, vt auferretur propter peccatum habentis; sic enim vnus puniretur ob culpam alterius.

TERTIO; Deus non aufert ob peccata potestatem iurisdictionis. vt patet 1. Pet. 2. vbi iubet Apostolus, vt Christiani obediant dominis suis, non tantum bonis, & modestis, sed etiã discolis: & ibidem iubet obedire Regibus, aliisque Magistratibus Gentilium, qui infideles erant. igitur multò minus aufert

potestatem ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum eum, qui illa habet, magis deberet auferri potestas iurisdictionis, quam ordinis, quia illa magis amatur, & proinde magis punitur, cui illa tollitur, & præterea magis dependet potestas iurisdictionis a probitate vitæ eius, in quo est, quam potestas ordinis. Nam magis dominantur passionibus in imperando, quam in Sacramentis ministrandis, ut patet experientia.

QVARTO, Non aufert Deus hominibus ob peccata naturales potentias ad opera naturalia, ut notum est: igitur nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritum operantis. Nam non minus Deus prouidit bono totius Ecclesiæ, quam bono mundi huius.

QUINTO; Iudas peccator erat, & reprobus, & tamen baptizabat, ut colligit Augustinus tractat. 5. in Ioannem, ex illo Ioan. 4. *Ipse non baptizabat, sed discipuli eius.* Et quod efficaciter Iudas baptizauerit, docet idem Augustinus ex eo, quod non legimus rebaptizatos, quos ille baptizauerat.

TERTIUM argumentum sumitur a similibus rebus. Nam INPRIMIS apud Iudæos circumcisi à Samaritanis, qui hæretici erant Hebræis, non circumcidebantur iterum, sed admittebantur, ut rectè circumcisi, ut Augustinus docet, lib. 1. contra Cresconium, cap. 31. DEINDE, verbum Dei efficaciter predicatur ab improbis, ut colligit Augustinus, lib. 4. de Baptismo, cap. 11. ex Matth. 23. *Quæ dicunt, facite, quæ faciunt, nolite facere & Philip. 1. Quidam ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculi mei. Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* PRAETEREA nihil refert ad efficaciam sementis, & plantationis, ut idem Augustinus ratiocinatur, lib. 3. in Cresconium, cap. 8. an lotis manibus, an sordidis id fiat, modo bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor solis, & pluuia de cælo. Item ut Nazianzenus docet in oratione de Baptismo, non minus rectè inprimit imaginem Regis sigillum ferreum, quam sigillum aureum. Item ut idem Augustinus docet, lib. 3. de Baptismo, cap. 10. lumen solis, vel etiam lampadum non inquinatur, etiamsi per lutum transeat, & loca cænosa. DENIQUE, ut idem habet Augustinus tract. 5. in Ioannem,

nem,

nem, parùm refert, vtrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat.

QVO AD TERTIVM; Argumenta hæreticorum refelluntur ab Augustino diligentissimè in libris septem contra Donatistas. Præcipua erant hæc. PRIMVM: Nemo dat, quod non habet. Hæretici, & impij non habent remissionem peccatorum; igitur nõ dant: quare non efficaciter Sacramenta ministrant.

RESPONDEO ad Minorem, hæreticos non habere remissionem peccatorum formaliter, tamen habere ministerialiter, quomodo famulus, qui sæpe non habet vnum obulum, tamen defert multos aureos à Domino suo ad alium aliquem. Et in rebus naturalibus, & artificialibus, effectus non debet esse similis instrumento, sed causæ principali. Non habet calor formam substantialem ignis, ne habet dolabra formam cathedræ: & tamen eas efficiunt instrumentaliter.

Adde PRÆTEREA distinguendum esse ipsum Sacramentum ab effectu ipsius; & inter effectus distinguendum esse characterem à gratia: hæc enim omnia separari possunt ab inuicem. Poterit igitur fieri, vt hæreticus baptizet, & characterem, ac gratiam conferat, vt si baptizet infantem. Item vt gratiam nõ conferat, quia is qui baptizatur ponit obicem infidelitatis credens hæretico: sed non idè inanis est Baptismus; nam efficit characterè. Item vt nec characterè nec gratiam conferat, vt si det extremam vnctionè ægroto hæretico: tamen adhuc etiam tunc verum Sacramentũ, & Sacramentum efficax ministrat, licet in suscipiènte nihil operetur ob eius indispositionem. Vbi NOTANDVM cum Augustino lib. 6. de Baptismo, cap. 1. hanc fuisse præcipuam causam erroris Cypriani, & aliorum, qui non distinguebant inter Sacramenta, & eorum vsum, & effectum.

SECUNDVM argumentum contra solutionem præcedentis: Qui non habet Spiritum sanctum, non potest remittere peccata: dictum est enim Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At hæretici, & impij non habent Spiritum sanctum; ergo, &c.

RESPONDEO, negãdo minorem. Siquidem per Spiritum sanctum eo loco intelligimus potestatem remittendi peccata, vt intelligunt Chrysostomus & Cyrillus in eum locum. Potest autem & potestas esse sine gratia gratum faciente. Quod

autem nomine Spiritus sancti intelligi possint quælibet eius dona, licet non faciant hominem sanctum, patet ex 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alij datur per spiritum sermo sapientiae, &c.* & 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt, ubi spiritum vocat donum prophetandi à Spiritu sancto datum.*

Possent etiam dici, voluisse Dominum significare illis verbis *Accipite Spiritum sanctum, &c.* effectum Sacramentorum præcipuè pendere à virtute Spiritus sancti: proinde necessarium esse, ut saltem assistat Spiritus, & sic accipiatur saltem ut assistens, & operans in Sacramentis, licet non operetur in ipso ministro. Assistit autem Spiritus sanctus Sacramentis suis semper (ut Augustinus rectè docet, libro 3. de Baptismo, cap. 10. etiam si minister sit adulter, vel homicida, quia Sacramentum nunquam est adulterum.

Denique, quia non desunt qui hoc loco per Spiritum sanctum intelligant Spiritum, ut gratiam, & charitatem largitur ac diffundit in cordibus nostris, ut Ambrosius serm. 10. in Psal. 118. & Augustinus in commentario, cap. 20. Ioannis: ideo possumus addere, gratiam quidem Spiritus sancti dari per sacramentum Ordinationem cum potestate remittendi peccata; sed non inde colligi posse, eum, qui gratiam non habet, non posse peccata remittere. Non enim gratia illa idem est cum potestate remittendi peccata, neque cum illa ita coniuncta, ut separari nequeat: nam non datur, ut qui eam habet, possit peccata remittere, sed ut non offendat Deum in tam sancto ministerio, si ipse inimicus Dei permanens alios Deo recòciliare præsumat.

TERTIUM argumentum: Sacramenta sunt solius Ecclesie Catholicæ, quam Christus condidit; at hæretici sunt extra Ecclesiam in synagoga Saranæ.

RESPONDEO; Sacramenta semper esse Ecclesie, etiam interdum extra Ecclesiam reperiantur. Quocirca cum veniunt ad Ecclesiam baptizati ab hæreticis, agnoscendū est quod est Ecclesie, id est, Baptisma, & retinendum, corrigendus vero error. Alioqui etiam Evangelium, & alia multa bona, & verba repudianda essent, quæ interdum apud hæreticos inveniuntur.

Possent **VLTIMO** adferri quædam loca Patrum, ut **ATHANASIUS** in serm. contra Arianos, ubi dicit, omnes hæreticos habere

bere inutilem aquam. Item AMBROSII libro de iis, qui mysteriis inicianur, cap. 4. ubi dicit: *Non sanat Baptismus perfidorum.* Et LEONIS epist. 77. ad Nicetam, cap. ult. ubi dicit, nullum hæreticum posse dare per Sacramenta sanctificationē.

RESPONDEO; ATHANASIVS duo dicit, PRIMVM sic ait: *Ariani autem veniunt in periculum, ne amittant integritatem mysterij, loquor autem de Baptismate.* SECUNDO absolute negat Baptismum Arianorum, aut aliorum hæreticorum mundare: *Non enim, inquit, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet.* Priori loco agit de ipsa substantia Sacramenti, & idē non dicit, absolute Baptismum Arianorum non esse integrum, sed ait periculum esse, ne aliquando non sit integer, quia nimirum facile erat, ut corrumperent formā, & nomine Patris, & Filij dicerent factorem, & facturam, ut ipse ibidem ait. Posteriori loco non agit de substantia, sed de utilitate Sacramenti: & idē absolute hæreticos, quia carent recta fide, non sanctificare eos, quos baptizant, quod intelligitur de illis, qui eis in hæresi consentiunt. Et eodem modo loquuntur Ambrosius, & Leo, & alij. Vnde nunquam dicunt isti Patres, Baptismum hæreticorum esse iterandum, quod cerre dicerent, si de substantia loquerentur.

CAPVT XXVII.

Requiri intentionem faciendi quod Ecclesia facit.

RESTAT POSTREMA quæstio de caussa ministeriali; Sitne intentio ministri necessaria ad Sacramenti perfectionē. Quatuor erunt partes huius quæstionis. PRIMO, explicanda erit sententia hæreticorum SECUNDO, sententia Catholicorum simul explicanda, & vindicanda à mendacijs aduersariorum. TERTIO, confirmanda veritas, QUARTO, soluendæ obiectiones.

Quantum ad PRIMVM, noua hæresis nostro tempore exorta est, non requiri intentionem in ministro Sacramenti; sed Sacramentum omnino perfici, si res, & verba adsint, etiam si minister ioco, aut irrisoriè, aut fictè, & mendaciter actionem illam peragat. Primus auctor videtur fuisse Lutherus. Sic enim

enim scribit in libro de captiuitate Babylon. cap. de Baptismo: *Non dubitem, inquit, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentia tantum, quantum insuscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per iocum baptizato. Et in art. 12. eorum, quos Leo Papa damnauit: Si sacerdos, inquit, non serio, sed ioco absolueret: si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus. Et in assertionibus id ipsum confirmat: nec non in libro de Missa priuata, anno XXXIV. edito, idem probat tribus argumentis, quæ postea soluentur.*

Ioannes Calvinus Lutherum sequutus in Antidoto Concilij Trident. sess. 7. can. 11. *Quod, inquit, de intentione considerandi garriunt, à sophistu nulla probabili ratione fuit productum. Et infra: Ego verò sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mādato, & secundum regulam ab eo datam, ritug legitimo administret, non dubitem panem, & calicem illius manu porrecta vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignora.* Idem docet Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 15.

Idem etiam Martinus Kemnitius in 2. parte Examin. pag. 141. & sequentibus, vbi fusè de hac re tractat. Et quanquam pag. 146. docet, actionem Sacramentalem non debere esse mimicam subsannationem, aut ridiculum lusum, in quo videtur nobiscum conuenire: tamen intelligit hoc de exteriori actione tantum, non de intentione interna. Nam postea pag. 154. docet, Sacramentum esse verum, licet minister a nimiratorio Sacramentum administret: & tota disputatione id contendit, non pendere Sacramenti efficaciam vilo modo ab intentione ministri. Et infra pag. 1045. vbi agit de Absolutione *Nec sollicita, inquit, esse debet conscientia de intentione ministri, sed si vox Euangelij annuncietur, fides eam apprehendens, statuat se coram Deo absolutum: quidquid sit de sacerdotis animo.*

Ad hanc hæreticorum sententiam proximè accessisse videtur *Ambrosius Catharinus*, qui in opusculo de intentione ministri

ministri Sacramentorum, distinguit duplicem intentionem; vnam, faciendi simpliciter actum externum, quem facit Ecclesia; alteram, faciendi actum externum non simpliciter, sed vt sacramentalem, siue animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat. Itaq; si quis dum puerum baptizat, intendat fundere aquam super puerum, & dicere; Ego te baptizo, secundum Catharinum erit verum Sacramentum, etiam si ille intendat aquam fundere, & illa verba dicere solum ad lauandum corpus pueri à sordibus, vel ad ludendum eo modo. Quæ opinio non video quid differat à sententia Kemnitij, & aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subiicit se Apostolicæ sedi, & Concilio; illi autem ridet vtrumque.

Quantum ad **SECUNDUM**, sententia Catholicorum est, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita enim expresse habent Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 11. & Concilium Florentinum in instructione Armenorum.

Sunt autem hoc loco quædam notanda **PRIMO**, non ira requiri, vt minister habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, vt non possit habere particularem: immò melius est habere particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, Absolutionis, Confirmationis, consecrandi Eucharistiam, &c. Sed qui non nosset nostra mysteria, satis esset, si in generali intenderet facere, quod facit Ecclesia: & hoc docent Concilia.

SECUNDO, non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunq; illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani: ista enim in idem recidunt.

PETES, quid si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis, & falsa quam ipse putat veram, vt Geneuenfis, & intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? **RESPONDEO**, etiam id sufficere. Nam qui intendit facere, quod facit Ecclesia Geneuenfis, intendit facere, quod facit Ecclesia vniuersalis. Idem enim ille intendit facere, quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiæ veræ vniuersalis: licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ. Non autem tollit efficaciam Sacramenti error ministri circa Ecclesiam,

fiam, sed defectus intentionis. Atque hinc est quod in Ecclesia Catholica non rebaptizantur baptizati à Geneuensibus, quia tamen dum baptizant, intendunt facere quod facit Ecclesia Geneuensis, & non quod facit Ecclesia Romana. Adde quod cum Ecclesia vera Romana & Ecclesia falsa Geneuensis non dissentiant, quoad substantiam Baptismi, sed solum quoad accidentarias cæremonias: si quis alioqui Catholicus intendet baptizare, quo modo ministri Geneuenses ministrant, & non quo modo sacerdotes Catholici: is intendit verum Baptismum quoad substantiam, sed absque cæremoniis accidentariis. Proinde verum Sacramentum conferretur quamuis peccaret & tanquam de hæresi suspectus, iure puniri posset.

*Intentio
Actualis*

Habitualis

Virtualis

TERTIO, non requiritur necessariò actualis intentio, sed sufficit habitualis; sed virtualis requiritur, & sufficit, quamvis non sit opera, vt actualis habeatur. Actualis dicitur, quando minister actu habet talem intentionem: quæ quidè actualis intentio non requirit, vt quidam scrupulosi faciunt, vt dicamus ore aut corde illa formalia verba; Intendo hoc facere aut volo hoc facere, sed tantùm requirit, vt homo sit præter animo, & attentè faciat, quod facit. Ista enim dicitur intentio in actu exercito, vt loquitur Caietanus, & vt diximus, non necessariò exigitur; quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum res sanctissimam agimus. Habitualis dicitur inclinatio quædã, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, qualis etiam in dormiente esse potest: & hæc sine dubio non sufficit. Nam actus inde procedens, nõ est humanus, & deliberatus, alioqui baptizatus diceretur, si quis à dormiente, vel ebrio baptizatus esset. Virtualis dicitur cum actualis intentio in præsentia non adest ob quam euagatione mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius fit operatio: & hæc omnium consensu requiritur, & actualis non adfit, & sufficit. Neque repugnat huic doctrinæ Thomas, licet 3. par. quæst. 64. art. 8. dicat, sufficere habitualis intentionem. Nam (vt ipse se explicat) per habitualè intelligit virtuales; ipse enim solum meminit intentionis actualis, & habitualis. Scotus autem, & Gabriel, & alij posteriores, maioris claritatis gratia fecerunt trimembrem distinctionem, & virtuales appellarunt, quam S. Thomas vocat habituales, & ab

& addiderunt aliam habitualem, quam S. Thomas omisit.
 VLTIMO notandum est, in hac tota doctrina mirificè conuenire Catholicos doctores, vno Catharino excepto: Id quod patebit ex refutatione mendaciorum Tilmanni & Kemnitij.

PRIMO; Vterque auctor locis notatis dicit, Concilium Tridentinum definiuisse, nō esse ratum Sacramentū, nisi minister intendat non solūm actum, sed etiam finem Sacramenti, id est, intendat illud, propter quod Sacramentum est institutum: quod cerè multum distat à nostra sententia.

Sed hoc merum mendacium est: Concilium enim in toto can. II. non nominat finem Sacramenti, neque dicit Concilium, vt illi videntur accepisse, oportere ministrum intendere id facere, quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porro, quod Ecclesia facit, non finem, sed actionem significat. Denique ex praxi id constat. Nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos paruulos à Pelagianis, neque nos rebaptizamus baptizatos à Zvinglianis, & Caluinistis, & tamen scimus omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale. Neque tamen volumus à Concilio definitum id quod vult Catharinus, & quod Kemnitius vellet, nimirum, vt solūm intendat minister facere actum externum, quem Ecclesia facit: id enim nō erat opus definire, cū à nemine vnquam negatum fuisset, nec posset negari. Deinde qui intendit facere externum actum, sed non seriò, is non intendit facere quod facit Ecclesia, sed intendit simulare, quod facit Ecclesia. Quomodo milites illi, qui genu flexo, dicebant Christo: *Aue Rex Iudeorum*, verè intendebant flectere genua, & dicere illa verba, tamen quia non seriò, sed ioco id faciebant, nemo diceret eos intendisse facere, quod faciunt qui adorant suos Reges, sed intendisse simulare adorationem.

SECUNDO Kemnitius dicit, Scholasticos inter se dissentire, quod Magister Sententiarum, & Innocentius Papa IV. velint sufficere intentionem faciendi, quod Christus instituit Alexander autem Aletensis, & Gabriel velint requiri etiam intentionem finis Sacramenti,

Sed non verè dissentiunt Scholastici, si rectè intelligantur: omnes enim in 4. sent. dist. 6. docent id ipsum, quod Magister docet. Neque excipiendi sunt Alexander & Gabriel. Nam Alexander in 4. p. summe, q. 13. mem. l. art. 2. dicit quidem requiri

in ministro intentione finis Sacramenti, sed per intentionem finis intelligit intentionem actionis integræ, & completæ, & sic idem dicit, quod alij dicunt, sed aliis verbis. Id ita esse, patet ex eodem loco, ubi duplicem finem distinguit, vnum intrinsecum operi, qui nihil est aliud, nisi terminus, & completum actionis; alterum extrinsecum, qui est fructus, & utilitas rei. Verbi gratia, in Sacramento, finis intrinsecus est completa cæremonia per res, & verba ritè coniuncta, finis extrinsecus est remissio peccatorum. Affirmat autem Alexander intentionem prioris finis necessariò requiri, non autem posterioris.

Porro Gabriel in 4. distinct. 6. quæst. 1. conclusione 3. dicit, requiri intentionem ministri, non solum respectu actus baptizandi, vt obiecti, sed etiam respectu effectus, vt finis. Accipit autem Gabriel hæc omnia à Scoto in 4. dist. 6. quæst. 1. Vterque autem, vt ipsi se explicant, intelligunt per actum, vt obiectum, ipsum actum externum, qualem etiam intendere posset, qui ioco baptizare veller: quam intentionem etiam nos diximus non sufficere. Per effectum autem, vt finem, intelligunt finem quendam generalem, & remotum, non particularem, & proximum. Non enim volunt requiri, vt minister intendat effectum gratiæ, vel salutis, sed solum vt intendat facere in baptizato, quod faciunt Christiani in iis, quos baptizant; sic enim Scotus explicat. Hoc autem nihil est aliud, quam dicere requiri intentionem respectu operis, non vt est opus quoddam naturale, & quod ioco fieri potest, sed vt est opus sacramentum, seu vt est cæremonia, quam Christus instituit, siue quam Christiani vtuntur. Atque ita recidit hæc sententia in id, quod omnes Catholici dicunt.

Quantum ad TERTIUM, probanda est sententia Ecclesiæ. PRIMA ratio; Sicut certa forma verborum requiritur necessariò, vt determinetur indifferentia materiæ, ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba Ego te baptizo, & similia, possunt habere varias significatiões. Nam baptizare est tingere aquis; tingit autem aquis, qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur, &c. At nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ, nisi intentio ministri, qui illa verba profert, & cuius est tota actio; ergo, &c. Dicent fortasse determinari ab intentione suscipientis; at falsum est. Nam hic agimus de actione ministri

ministri, non de actione suscipientis; non post autem actio
vnius determinari ab intentione alterius. Præterea quid fieret,
cùm baptizantur, qui nihil intendere possunt, vt infantes?
Num dicent determinari ab institutione Christi. Sed contrà;
nam si Christi institutio id faceret vt illa verba id significarent,
modò proferantur exterius, sine vllò ordine ad intentionem
dicentis, quare non esset verum Sacramentum, si ea verba à
psitaco proferrentur?

SECUNDA ratio sumitur ex genere ministerij. Nam ministri
Sacramentorum sũnt instrumenta Dei, sed instrumenta ani-
mata, & ratione vtentia. Vbi NOTANDVM est, multis modis
posse vnum hominem esse instrumentum alicuius agentis.

PRIMO, secundum sola membra corporalia, vt si quis vta-
tur manu alterius ad aliud capiendum, vel si cogat cum ferre
onera, id quod potest fieri sine vlla eius voluntate.

SECUNDO, per membra corporalia, & potentias sentien-
tes, vt si quis iubeat seruum legere aliquid, aut alicui aliquid
significare, aut excubare, & respicere aliquid, & renuntiare
quid videat: & ad hoc non requiritur voluntas serui, nisi qua
velit actum exteriorem facere. Nam etiamsi non intendat le-
gere significanter, tamen si velit ea verba proferre, satisfacit
muneri suo: quia non vtitur Dominus pro instrumento, nisi
eius lingua, & oculis, &c.

TERCIO, per membra corporalia, potentias sentientes,
& etiam rationem; vt cùm Rex constituit præsides, & iudices
in vrbibus, qui nomine suo ius dicant, & gubernent populos:
in huiusmodi enim nõ solum corpus, & sensus, sed etiam pru-
dentia, & voluntas sunt instrumenta. Non enim Rex deter-
minat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instru-
menti. Quare in talibus requiritur necessariò non solum po-
testas, sed etiam voluntas, & proinde intentio exercendi actio-
nes. Nec verè est absolutus, què iudex absoluit sine intèntione,
licet exterius videatur absolutus. Ministros autem Sacramen-
torum esse huius tertii generis, patet ex Scripturis. Nam Mat-
thæi 24. dicitur: *Quis est fidelis seruus, et prudens, quem con-
stituit Dominus super familiam suam? vbi fidelitas, & pru-
dentia indicant talem esse hunc seruum, vt in eius arbitrio sit
facere, & non facere: ad hoc enim requiritur fidelitas, & pru-
dentia. Præterea ideò vocantur propofiti, ad Rom. 12. Qui
præst*

L

præst

præst in sollicitudine. Et Hebr. 13. *Obedite præpositis*. Denique non determinauit Christus particulares actiones, sed ait: *Cui remiserunt peccata, remittuntur eis*. Ioan. 20. ubi manifestè relinquit in eorum arbitrio, vt soluant, vel ligent. Et hæc ratio planè conuincit. Nam cum eiusmodi instrumenta potissimum sint instrumenta per voluntatem, & intentionem si hæc tollatur, desinunt esse instrumenta.

TERTIA ratio sumitur ex discrimine inter verba speculatiua, & practica. Nam verba speculatiua, quia totam efficaciam suam habent in significando, à quocumque dicantur eandem vim habent: idem enim significant verba, siue dicantur ab homine sobrio, siue ab ebrio, siue etiam à p̄sico, ab asina Balaam, modò non sit ambigua, significatio, quæ tunc, vt diximus, deberet determinari ex intentione dicentis. At verba practica, quæ præter significationem habent efficaciam, non sunt efficacia, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem, & voluntatem faciendi quod verba significant. patet inductione. Nam imperia Regum, & Iudicum sunt efficacia, non imperia priuatorum. Similiter qui habent dona miraculorum, efficaciter imperant morbis, & dæmonibus non autem alij, etiam si iisdem verbis vtantur. Et ratio est, quia cum verba per se, & naturaliter non sint operatiua, necesse est vt tunc solùm sint efficacia, cum ab eo dicuntur, qui habet potestatem. Idem de voluntate Probatum potest, nam potestas nunquam exit in actum, nisi velit, qui eam habet. Quare potestate prophetandi dicit Apostolus, 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt*. Et idem patet experientia nam si rex sine intentione, vt somniando, iubeat aliquem occidi, imperium non solet mandari executioni, quia non constat, an velit, licet possit Rex illud iubere. Sed constat verba Sacramentorum esse verba practica, cum sint instrumenta iustificationis, ergo requirunt potestatem, & voluntatem, & proinde intentionem.

Si quis OBJICIAT, verba Sacramentorum habere in virtutem operatiuam ex Christi institutione; proinde nõ perdere eorum efficaciam ab intentione, vel potestate ministrantis.

RESPONDERI debet, duas esse Theologorum sententias. ALIQUI enim, vt Caietanus 3. par. quæst. 64. art. 1. & Scotus 4. dist. 1. quæst. 5. art. 1. & Ledesmius ibidem, volunt in ipso etiam ministrante

ministro esse virtutem operatiuam efficienter, & instrumentali-
 taliter, vt est in Sacramento, & secundum hanc sententiam
 facilis est solutio. Nam in verbis Sacramentalibus est virtus
 operatiua, sed dependenter à ministro. Tunc enim solùm illa
 verba habent virtutem, dum coniunguntur cum virtute, quæ
 est in ministro.

ALII tamen sentiunt ministrum non habere in se vim vll-
 lam efficientem respectu iustificationis, sed eam solùm esse in
 Sacramento: ministrum autem solùm concurrere applican-
 do Sacramenta; quomodo qui plantat, & qui rigat (quibus
 comparat Apostolus ministros Ecclesiæ, 1. Corinth. 3.) non
 producant efficienter, & physicè fructus arborum, sed appli-
 cant agentia. Ita videtur quibusdam sentire S. Thomas 3. par.
 quæst. 64. art. 1. ad primum. Neque inferri debet; Ergo mini-
 stri secundum hanc sententiã non verè, & propriè consecrant,
 absoluunt, lauant, reconciliant, &c. Nam hoc interest inter
 agentia voluntaria, & res ceteras, quòd res ceteræ non dicun-
 tur, propriè agere, quando solùm applicant agentia: nõ enim
 dicitur propriè felis incendisse domum, si iggnem applicuit,
 sed dicitur domus illa casu combusta. At agentia voluntaria
 quando de industria applicant agentia, dicuntur propriissimè
 agere. Nam & medicus propriè curat ægrotum, cum adhibet
 medicinam salutarem, & propriè illum occidit, cum de indu-
 striã pro medicina porrigit venenum. Et secundum hanc sen-
 tentiam respondendum est ad obiectionem positam, verba Sa-
 cramentalia non habere virtutem, & proinde non esse Sacra-
 mentalia, nisi quando mouentur à Deo vt instrumenta; non
 autem mouentur à Deo, vt instrumenta, nisi quando pronun-
 ciantur ab eo, cui ipse commisit. Quare semper aliquo modo
 pendunt verba Sacramentalia à ministri potestate, & volunta-
 tẽ. Quamuis igitur prior sententia probabilior videatur: ta-
 men secundum vtramque rectè soluitur argumentum.

QVARTA ratio ex absurdis, quæ alioqui sequerentur, vt
 bene notat Hugò de S. Victore, lib. 2. de Sacramentis, p. 6. c. 13.
 Nam PRIMÒ, si parens aliquis duceret filium ad balnea, &
 dum puerum immergit, more Christiano signaret eum cru-
 ce, & diceret; Lauo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus san-
 cti, nimirũ inuocans Deum, vt bene cedat illa lotio, & nihil
 de Baptismo cogitans; tunc ille puer deberet dici baptizatus,

si non requiritur intentio baptizandi, sed sufficiant materia, & forma quomodocunque prolata. Hoc tamen planè ridiculum est.

SECUNDO, si Sacerdos in mensa legeret Euangelium, & fieri solet in mensa Prælatorum, & religiosorum; & interlegendum pronunciaret illa verba: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, iam totus panis, & totum vinum illius mensæ esset consecratum, si non requiritur intentio.

TERTIO, si cùm aliquis ancillam conducit, diceret; Accipio te in meam (intelligens, sed non exprimens ancillam) illa diceret; Accipio te in meum (intelligens herum, sed non exprimens) iam illi essent coniugati.

CAPVT XXVIII.

Soluuntur argumenta.

UPEREST argumenta soluere. PRIMO Lutheri. SECUNDO Caluini. TERTIO Kemnitij. QUARTO Catharini.

PRIMUM argumentum Lutheri ex assertionibus art. 12. Verbum Dei, quacunquẽ intentione dicatur, excitat eundem inaudiente. Sed fides est quæ iustificat; ergo verbum sacramentale, quacunquẽ intentione proferatur, efficax est, & confirmat. Quia Philipp. 1. Apostolus gaudet prædicari verbum quacunquẽ intentione, etiam si aliqui prædicarent, ut inuidiam Paulo conflarent, quia nimirum etiam eo modo poterat verbum esse fructuosum: igitur eodem modo verbum Sacramentis, licet ioco prolatum, vtile erit.

SECUNDO confirmat idem Lutherus in lib. de Missa pro uata, ex eo quod Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuisse legitur Baptismum, quem Athanasius puer aliis pueris per iocum contulerat. Item ex eo, quod legitur in aliis historiis de quibusdam Gentilibus parasitis, qui vnum ex suis baptizarunt, ut riderent Christianos, & ille tamen continuo conuersus est, vbi aqua eum attigit, ex quo intelligimus fuisse illum verum Baptismum.

RESPONDEO, PRIMVM argumentum rectè probare apud eos, qui sentiunt cum Luthero Sacramento tantum esse instituta ad excitandam fidem, & solam fidem iustificare: at apud

apud nos nihil concludit. Nam etiam si concedamus verbum quacunque intentione prolatum, posse excitare fidem, non tamen concedimus verbum quacunque intentione prolatum habere posse effectum Sacramentalem. Ratio discriminis est, quia ad excitandam fidem non requiritur vlla efficientia, sed sufficit significatio, vt notum est.

AD confirmationem dico, aliud esse intendere non concionari, aliud intendere concionari, sed ob malum finem. Paulus de hoc posteriore loquitur; & hoc modo concedimus Baptismum esse verum, & efficacem cum minister intendit verè baptizare, licet ob malum finem. DICIS etiam, qui intendit non concionari seridè, si tamen verba concionis proferat, fructum facere poterit: Ergo, &c. RESPONDEO, non esse eandem rationem verbi concionalis, & Sacramentalis. Nam verba concionum sunt verba, vt sic dicam, speculatiua, quæ non pendent ab intètionem; verba sacramentalia sunt practica, quæ, vt probauimus, pendent ab intentione.

Quamuis autem argumenta hæc concludant in via Lutheri, tamen non esse rectam eam viam, patet ex istis iisdem argumentis. Nam concluditur sola verba sufficere sine aqua, vel alio elemento; item concludunt Sacramenta posse conferri ab ebrio, immò etiam à pica.

AD SECUNDAM confirmationem respondeo, duobus modis posse per iocum Sacramenta conferri (vt explicat Hugo lib. 2. de Sacramētis, par. 6. cap. 13.) VNO modo, vt qui ludunt, intendant verè Sacramenta conferre, sed ob finem recreandi animum eo modo: quomodo possent alij verè intendere Sacramenta conferre, sed ob finem lucranda pecuniæ. Et hic ludus non impedit veritatem Sacramenti, quia hic iocus est extrinsecus ipsi Sacramentali actioni. ALIO modo, vt qui ludunt, intendant non verè Sacramenta conferre, sed illudere, & decipere, quomodo, qui Christum purpura induebant, ei que dicebant: *Aue Rex Iudæorum*, non intendebant eum Regem facere, sed ei illudere. Et hic ludus impedit veritatem Sacramenti, quia hic iocus est intrinsecus actioni.

Dico igitur ludum Athanasij fuisse prioris generis: nam verè voluit baptizare, sed accepit eam actionem pro materia ludi, & oblectationis. Id ita esse colligitur tum ex ipsa historia, quam scribunt Ruffinus, lib. 10. hist. cap. 14. Sozomenus lib. 2.

L 3

cap.

cap. 16. & Nicephorus libro 8. cap. 40. Scribunt enim hi auctores ab Athanasio solos Catechumenos baptizatos, idque omnibus Ecclesiae caeremoniis adhibitis; tum etiam ex eo quod solent pueri serio facere res ludicras. Nam, verbi gratia cum fingunt vnum esse Regem, alios famulos, vel fingunt oppugnationem alicuius loci, verè intendit Rex eorum tubere & illi intendunt obedire; & serio oppugnant locum aliquem & alij serio defendunt: dicuntur tamen hæc ludicra, quia sunt puerilia, & quia gratia oblectationis suscipiuntur. Similem historiam suo tempore accidisse scribit idem Nicephorus, lib. 3. cap. vlt.

Ad illud de mimo **R E S P O N D E O**, nihil in historia illa est contra nos. Nam primus, qui historiam scripsit, fuit (quæ sciam) **Ado Treuirensis** in martyrologio 8. Kalend. Septembris. Ab eo acceperunt posteriores **Vincencius**, speculo historiali, lib. 12. cap. 102. & **S. Antoninus**, 1. par. tit. 8. cap. 1. summæ historialis. Porro Ado scribit, mimum illum nomine **Genesium**, coram Imperatore Diocletiano gratia irridendi mysteria Christiana, se ægrotum finxisse, ac Baptismum postulasse; tum iussu Imperatoris accersitum presbyterum & exorcistam, qui eum baptizarent. Verum cum à presbytero interrogaretur, quid peteret, illum repente conuersum, non fictè, sed serio respondisse, gratiâ Christi se petere, atque in baptizatum verè, & serio, cum & presbyter baptizare intendere, & ille intenderet suscipere Baptismum; licet Imperator adhuc crederet eum fingere. Vide **Surium**, tomo 4. in vita **S. Genesij**.

S E C V N D V M argumentum est **Caluini** in Antidoto, & **Kemnitij** in 2. part. Examinis, loco citato, qui inde argumentum sumunt, quod si ab intentione ministri penderet effectus Sacramenti, periret certitudo, quam homo debet habere de effectu Sacramenti, & consolatio spiritualis, quia nemo potest certus esse de intentione alterius.

R E S P O N D E O, non debere hominem in hoc mundo querere certitudinem de sua salute, vel iustificatione infallibilem, qualis est certitudo fidei diuinæ. Hæc enim non conuenit huic statui, de quo dicit Apostolus, 1. Cor. 10. *Qui stat, videatur ne cadat.* Et Philipp. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* De qua re vide **Augustinum**, lib. 2. de bono peccato.

no persever. cap. 13. & de corrept. & gratia, cap. 13. Certitudinem autem humanam, & moralem, quæ sufficiat, ut homo quiescat, ex Sacramentis habemus, etiam si pendeant ab intentione alterius. Nam cum habere intentionem sit facillimum, nulla est causa dubitandi, an minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id prodat: & hoc sufficit; ut homo non quærat iterum baptizari, sed acquiescat in accepto Baptismo.

ETNOTA, Lutheranos cogi id ipsum confiteri etiam si nolint. Nam ipsi baptizantur adhuc infantes more Catholicorum; quocirca cum adoleuerint non possunt recordari, nec scire an habuerint Baptismum, nisi credere velint parentibus. Itaque parentibus credunt, qui tamen decipere possunt, & in eo acquiescunt. Quando magis poterit acquiescere in Baptismo is, qui videt se baptizari, & intelligit verba, nec habet ullam coniecturam contrariæ intentionis ministri, si is acquiescit, qui tantum credit parentibus, vel amicis dicentibus, eum esse baptizatum?

TERTIUM argumentum est Kemnitij ex auctoritate S. Augustini, lib. 7. de Baptismo, cap. 53. vbi non audet definire an Baptismus collatus per iocum teneat, sed dicit expectandam Dei revelationem. Addunt quidam alij alium locum Augustini ex tractat. 5. in Ioan. vbi videtur dicere, Baptismum ab ebrio collatum, esse ratum, cum tamen constet, ebrios non habere intentionem.

ADDITIONEM etiam Kemnitius Innocentium Papam IV. qui teste Angelo in sua summa, sensit ad veritatem Sacramenti non requiri, ut minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, immo, si contrarium gerat in mente, id est, non facere, quod facit Ecclesia, si tamen appareat, quod velit illud facere, satis esse.

RESPONDEO, locum Augustini esse contra aduersarios. Nam imprimis ibidem AUGUSTINVS dicit, se de ea re dubitasse, quia in nullo Concilio res definita fuerat: *Sed nobis, inquit, tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris IESU Christi uniuersali Ecclesiæ consensione roboratum est.* Nunc

autem res definita est in duobus generalibus Conciliis, Florentino, & Tridentino. Neque refert, quod non recipiuntur Lutheranis: nam neque Nicænum recipiebatur à Donatistis in causa Anabaptismi; & tamè Augustinus ubique affirmat, rem esse certam, & definitam ob illius Concilij auctoritatem. Deinde ibidem Augustinus cum dicit, petendam esse Dei revelationem, an Baptismus loco traditus, sine vera intentione conferendi sit ratus, aperte testatur non esse certum ex Scripturis ut aduersarij iactant, Sacramenta non requirere intentionem ministri. Præterea sine dubio nos longè melius facimus secundum Augustini sententiam baptizando eos, qui sunt baptizati sine intentione, quam Lutherani non baptizando. Nam in dubia præstat repetere Baptismum, saltem sub conditione, quam exponere se periculo amittendi Baptismum. Ad alium locum Augustini facilis est responsio: nam non dicit ebrius, sed ebrius si Baptismum esseratum.

Ad auctoritatem Innocentij **R E S P O N D E O**, Kemnitius more suo non fideliter recitasse eius sententiã. **I N N O C E N T I U S** enim in cap. Si quis puerum, extra de Baptismo, &c. postquam dixerat, Sacramentum esse ratum, etiamsi minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, addidit: *Dum modo intendat baptizare*, quæ verba omisit Kemnitius. Nec verbum mel, sed ter repetit Innocentius, Baptismum non esse ratum, si minister intendat non baptizare, sed tantum lauare corpus.

Vnde illa verba Innocentij: *Etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia*, duobus modis possunt intelligi, uno modo, de eo, quod facit Ecclesia, quantum ad substantiam actionis, altero modo, quantum ad effectum illius actionis. Posteriori modo intellexit Innocentius, & est sensus: Etiã si minister non gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, id est, iustificare hominem à peccatis, quia nimirum putat non habere talem virtutem illam ceremoniã; tamen si intendit verè facere ceremoniã, quam facit Ecclesia, satis est. Priori modo accepit Kemnitius, sed perperam, quia contradictoriã ter ibidem habet Innocentius. Quare illud etiam Kemnitius falsò imponit Innocentio, quod dixerit, Sacramentum esse ratum, si tantum appareat, ministrum voluisse baptizare, etiã si reuera id non intendit. Id enim Innocentius non dicit, neque ex verbis colligi potest.

Q U A R T U M argumentum est Catharini ex auctoritate
Thomas

Thomæ, Chrysoſtomi, & Nicolai Papæ. S. THOMAS, 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. dicit, ad perfectionē Sacramenti ſatis eſſe intentionem Eccleſiæ, quæ exprimitur in ipſa forma verborum, nec aliud requiri ex parte miniſtri. Quod clarius habet in 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 1. vbi dicit, non requiri mentalem intentionem miniſtri, ſed ſufficere expreſſionem verborū, in qua continetur intentio Eccleſiæ. CHRYSOSTOMVS hom. 85. in Ioan. *Sacerdos, inquit, linguam, & manus præbet; neq. enim iuſtum eſt propter alterius malitiam ad ſalutem noſtram accedentes offendi.* NICOLAVS Papa ad Conſulta Bulgarorum interrogatus, an baptizati à Iudæo, eſſent rebaptizandi; reſpondit, non eſſe, ſi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizati eſſent: vbi nulla fit mentio intentionis.

Denique addit rationem Catharinus, quia nimis durum videtur, vt Deus in arbitrio impij miniſtri poſuerit ſalutē hominum; & quia redditur incerta noſtra iuſtificatio. Quod tamen argumentum iam eſt ſolutum. Sed poteſt addi aliud eius loco; quia inter homines, cū dominus per ſeruum contrahit cum alio, vel mittit munus alteri, non requiritur, qua intentione ſeruus id faciat.

RESPONDEO ad S. Thomam, cum docere, requiri intentionem internam miniſtri. Nam 3. part. q. 64. art. 8. in corpore articuli, dicit, determinari debere ea, quæ in Sacramentis fiunt, quia ad multos vſus fieri poſſunt per intentionē miniſtri. Item in reſponſ. ad 1. dicit, miniſtrum, quia eſt inſtrumentum animatum, debere ſeipſum applicare ad opus per intentionē, qua intendat facere, quod facit Chriſtus, & Eccleſia. Item in reſponſ. ad 3. dicit, non eſſe neceſſarium actualem intentionē, ſed ſufficere habitualem; & explicat, tunc eſſe habituale, quando initio operis, actu intendebar facere, quod facit Eccleſia. Item in art. 9. ad primum dicit, verum eſſe Sacramentū, etiam ſi miniſter non credat Sacramentū aliquid valere, modo intendat facere, quod facit Eccleſia. Deniq; in art. 10. clariffimè dicit, requiri in miniſtro intentionē Sacramentum conferendi, non autem ludendi, vel iocandi, & ſine ea intētionē nō perfici Sacramentū. Neq; obſtat, quod addit S. THOMAS: *Præcipuè quando ſuam intentionē exterius manifeſtat.* nam vult dicere; Quando miniſter habet intentionē, non conferendi Sacramentum, ſed iocandi, ſed eam non manifeſtat, tum Sacramentum eſſe

esse nullum, sed magis esse nullum, si intentionē manifestet, quia primo modo est nullum coram Deo, secundo modo est nullum coram Deo, & coram hominibus.

Ad locum obiectum à Catharino ex responsi. ad 2. art. 8. **R**ESPONDEO, cum Caietano, & Soto, S. Thomam, cum dicit, non requiri mentalem intentionem ad perfectionem Sacramenti, sed sufficere externam prolationem verborum, non loqui de perfectione Sacramenti simpliciter, sed de perfectione coram hominibus, quæ sufficit ad humanam certitudinem, & mentem pacandam, ut non requirat aliud. Id quod probatur dupliciter. **P**RIMO, quia in argumento secundo S. Thomas hoc obiecerat, si requiratur intentio mentalis, nullum posse esse certum se accepisse Sacramentum. Responsi igitur debet intelligi de Sacramenti perfectione, quoad certitudinem, non absolutè. **S**ECUNDO, quia in hac solutione addit S. Thomas, sufficere externam prolationem formæ, ut exprimat contrariam intentionem ministri, vel suscipientis, quæ additio optimè se habet, si agatur de certitudine, ut patet infra, si autem est, si agatur de perfectione Sacramenti absolutè, vult Catharinus. Nam si non requireretur interna ministerii intentio, nisi pronunciandi illa verba, tum certè verum est Sacramentum, si minister exprimeret contrariam intentionem, hoc modo; Ego non intendo baptizare, sed irridere Sacramentum, & idè volo dicere hæc verba; Ego te baptizo nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: immò etiam si externo gestu irrisorem exprimeret, & ironicè illa verba diceret, adhuc esset Sacramentum. At S. Thomas contrarium docet, ut patuit.

Ad locum Chrysostomi **R**ESPONDEO, **C**HRYSOSTOMUM loqui de probitate ministrorum, ac velle dicere, non pendere efficaciam Sacramentorum à bonitate ministrorum, sed à bonitate Dei solius. Vnde cum ait: *Sacerdos manus, & linguam præbet*, excludit virtutes, non intentionem ministerii. Nam vult dicere; Minister est instrumentum Dei, non principale agens; ex hoc autem, quod minister est instrumentum, sequitur, ut non agat in virtute propria; & proinde, ut non requiratur fides, spes, charitas, aut alia eius virtus: tamen non sequitur, ut non requiratur intentio, immò potius contrariè sequitur, ut requiratur, cum homo sit instrumentum animæ

tum, & rationale; & proinde debeat moueri à Deo secundum naturam suam, id est, mediante propria electione, & intentione.

DICES; At ratio, quam adfert Chrysostomus, nimirum, Quia non est iustum, ut alterius malitia, alteri noceat, concludit etiam non debere pendere Sacramenta ab intentione ministri; quia tunc nocere posset ministri malitia suscipientibus Sacramentis, si nimirum ille occultè subtraheret intentionem.

RESPONDEO; Rationem illam concludere de probitate, non autem de intentione, ob duas causas. PRIMO, quia si Sacramenta penderent à probitate, sapissimè noceret vnus malitia alteri, quia plurimi sunt mali, & non possent Sacramenta esse rata, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, vel publicis peccatoribus aliquando urgente necessitate traduntur. At si pendeant ab intentione, rarissimè nocebit malitia ministri suscipientibus: nam intentionem omnes habere possunt, nec est ratio cur nolint. SECUNDO, quia iustum est, ut non pendeant Sacramenta ab ea qualitate ministri, quæ non est omninò necessaria ipsi ministerio, qualis est probitas; at non erat æquè iustum, ut non pendeat ab ea qualitate, sine qua minister non esset minister, qualis est intentio ADDE, quod si hæc ratio probaret, Sacramenta non pendere ab intentione seriò tradendi Sacramenta, probaret etiam ea non pendere ab intentione faciendi actum illum externum, quam solam admittunt Catharini, & hæretici. Nam etiam hoc modo potest fieri, ut malitia ministri noceat suscipienti, ut si quis nolit dicere verba, aut infundere aquam eo tempore, quo non inueniatur alius, qui possit, aut velit hoc facere.

Et per hoc SOLVITVR etiam illa ratio Catharini, quòd sit nimis durum, salutem hominum esse in arbitrio impij ministri; nam cogitur ipse quoque in aliquo casu id fateri. Neque debet videri durum, quod Deus permittit, ne destruat naturam hominis, alioqui etiam videretur durum, quod Deus reliquerit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium.

Ad auctoritatem Nicolai Papæ, DICO, eum non fuisse sollicitum de intentione, tum quia ea ordinariè adest, tum quia Ecclesia non iudicat de internis.

Ad vltimum argumentum ex more humano, patet solutio ex nostra tertia ratione.

DE EFFECTV
 NUMERO, ET CÆRE
 MONIIS SACRAMEN
 TORVM,

LIBER SECUNDVS
 Quarta controuersia de effectu Sa
 cramentorum.

Partitio huius controuersia.



RES VNT HVIUS CON
 trouersia partes. PRIM A: An Sa
 cramenta noua legis sint vera causa
 iustificationis ex opere operato. SE
 CVNDA: An id sit proprium Sacra
 mentis noua legis, an verò commu
 cum Sacramentis legis veteris. TERTIA: An Sa
 cramenta noua legis imprimant animæ characterem.

PRIM A questio in quatuor capita diuidetur. PR
 MVM explicabitur status questionis. SECVNDO ad
 ferentur sententia hereticorum. TERTIO confir
 mabitur veritas. QVARTO soluen
 tur obiectiones.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quis sit status questionis de efficacia Sacramentorum.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, EXPLICANDUM est, quid sit, quod quæritur, cum disputatur de efficacia Sacramentorum ex opere operato. Nam id aduersarij, vt odiosam reddant Catholicorum sententiam, perperam exponunt.

Sunt igitur hîc NOTANDA quatuor PRIMO, statum questionis non esse eum, quem ponit Calvinus, lib. 4. Instit. cap. 14. §. 17. his verbis: *Tantum hîc quæritur, propriâne, et intrinsicâ, vt loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas.* Hæc ille. At nemo vnquam istam questionem disputauit: id enim esset petere, an Sacramenta sint causæ primariæ, quod nulli vnquam venire in mentem potuit, nisi fatioso. Id igitur solum quærimus, an sint instrumenta Dei, id est, an Deus per Sacramenta nos iustificet, non autem an Sacramenta sine Deo. Et sicut nemo vnquam quæsiuit, an faber operetur, an ferræ vices suas resignet, cum constet, ferram sine fabro nihil agere.

Ex quo sequitur esse mendacium, & calumniâ vanissimam hæreticorum, qui dicunt, nos abstrahere homines à Christo, & ab eius passionē, & alligare signis, quia docemus Sacramenta esse causas iustificationis. Nam contra potius hoc ipso trahimus homines ad Christum, & eius passionē, quod dicimus Sacramenta esse Christi instrumenta, quibus ille nobis applicat meritum passionis suæ; nisi fortè retrahere dicatur homines ab igne, qui dicit calorem esse instrumentum, quo ignis calefacit. Et tamen sic loquitur Calvinus ibidem, lib. 4. cap. 14. §. 14. *Quia iustitiæ causam à Sacramentis ducit, miseris hominum mentes in terram, suapte sponte plus satius inclinatos hac superstitione alligat, vt in spectaculo rei corporeæ potius, quàm in Deo ipso acquiescat.* Et similia Lutherus habet, & alij.

SECUNDO notandum, non esse controuersiam de modo quo Sacramenta sint causæ, id est, an physicè attingendo effectum,

atum,

ctum, an moraliter tantum; & rursus si physicè; an per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei motionem: ista enim ad quæstionem fidei non pertinent; sed solum generatim, an Sacramenta sint veræ, & propriæ causæ instrumentales iustificationis, ut verè ex eo, quod quis baptizatur, sequatur, ut iustificetur. Nam in hoc conveniunt omnes Catholici, ut Lutherus ipse fateretur, in libi. de captiv. Babylon. cap. de Baptismo: *Arbitrati, inquit, sunt quàm plurimè aliquam virtutem occultam spiritualem in verbo, & aqua, quæ operetur in anima recipientis gratiam Dei. His alijs contradicentes statuunt, nihil esse virtutis in Sacramento, sed gratiam à solo Deo dari, qui assistit ex pacto Sacramenti instituti: omnes tamen in hoc concedunt, Sacramenta esse efficaciam signa gratiæ.* Hæc ille:

Et hoc sufficit ad fidem, & ad legitimum usum Sacramentorum; quomodo in miraculis Christi non requirebatur, ut homines, qui curandi essent, scirent in quo genere causæ fimbria Christi sanaret, satis erat, ut scirent, & crederent, tactu illius fimbriæ adferre sanitatem: neque opus erat, ut ipsi Apostoli, qui manus imponendo curabant, scirent, quomodo fieret. Ita quoque non est necesse, ut vel ministri, vel qui suscipiunt Sacramenta, sciant, quomodo Sacramenta sint causa iustificationis.

ADD E quod hoc est, commune multis mysteriis fidei: tantum habeamus ex Scripturis, esse aliquid, & tamen ignoremus modum, ut Deum esse trinum, & unum, Christum esse Deum, & hominem, resurgere corpora eadem numero, Christum totum esse in Eucharistia, &c. ita quoque in hac re non est, probari posse ex fide Scripturarum, Sacramenta esse causas gratiæ: quomodo id fiat, difficillimum est intelligere, & magis explicare. Neque id mirum est. Nam si de rebus naturalibus, quas Deus fecit, quanquam sub sensum cadunt, non potest homo reddere rationem, ut ait Salomon, Ecceles. 8: quanto magis exacta ratio reddi non poterit de rebus supernaturalibus? Disputant tamen Scholastici de his rebus non in utiliter, ut ostendant variis modis posse defendi id, quod fides docet, & probabiliter multa dicunt; ceterum ea ad fidem non pertinent.

Quare non rectè aduersarij, ac potissimum Kemnicus

2. parte Examinis, cap. de efficacia Sacramenti, & cap. de opere operato; & Heshusius in libro de 600. erroribus Pontificiorum, tit. 15. qui est de Sacramentis, Scholasticorum opiniones de modo efficiendi Sacramentorum ita reprehendunt, atque oppugnant, quasi eas ad fidem Catholicæ Ecclesiæ pertinere, credamus.

TERTIO notandum est, quid sit conferre gratiam ex opere operato. Nam aduersarij reprehendunt nomen, ut nouum, & ipsam sententiam perperam exponunt. Calvinus in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 8. vocat monstra verborum, conferre gratiam ex opere operato. Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 115. dicit non seruasse Concilium cum hoc verbum protulit, formam sanorum verborum, quam teneri iubet Paulus, 2. Timoth. 1.

SED non est cur de nomine magna contentio fiat. Nulla enim hic est nouitas, nisi quod contra regulam Grammaticæ, operatum, passiuè accipitur. Sed neque hoc est nouum. Nam etiam in epistola ad Hebræos, cap. 13. contra regulam Grammaticæ passiuè accipitur (promeretur) cum legimus: *Talibus enim hostiū promeretur Deus.* Et S. AVGVSTINVS in Psalmum 138. maluit dicere ossum ossi, quàm os ossis, ut faciliùs intelligeretur: *Melius est, inquit, ut nos reprehédant Grammatici, quàm ut non intelligant populi.*

Quod ad rem attinet, duo dicunt nos intelligere, per opus operatum, quæ tamen, & falsa sunt, & inter se pugnantia. Primo affirmant opus operatum significare opus meritorium, seu dignitatem operis ex parte ministri, vel recipientis. Primus Lutherus ita perperâ exposuit in captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, vbi dicit, Papistas ex Sacramento fecisse præceptum, & ex fide opus. Quasi dicat, Papistæ putant, Sacramenta dare gratiam, quia qui suscipit Sacramentum, facit opus bonum a Deo præceptum. Deinde Calvinus, lib. 4. Instit. cap. 14. §. 26. *Quidquid, inquit, de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modò falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura, quæ instituit Deus, ut fideles vacui bonorum omnium, & inopes, nihil præter mendicitatem eò adferant. Unde sequitur ea recipièdo nihil istos agere, unde laudem mereantur, vel in hac actione, quæ eorū respectu merè passiva est, nullum illi posse opus adscribi.* Idem habet in Antidoto, sess.

7. can. 8. vbi non aliter refellit, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, nisi quia absurdum est ex meritis hominum pendere efficaciam Sacramenti. Tandem Kemnitius in 2. parte Examini, pag. 95. *Fuerunt, inquit, qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta, vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt; ita vt Sacramenta dicerent conferre gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exerceat vel is, qui celebrat, vel qui suscipit.*

Hanc esse falsam expositionem, & testem ignorantiam, & malitiam ipsorum, patet ex eo, quod omnes Catholici opinantur opus operatum operi operantis, & per opus operantis intelligunt opus bonum, seu meritorium ipsius operantis. Deinde cum tam Catholici, quam Lutherani doceant contra Denatistas, Sacramentorum efficaciam non pendere à bonitate ministri, quomodo potuit cadere in mentem alicuius, Catholici crederent, Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, & merito ministri? Neque enim dubitari potest, quod bonum opus, & meritum pendeat à bonitate operantis, nec *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. In ratione cum omnes Catholici doceant Sacramenta conferre gratiam, & sæpe primam gratiam; ita vt hominem ex impietate in iustum faciant; quomodo potest fieri, vt credant Sacramenta conferre gratiam ex dignitate, & merito suscipientis? Nam is, qui suscipit Sacramentum, posset bona opera, & meritoria facere ante susceptionem Sacramenti, non esset impius, sed iustus.

SECVNDA expositio falsa, est, quod conferre gratiam ex opere operato sit conferre gratiam peccatori sine fine, & bono motu cordis eiusdem peccatoris, ita vt vis operis operantis excogitata ad excludendam fidem, & poenitentiam interueniat in negotio iustificationis. Lutherus in Babylone, cap. de Baptismo: *Hinc, inquit, impulsus sunt tantum tribuere Sacramentum nouæ legi, vt ea statuerent prodesse etiã iis, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem, aut gratiam.* Caluinus Antidoto, sess. 7. can. 5. *Fingunt, inquit, subesse vim magis Sacramentis, quæ sit extra fidem efficax.* Et can. 8. *Si, inquit, conceditur illis, quod postulant, opere operato comparari gratiam in Sacramentis, separatur à fide pars meriti, vt per se valeat Sacramenti usus ad salutem.* Kemnitius in 2. parte Examini

pag. 125. Pontificij, inquit, defendunt opinionem operi operati, quod scilicet per Sacramenta ita conferatur utentibus gratia, ut non requiratur bonus motus interior in suscipiente, Similia habent Philippus in Confess. Augustana; artic. 13. & Apologia eiusdem, & Helhusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 15.

At hæc expositio pugnat cum superiore. Nam si opus operatum est opus meritorium suscipientis, quomodo potest fieri, ut opus operatum excludat fidem, cum sine fide nullum bonum meritum possit intelligi? nam: *Sine fide impossibile est placere Deo*, Hebræor. II. Est PRÆTEREA ea expositio falsa, & mera calumnia, ac mendacium. Nam ipsum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. diserte docet, initium justificationis fieri à fide, & pœnitentia, & idem omnes Theologi docent, ut supra cap. 2. ostendimus in refutatione mendaciorum,

Igitur ut intelligamus, quid sit opus operatum, NOTANDUM est, in iustificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere, nimirum ex parte Dei, voluntatem utendi illa re sensibili; ex parte Christi, passionem eius: ex parte ministri, potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis, voluntatem, fidem & pœnitentiam; denique ex parte Sacramenti, ipsam actionem externam quæ confurgit ex debita applicatione formæ & materiæ. Ceterum ex his omnibus id, quod actuè, & proximè, atque instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, & hæc vocatur opus operatum, accipiendo passivè (operatum) ita ut idem sit Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis: quod S. AUGUSTINUS lib. 4. de Baptismo, cap. 24. expressit illis verbis: *Ipsum per se ipsum Sacramentum multum valet.* Nam voluntas Dei, quæ Sacramento utitur, concurret quidem actuè, sed est causa principalis. Passio CHRISTI concurret, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cum non sit actu, sed præterierit, licet maneat obiectivè in mente DEI. Potestas, & voluntas ministri concurrunt necessariò, sed sunt causæ remotæ; requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem Sacramentalem,

M

lem,

lem, quæ postea immediatè operatur. Probitas ministri requiritur, ut ipse minister non peccet Sacramenta ministrando non tamen ipsa est causa gratiæ in suscipiente, nec iuuat suscipientem per modum Sacramenti, sed solum per modum imperationis & exempli. Voluntas, fides, & pœnitentia in suscipiente adulto necessariò requiruntur, ut dispositiones parte subiecti, non ut causæ actiuæ: non enim fides & pœnitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramenti, sed solum tollunt obstacula, quæ impediunt ne Sacramenta suam efficaciam exercere possent: vnde in puris, vbi non requiritur dispositio, sine his rebus fit iuuatio.

Exemplum esse potest in re naturali. Si ad ligna comburenda, primùm exsiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex silice, tum applicaretur ignis ligno, & sic tandem fieret combustio; nemo diceret, causam immediatam combustionis esse siccitatem, aut excussionem ignis ex silice, aut applicationem ignis ad ligna, sed solum ignem, ut causam primariam, solum calorem, seu calefactionem, ut causam instrumentalem.

QUARTO, notanda est fraus & imperitia Kemnitij, in 2. parte Examini, cap. de opere operato, fatetur quod ex Catholicis, ut Gropperum & Alfonso rectè exponitur quid sit opus operatum; sed, addit, nõ ita sensisse reliquos Catholicos, neque ipsum Concilium Tridentinum, & idcirco huc remanere integram controuersiam. At miser Kemnitius neque hos, neque illos intelligere potuit, aut certè intelligere noluit: Fingunt, inquit, nimirum Gropperus, & Alfonso iniuriam fieri Doctoribus Scholasticis, quasi opinione operati docuerint, Sacramenta alicui conferre gratiam sine de gratiam accipiente, sed dicunt, nihil aliud ipsos disputatione de opere operato voluisse, quàm Sacramentorum utilitatem non esse ex ministri operantis dignitate, seu merito æstimandam, sed ex Dei auctoris institutione, potentia operatione. Et infra: Si hoc vellent Pontificij, quando de opere operato disputant, quia sententia vera est, nulla esset controuersia. Sed nec olim Scholastici omnes hoc senserunt, & ne nunc quidem Pontificij hoc volunt, quando pro opinione operati dimicant, sed longè aliud monstrum sub exortis

illis verbis alitur; & Ecclesie obtruditur. Hæc ille; In cuius verbis tria sunt falsa.

PRIMUM, quod ait, Gropperum & Alfonsum fingere, fieri Scholasticis iniuriam, &c. non enim id fingunt, sed verissime dicunt, ut sæpe probauimus, & probabimus iterum paulò post.

SECUNDUM, quod ait, nullam fore controuersiam, si omnes Catholici idem dicerent, quod Gropperus & Alfonsus. Nam reuera idem dicimus omnes, & tamen controuersia manet. Nam illi duo auctores non solum dicunt, Sacramenta non sumere efficaciam à dignitate ministri, & non excludere fidem, quod placet Kemnitio & nobis; sed etiam dicunt, Sacramenta habere veram efficaciam, seu efficientiam ad producendam gratiam ex institutione diuina, quod Kemnitio placere non potest, cum ipse (ut mox videbimus) nullam tribuat Sacramentis efficientiam, nisi ad alendam fidem per modum obiecti representantis diuinam promissionem,

TERTIUM quod ait, neque olim Scholasticos, neque nunc Pontificios intelligere opus operatum, quomodo exponunt Gropperus & Alfonsus, nimirum ut non excludat fidem. Hoc autem esse mendacium, planum fiet ex refutatione argumentorum eius.

PRIMUM, ergo id probat, quia Scholastici omnes dicunt, Sacramenta nouæ legis dare gratiam ex opere operato; legis autem veteris dedisse ex opere operantis: At si opus operatum excluderet dignitatem ministri, etiam Circumcisio dedisset gratiam ex opere operato: nihil enim nocebat circumcidentis malitia ministri. Non igitur ex sententia Scholasticorum opus operatum excludit tantum dignitatem ministri, sed etiam fidem & motum interdum suscipientis, quæ pertinent ad opus operantis, & erant necessaria in lege veteri.

RESPONDEO PRIMVM; Aliquos Scholasticos, ut Gabrielem (quem paulò post citat Kemnitius) cum dicunt, Sacramenta vetera non contulisse gratiam ex opere operato, excipere Circumcisionem: proinde apud eos nihil valeret Kemnitij argumentum.

SECUNDO dico, opus operatum non solum excludere dignitatem ministri, sed etiam fidem, & motum internum ab

efficientia gratiæ Sacramentalis Nam, vt diximus, etiam si illi
requiruntur in adultis, tamē non sunt ista, quæ efficiunt gra-
tiam, sed ipsum Sacramentum, vt instrumentum Dei. In Sa-
cramentis autem legis veteris, non ipsum Sacramentum pro-
priè operabatur gratiam, sed vel fides, & deuotio suscipiens
vel totius Synagogæ, vel quid aliud, vt postea dicemus. Itaque
argumentum Kemnitij probat, opus operatum ex sententia
Scholasticorum excludere fidem & motum internum ab effi-
cientia gratiæ Sacramentalis, non tamen probat, quod est
probandum, excludere simpliciter fidem & motum inter-
num, ita vt Sacramenta (vt ipsi calumniantur) conferant gra-
tiam accipientibus ea sine fide, & sine interna conuersione
cordis.

SECUNDO probat ex Gabriele, qui in 4. distinct. 1. quæ-
dit tunc esse opus operatum, cum non requiritur motus in-
ternus.

RESPONDEO; Corruptè citat Gabrielem: nam mox illi
iungit Gabriel, quo motu de congruo, vel de condigno con-
reatur gratiam. Non igitur Gabriel excludit motum in-
ternum disponentem ad gratiam, sed meritorium gratiæ. Non
etiam si illa dispositio potest esse meritoria gratiæ de congruo
vel etiam augmenti gratiæ de condigno, si sit actus ex chari-
tate procedens: tamen alia est gratia, quæ datur ob disposi-
tionem; alia, quæ datur ex vi Sacramenti, vt idem auctor ex-
cat in 4. dist. 4. q. 2. conclus. 4. ad primum.

TERTIO probat ex Paludano, qui in 4. dist. 1. q. 1. cõtra
probat 4. dicit non requiri in Sacramentis vt homo se dispo-
nat, sed dispositionem effici ab ipso Sacramento, & hoc
caussare gratiam ex opere operato.

RESPONDEO; Non intellexit Kemnitius Paludanum. Non
enim loquitur Paludanus de dispositione, quæ est motus in-
ternus suscipiens, vt fides & pœnitentia, quos motus expre-
sè dicit requiri in Sacramentis idem Paludanus dist. 4. q. 1.
loquitur de quadam dispositione vltima, ad quam putatur
continud sequi gratiam, & eam dispositionem esse dicit dispo-
sitionem in tribus Sacramentis, in alijs ornatum quendam
animæ. Cum enim non posset Paludanus intelligere, quo
modo Sacramentum efficeret gratiam, excogitauit illam dispo-
sitionem, quod efficeret quandam dispositionem, ad quam
con-

continud sequeretur gratia. De qua re ad Scholasticos pertinet disputare.

QUARTO probat ex Marfilio in 4. sentent; q 2. artic. 2. & Mensingero in 6. cap. Ioannis, qui distinguunt opus operatum contra deuotionem internam operantis.

RESPONDEO; Distinguunt, non vt excludant omnino, sed vt excludant ab efficientia, vt diximus.

QUINTO probat ex sancto Thoma, Paludano, & Gabriele, qui dicunt, Missam prodesse etiam illis ex opere operato, qui non habent in corde pœnitentiam.

RESPONDEO; Loquuntur de sacrificio, non de Sacramento. Porro sacrificium prodest impœnitentibus per modum impetrationis, quia impetrat illis conuersionem & pœnitentiam, quomodo etiam orationes nostræ, licet non tam efficaciter, id faciunt.

SEXTO probatur ex eo, quod multi Catholicorum probant, Sacramenta efficere gratiam ex opere operato, quia Baptismus prodest paruulis non habentibus fidem, aut vllum internum motum. Ergo eodem modo in adultis excludunt fidem & motum interiore: nam etiam in adultis volunt, Sacramenta vim habere ex opere operato.

RESPONDEO; Catholici efficacissime probant exemplo paruulorum, Sacramentorum efficaciam non pendere ab vlla qualitate suscipientis. Nec tamen ided sequitur, eos excludere in adultis fidem & pœnitentiam: nam hæc exquiruntur in adultis, vt dispositiones, quibus dispositionibus nõ egent paruuli, vt suo loco demonstrabitur.

Probat deinde Kemnitius, Concilium Tridentin. per opus operatum excludere voluisse fidem & motum internum. PRIMO; Quia cum Scholastici variè exponant opus operatum, & alij excludi velint motum internum, alij nolint. Concilium, can. 8. simpliciter admittens opus operatum, & non restringens ad hanc potiùs, quam ad illam expositionem, censetur omnes approbasse. RESPONDEO; Falsum est ab Scholasticis vllis per opus operatum excludi motum internum. Deinde si ita esset, Concilium nullum approbasset, sed solùm in genere definiuisset, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

SECUNDO; Quia Concilium can. 12. definit Sacramenta

non pendere ex dignitate ministri. Igitur in hoc can. 8. per opus operatum non intelligit, Sacramentum non pendere a dignitate ministri, quomodo opus operatum exponit Gropæus; sed aliquid aliud, nimirum non requiri fidem suscipientis. **RESPONDEO**; Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, propriè non significare negationem, id est, non pendere à dignitate ministri, sed significare affirmationem, id est, Sacramenta vi sua efficere gratiam, ex qua sequitur negatio, id est, non pendere à dignitate ministrantis, vel suscipientis. Itaque Concilium can. 8. definiuit illam affirmationem contra Lutheranos: deinde can. 12. definiuit negationem contra Donatistas & Anabaptistas.

TERTIO probat; Quia Concilium in isto can. 8. opponit opus operatum fidei; ergo intelligit excludi fidem per opus operatum. **RESPONDEO**; Si esset verum Antecedens, negatio non posset consequentiam; nam si Concilium opponeret opus operatum fidei intelligeret excludi fidem ab efficientia gratiæ Sacramentalis, non autem excludi simpliciter. Sed tamen falsum est Antecedens quia Concilium non opponit opus operatum fidei, sed soli fidei. Quod paulò infra annotauit etiam Kemnitius.

Præter hæc argumenta addit Kemnitius duo expressa mandacia quibus claudit suam disputationem de opere operato. Nam non solum imposuit Theologis absurdam expositionem operis operati, sed etiam fingit, iam Theologos ab ipsis conuictos, non audere amplius eam opinionem defendere: *Ipse* inquit, *Pontificij scriptores iam tergiversantur, nec manifestè audent suscipere defensionem huius axiomatis, quod rursus Sacramentorum sine fide saluet suscipientes*. Atqui hoc, vt ostendimus, non fuit vnquam axioma Pontificiorum, sed mendacium Lutheranorum. Deinde vt homo solers, inuestigat etiam causas, cur in tam absurdum errorem Scholastici incidissent, proponit duas causas **VNAM**, quod cum legerint apud Augustinum libro 3. de Baptismo, cap. 14. non interesse ad integritatem Sacramenti, qua fide sit imbutus, qui recipit Sacramentum, & non aduerterint, Augustinum loqui de substantia Sacramenti, non de utilitate & fructu; inde putauerint, non requiri fidem vt Sacramenta prosint. **ALTERAM**, quod cum legerint apud eundem Augustinum in epist. 23. paruulos sine fide

fide actuali salubriter percipere Sacramentum, quia non ponunt obicem contrariæ cogitationis: putauerint, eandem esse rationem paruulorum & adultorum.

Sed friuolæ, immò etiam falsæ sunt istæ causæ. Nam omnes Theologi in 4. distinct. 4. distinguunt Sacramentum à re Sacramenti; & docent, Sacramentum etiam sine fide & pœnitentia posse recipi, non autem rem Sacramenti, id est, gratiam. Præterea Concilium Tridentinum, sess. 7. canon. 13. de Baptismo, docet, Baptismum paruulis prodesse sine actuali ipsorum fide; & tamen sess. 6. cap. 6. & 8. & sess. 14. cap. 4. & alibi, docet, in adultis necessariò requiri fidem & pœnitentiam, vt iustificari possint; & semper Ecclesiam Catholicam ita sensisse.

CAPVT SECVNDVM.

Sententia hæreticorum de efficacia Sacramentorum.

VANTVM ad SECVNDVM, antiqua fuit hæresis Messalianorum, ante annos M.C. qui docebant, Sacramenti Baptismi, Eucharistiæ, & alijs non iustificari homines, sed solis precibus. Ita refert Ioannes DAMASCENVS in libro de hæresibus; *Baptismum inquit, hominem non perficere, nec diuina Sacramenta accepta animi sordes expiare, sed solus preces, quæ ab illu rectè fundantur*, Armeni quoque & noui quidam Cathari, si Guidoni credimus, negabant, Sacramenta gratiam conferre.

Sed his omissis, Lutherani de hac re interdum ita scribunt, vt videantur à Catholicis non dissentire, interdum autem apertissimè scribunt contraria. Semper tamen in eadem sententia manent, quæ est, Sacramenta non habere immediatè vllam efficientiam respectu gratiæ, sed esse nuda signa: tamen mediatè aliquid efficere, quatenus videlicet excitat, vel alunt fidem, quæ homines iustificat, quod tamen ipsum, id est, excitare fidem, non faciunt nisi representando. Volunt enim eodem modo cõcurrere ad iustificationem Sacramenta, quo Prædicatio verbi, nisi quod prædicatio adhibetur auribus, & per auditum excitat fidem; Sacramenta adhibentur oculis, & per visum excitant etiam fidem.

M 4

Hanc

Hanc sententiam initio Lutherus & Philippus nudè proponerant, atque apertè dicebant quod sentiebant, nimirum Sacramenta nihil efficere. Sunt autem loca NOTANDA contra Kemnitium, qui impudentissimè in 2. parte Exam. pag. 11 dicit Lutherum seriò & semper improbasse in Sacramentis prophanam illam sententiam; *Quod Sacramenta non sunt organa, & causa instrumentales gratiæ, sed solum instar picture & commonefaciant, & excitent fidem* Hæc ille.

Audiamus nunc Lutherum, Anno M. D. XX. in lib. de captivitate Babylon cap. de Baptismo: *Baptismus, inquit, neminem iustificat, nec ulli prodest; sed fides in verbum promissionis, cui additur Baptismus: hæc enim iustificat.* Et ibidem: *Ideo Deus qui nos nunc per Baptismum, & panem saluat, saluavit Abel per sacrificium, Noë per Arcam, Abraham per Circumcisionem, & alios omnes per sua signa.* Et paulò infra numerat inter Sacramenta veteris legis, quæ non vult esse inferiora Sacramentis novæ legis, quoad efficaciam, signum datum Gedeoni in rore & vellere; & signum datum Manue in sacrificio & signum oblatum Achaz ab Isaia capite septimo, & concludit: *Nostri & Patrum signa, seu Sacramenta habent auctoritatem verum promissionis, quod fidem exigit, & nullo modo alio impleri potest; ideo sunt signa, seu Sacramenta iustificationis, quia sunt Sacramenta iustificationis fidei, & non operum: unde & tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio. Qui enim fides credit, & implet ea, etiã si nihil operetur.* Et infra. *Nec potest esse potest, Sacramentum inesse vim efficacem iustificationis, seu esse signa efficacia gratiæ: hæc enim omnia dicuntur in iudicium fidei.* Item anno M. D. XXI. in assert. 1. articuli ita scripsit: *Nos dicimus, nec novi, nec veteris Testamenti Sacramenta, sed solam fidem iustificasse.* Item anno M. D. XXIII. in lib. contra Cochleum: *Non potest vlla pars iustificationis tribui Baptismo; alioquin si vlla parte iustificaret, non liceret negare Baptismus sine fide iustificare: cum autem ei denegetur, fidei rectè relinquatur.*

Philippus Melanchthon in locis editis anno M. D. XXII. cap. de signis, horrendum esse dicit errorem Scholasticorum, quod Sacramenta iustificent, & addit: *Non iustificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est: ita Baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est; sed testes sunt: &c.*

videt diuinæ voluntatis ergate. Idem etiam in Apologia anno M. D. XXX. edita, ad artic. 13. dicit, Sacramentum esse signum promissionis, ac veluti picturam verbi, & in libro contra Anabaptistas: *Sicut voluntas Dei ostenditur in verbo, seu promissione, ita etiam ostenditur in signo tanquam in pictura.* Et infra, *Prodest et hoc moneri, Sacramenta non iustificare.* Vbi vides illam ipsam similitudinem picturæ, quam tanto opere execratur Kemnitiuſ, & tamen profiteretur se Apologiæ huius sectatorem in ipſo principio, 2. part. Examiniſ.

Lutherum & Philippum ſequuti ſunt Sacramentarij, ex quibus Calvinuſ lib. 4. Inſtitutionum, cap. 14 §. 6. vtitur eadem ſimilitudine picturæ, & §. 17. *Fixum, inquit, maneat, non eſſe alia Sacramentorum, quàm verbi Dei partes: quæ ſunt offerre nobiſ, ac proponere Chriſtum, et in eo cæleſtiſ gratiæ theſauſos.* Et infra: *Cauendum præterea, inquit, ne in erroreſ nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulò magnificentiuſ à veteribuſ ſcripta ſunt: ut ſcilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem Sacramenti annexam, affixamq; eſſe, quo ipſa per ſe Spirituſ ſanctiſ gratiam nobiſ conferant, cum hoc tantum illiſ diuiniſ iniunctum ſit munuſ, teſtificari nobiſ ac ſancire Dei in noſ beneuolentiã.* Et infra, *Sacramenta id ſunt nobiſ à Deo, quòd ab hominibuſ rerum lætarum nunciuſ, vel arrhæ in pactuſ ſancienduſ; ut potè quæ non à ſe quidem largiantur aliquid gratiæ, ſed renuncient, et oſtendant, atque (ut ſunt arrhæ et reſſeræ) rata apud noſ faciunt, quæ diuina largitate nobiſ donata ſunt.* Et §. 18. vtitur exemplo iridiſ & velleriſ Godconiſ, atque aliſ, quibuſ vtebatur Lutheruſ

Porro idem Lutheruſ in libriſ poſterioribuſ conuictuſ (ut veriſimile eſt) argumentiſ Catholicorum, longè aliter ſcripſit. Nam in homilia 1. de Baptiſmo, quam anno M. D. XXXV. edidit, circa principiuſ 2. part. ita habet: *Ad hoc inſtitutuſ eſt Baptiſmuſ, ut nobiſ ſeruiat, nobiſ proſit, nobiſ donec, non aliquid carnale, vel corporale, ſed æternam gratiam, æternam mundiciã, et ſanctitatẽ, æternam vitam.* Et in homil. 2. de Baptiſmo. quam habuit anno M. D. XL. *Non poteſt, inquit, non id operari Baptiſmuſ, ad quòd inſtitutuſ eſt, videlicet regenerationem et renouationem Spirituſ ſancti.* Et infra: *Tantam virtutẽ et energiã habet Baptiſmuſ, ut*

homo, qui in peccatū conceptus et natus est, regeneretur corā Deo, et qui ante ad mortem erat damnatus, iam sit Filius Dei. Quis hanc gloriam et virtutem sacrosancti Baptismi sensibus, cogitatione, intellectu humano assequi, et percipere potest? Et infra: Voluit Ioānes hīs verbis significare, Baptismi tam efficacē, ac tantā virtutē esse, ut peccata abluere, mortem submergere et suffocare, et omnia vitia et sordes sanare et mundare posset.

Hunc modum loquendi imitantur recentiores Lutherani, atque imprimis Kemnitius. Nam in 2. parte Examinis, pag. 98. vbi citasset aliquot Scripturas pro efficacia Sacramentorum contra Anabaptistas & Sacramentarios, ita subiungit: *Hæc manifestissima testimonia, quæ Sacramentis efficaciam tribuunt, et qualis ea sit, explicant, nō sunt per tropos pervertenda à simplici, et genuina significatione, quam propria vocabulorum significatio præbet: et ita veteres hæc testimonia simpliciter, sicut sonant, intellexerunt.* Et pag. 101. *Sacramenta sunt causæ instrumentales, ita quod per illa media, seu organa Pater vult gratiā suam exhibere, donare, applicare. Filius meritū suum communicare credentibus; Spiritus sanctus efficaciam suam exercere ad salutem omni credenti.* Hæc ille: qui certè Catholicissimè loqui videtur. Calvinus quoque nō rarò ita loquitur, ut loquuntur Catholicī. Nam in Ant. Concil. sess. 7. can. 5. sic ait: *Semper memoria repetendū est, Sacramenta nihil, quam instrumentales esse conferendā nobis gratiæ causā.* Et can. 6. *Si qui sint, qui negent, Sacramenta contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus.*

Veruntamen nec Lutherus, nec Calvinus, nec Kemnitius recedit à prima illa sententia, quæ nihil reuera tribuit Sacramentis efficientiæ. Nam cum dicunt, Sacramenta esse causās instrumentales, & conferre gratiam, & esse efficaciam, semper intelligunt, mediante fide, ita ut ipsa nihil aliud agant, nisi excitare, vel nutrire fidem, quæ sola iustificat.

Nam idem Calvinus ibidem can. 5. explicat, quomodo Sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ, ac dicit, tunc demum Sacramenta suum effectum habere, si fidei seruiant. Et can. 8. dicit, eodem modo efficere in nobis gratiam Sacramenta, quo efficit verbum Dei prædicatum. At certum est, verbum non efficere, nisi excitando, vel nutriendo fidem. Deniq; Theodorus

doctor Beza (vt supra notauimus) in lib. de summa rei Sacramentariae, q. 1. ita explicat Caluini praeceptoris sui sententiam: *Vnde de efficacia, inquit, illa Sacramentorum? à Spiritus sancti operatione in solidum, non autem à signis, nisi quatenus exterius illis obiectis interiores sensus mouentur.*

Kemnitius quoq; pag. 101. & sequent. explicans accuratè, quemadmodum sint efficacia Sacramenta, tandem concludit esse efficacia, eo modo, quo ipsa promissio, seu promissionis verbū. Et pag. 102. *Verbum, inquit, et Sacramenta monstrant nobis, ubi fides debeat quaerere, et ubi posuit inuenire Christum Mediatorem, Patrem et Spiritum sanctum.* Et pag. 105. explicans, quomodo fides in Sacramentis iustificet: *Non est sensus, inquit, quod fides gratiam accipiat sine medio aut organo verbi et Sacramentorum: obiectum enim fidei est verbum et Sacramenta, immò in verbo et Sacramentis verum fidei obiectum est Christi meritum, gratia Dei, et efficacia Spiritus: et fides idèd iustificat, quia illa in verbo et Sacramentis apprehendit et accipit, et hoc sensu sicut fidei verbi, ita etiam fides Sacramenti, dicitur iustificare.* Hæc ille.

Denique quibuscūque verbis Catholicorum vtantur Lutherani, non possunt tamen vlllo modo sentire, quod nos sentimus, Sacramenta esse veras & immediatas causas iustificationis, nisi recedant à primo illo suo principio; Sola fides iustificat: quod hactenus non fecerunt.

CAPVT TERTIVM.

Quòd Sacramenta ex opere operato conferant gratiam, ex Scripturis probatur.

PROBANDVM iam superest; Sacramenta esse veras causas instrumentales gratiæ; ac ne frustra laboremus, demonstrandum est simul, aliter esse causam Sacramenta, quàm concionem. Nam ad omnia testimonia nostra respondere solent, Sacramenta esse veras causas gratiæ, sed excitando fidem, quomodo etiam verbum Euangelij dicitur à Paulò Rom. 1. *Virtus Dei in salutem omni credenti.*

Adfe-

A dferemus sex argumentorum classes. PRIMA erit ex Scri-
pturis Testamenti noui, vbi expressè id habetur. SECUNDA
ex vaticinijs Prophetarum, & ex figuris Testamenti veteris.
TERTIA ex Concilijs. QVARTA ex Patribus Græcis. QVINTA
ex Latinis, SEXTA ex ratione.

*Prima classis testimoniorum ex nouo Te-
mento.*

P RIMUM testimonium est Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.
vbi Ioannes Baptista loquitur: *Ego baptizo vos aqua, & vos baptizabit Spiritu sancto.* Quibus verbis non est dubium
tantum discrimen poni inter efficaciam Baptismi Ioannis,
Baptismi Christi, quantum est inter aquam & Spiritum. Baptismus
Ioannis efficax erat ad alendam fidem, non minus
quam Baptismus Christi; nam in Baptismo Ioannis erat
terna ablutio & verbum promissionis. Nam prædicabat Ba-
ptismum penitentiae in remissionem peccatorum, Luc. 3.
prædicabat simul fidem Mediatoris, dicens, vt crederent
eum, qui venturus erat, Actor. 19.

Ad hoc argumentum Calvinus in caput tertium Mar-
R E P O N D E T, eandem fuisse efficaciam Baptismi Ioannis
Christi: discrimen autem, quod potuit Ioannes in aqua & Spi-
ritu, dicit in eo consistere, quod Ioannes erat minister exte-
ni ritus, Christus autem erat auctor internæ sanctificationis.
A T si ita est, non debuit Ioannes dicere; *Ego baptizo, ille ba-
ptizabit, sed; Ego baptizo, ille baptizat.* Præterea si erat eadem
vis vtriusque Baptismi, cur Actor. 19. Paulus iussit baptizari
Christi Baptismo eos, quos audiuit iam fuisse baptizatos Ba-
ptismq; Ioannis.

R E S P O N D E T Calvinus in commentar. Actor. 19. non fuisse
illos iterum baptizatos, sed tantum accepisse visibiliter do-
num Spiritus sancti, & hoc significari illis verbis: *Hu audiuit
baptizari sunt in nomine Domini I E S U.* A T præterquam
quòd ista esse vitiosa æquiuocatio, cum in tota ea narratio-
ne accipiat nomen Baptismi pro Baptismo aquæ, & quòd
licebit, omnes Scripturas peruertere, si licet verba tam apertè
et aliò torquere: ibidem mox adiungit Lucas: *Et cum impo-*
suis

fuisse illi manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguas, & prophetabant. Non igitur illud; Baptizati sunt, significat, Acceperunt donum Spiritus sancti visibiliter.

RESPONDET Calvinus, ista posteriora verba esse explicationem priorum. AT non diceret Lucas: *Baptizati sunt. Et cum imposuisset manus, &c.* sed *Baptizati sunt*: nam cum imposuisset manus, &c. vel certè *Baptizati sunt, & imposuit illis manus, &c.* sic enim fieri solèt explicationes. Illa autem phrasibus: *Hic auditu, baptizati sunt in nomine Domini IESU, & cum imposuisset illi manus Paulus, venit Spiritus sanctus*; euidenter ostendit, duas fuisse actiones, & diuerso tempore factas, Baptismum, & manus impositionem. Denique conferatur hic locus cum alio eiusdem auctoris, nimirum Actor. 8. vbi similiter habetur Baptismus in nomine Domini IESU, & impositio manuum; & erit luce clarius, per Baptismum in utroque loco intelligi verum Baptismum.

SECUNDVM testimonium Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hic tribuitur Baptismo vis saluandi; at non saluat, nisi iustificando, & abluendo sordes peccatorum.

Neque potest responderi, quòd saluet excitando fidem. Nam INPRIMIS hoc loco fides præcedit. Ineptum autem est dicere, primò poni effectum, deinde causam. Sicut enim absurdum esset dicere; *Qui curatus fuerit, & acceperit medicinam*; ita absurdum esset dicere: *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, si Baptismus est causa fidei. Vnde quia audire verbum Dei est verè causa fidei, semper in Scriptura præcedit, vt Ioan. 5. *Qui audit verbum, & credit, habet vitam æternam.* Et Ioan. 6. *Omnis qui audiuit, & didicit, venit ad me.* Non ergo fides est effectus Baptismi, cum eum præcedat, sed potius dispositio ad illum.

PRAETEREA ad hominem; Christus hoc loco non coniungit Sacramentum cum concione, vt aduersarij faciunt; non enim dicit: *Qui audierit verbum, & baptizatus fuerit*; sed coniungit eum fide, quæ est effectus verbi. Sicut ergo fides apud aduersarios immediatè iustificat applicando merita Christi, non autem excitando aliquam aliam causam; cur non eodem modo fateantur, Baptismum immediatè iustificare applicando

plu

plicando Christi merita, cum Christus eodem modo loquitur de fide & Baptismo?

TERTIUM testimonium Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic locus aperte facit Baptismum aquæ causam nouæ uitæ, id enim significat præpositio; *Ex*; vt patet in omnibus similibus loquutionibus.

Neque potest dici, quòd renasci ex aqua sit renasci ex fide quam excitat aqua. Nam PRIMO, debuisset potius Christus dicere; Nisi quis renatus fuerit ex verbo & Spiritu sancto, quàm, *Ex*, aqua & Spiritu sancto; cum principalior causa excitandæ fidei, sit verbum, quàm aqua. SECUNDO, quia fuerit Christi sermo omninò inintelligibilis. Nam cum ante dixerit ante, de fide, quis diuinare posset, eum modò tradere rationem excitandæ fidei? TERTIO, esset falsa propositio: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Nam si fides sola iustificat, impotens est ad salutem, vnde fides excitetur, siue ex aqua, siue ex vino; siue ex aliâ re. Et constat multis modis, fidem excitari posse sine Baptismo aquæ: concio enim abundè sufficit ad excitandam fidem.

AD HUNC locum non potuit aliter Calvinus respondere, nisi negando, hîc agi de Baptismo, quod etiam ante illum negarunt Zwinglius & Bucerus. Itaque Calvinus in commentar. & lib. 4. Institut. cap. 16. §. 25. negat, intelligi debere Sacramento Baptismi, sed de sola interna renouatione. Quæ circa per aquam vult intelligi Spiritum sanctum, & hunc esse sensum; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, id est, ex Spiritu sancto, qui instar aquæ mundat, &c.

AT PRIMVM; Omnes scriptores hæcenus hunc locum intellexerunt de Baptismo, vt Iustinus Apolog. 2. Tertullianus in libro de Baptismo, Cyprianus libro 3. ad Quirinum cap. 25. Ambrosius libro 3. de Spiritu sancto; cap. 11. Hieronymus in caput 16. Ezechielis, item Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus in sermone de Baptismo; & omnes interpretes huius loci, Origines, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Enthymius & alij.

SECUNDO; Si ita licet ludere in Scripturis, possemus negare Baptismum aquæ. Nam vbique intelligemus nomine aquæ

aquæ Spiritum sanctum, & eodem modo licebit pervertere omnia alia mysteria.

TERTIO; Negari non potest, quin sit coacta, & absurda, & Scripturis inusitata loquutio. **NEC** valet exemplum, quod Calvinus profert ex Matthæi. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Vbi vult per ignem intelligi eundem Spiritum sanctum, vt habet similitudinem cum igne. **NAM** per ignem rectissimè potest intelligi externus ignis, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes, vel ignis tribulationis, vel ignis Purgatorij: quas expositiones attingit Beda in commentario Luc. 3. Præterea in hoc loco; ignis postponitur Spiritui sancto, & non est ita absurdum, post vnum vocabulum poni alterum, quo illud declaratur. At aquam Ioan. 3. Dominus præposuit Spiritui sancto; absurdissimum autem est, prius poni declarationem, deinde id, quod declarandum est. Neque negari potest, quin aqua si accipitur pro Spiritu sancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritus sancti, qui est mundare.

QUARTO; Si aqua hoc loco non poneretur, nisi ad explicandum effectum Spiritus sancti, malè coniungeretur cum verbo renascendi; aqua enim, si tantum inspiciatur eius significatio, non gignit, sed lauat, & refrigerat. Itaque vel dicere debuisset Dominus; Nisi quis mundatus fuerit aqua & Spiritu sancto, vel; Nisi quis renatus fuerit ex semine & Spiritu sancto. Non igitur aqua solum hoc loco declarat effectum Spiritus sancti, sed propriè significat aquam, vt concurrat Sacramentaliter ad spirituales regenerationem.

QUARTVM testimonium Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionẽ peccatorum.* Cui simile est illud Act. 22. *Et nunc quid morari; baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* In his locis tribuitur Baptismo remissio peccatorum, nec potest dici, id fieri, quod Baptismus excitet fidem. Nam quos Petrus alloquitur Act. 2. iam crediderant, vt Lucas ibidem indicat. **Audita enim Petri concione, compuncti sunt corde, & dixerunt: Quid faciemus viri fratres?** Petrus autem non ait; Oportet credere, vel magis credere, sed; *Pœnitentiam agite, &c.* **Paritèratione Paulus, cui dixit Ananias, Act. 22. baptizare, & ablue peccata tua, iam crediderat, & pœnitentiam egerat triduo ieiunans,**

RESPON.

RESPONDET Calvinus, tum in commentatio Actorum
tum lib. 4. Instit. cap. 15. §. 18. baptizari in remissionem pecca-
torum, seu abluere peccata Baptismo, nihi esse aliud, nisi ac-
cipere testimonium, seu sigillum acceptæ iustificationis, idque
ad fidem roborandam, & confirmandam.

SED (vt omittam quod antea demonstraui, Sacramen-
ta non posse esse sigilla, vel certè esse falsa sigilla, cum non sit
minister, an ille, cui applicat sigillum diuinum, sit verè ius-
tificatus: quis non miretur nouum istum tropum, quo abluere
peccata, significat, accipere sigillum iustificationis acceptæ.
In auditum est enim, vt actio significata, ponatur ad significan-
dum signum, & quod actio futura ponatur ad significandam
præteritam. Exempla esse possunt, si quis diceret: Bibe vinum
absurdè id diceret, si significare vellet; Inspice hederam, quæ
in hospitio pendet. Pari ratione, si Imperatori reuertenti ex
victoria, diceretur: Vince hostes, idque diceretur ad significan-
dum; Accipe triumphum in signum præteritæ victoriæ, abluere
difficillima esset loquutio. Non enim rectè dicitur: Vince hostes
ei, qui iam pugnavit, & vicit.

QVINTVM testimonium Actor. 8. *Cum vidisset Simon*
quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus
sansus: Cui loco similis est ille 2. Thim. 2. Admonet
vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum
mearum. Et si enim hæc loca intelliguntur de Sacramentis Con-
firmationis & ordinationis, quæ apud multos aduersario-
rum non sunt propriè Sacramenta: tamen si Sacramenta
ipsi volunt, impropiè dicta sunt veræ causæ gratiæ, quam
magis Sacramenta propriè dicta: Porro in his locis aperte
impositio manuum asseritur causa gratiæ, vt patet ex
la particula, Per. Nec potest dici, manuum impositionem
esse causam gratiæ, excitando fidem, nam omnes isti, qui per
impositionem manuum acceperunt gratiam Spiritus sancti
iam crediderant & baptizati erant.

SEXTVM testimonium 1. Corinth. 10. *Vnum corpus multi-*
sumus, omnes, qui de vno pane participamus. Vbi participamus
de vno pane ponitur p causa vnius corporis. Quod in Græco
est clarius: οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἐνὸς ἄρτου μετέχομεν.
Omnes enim ex vno pane participamus. Quomodo autem
sumus vnum corpus, quia de vno pane participamus, nisi quia
panis

panis ille alit, & auget vitā huius corporis? Nam in reb⁹ corporalibus, quia idē cibo alit omnia membra eiusdem corporis, ideo rectissimē pbamus aliqua membra esse membra eiusdem corporis, si ab eodem cibo alantur. Quare si tollas à Sacramēto altaris verā causalitatem gratiæ, non poterit probari, quòd simus vnum corpus, quia eandem Eucharistiam participamus. Similis est huic loco ille 1. Cor. 12. *Etenim omnes nos in vno Spiritu in vnu corpus baptizati sum⁹*. Vbi Paulus pbat, nos esse vnu corpus, quia per Baptismum accepimus vnu spiritū. Quod argumentum nihil efficit, si Baptismus nō confert Spiritum.

SEPTIMUM testimonium Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Cui similis est locus ille Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Vbi aperitissimē dicimur mundari, & saluari lauacro aquæ, & per lauacrum: vtrumque autem causam instrumentalem significat.

RESPONDET Calvinus in commentario horum locorum, Baptismum propriē dici lauacrum animæ, & esse symbolum efficax: quia Deus, dum hoc signum ostendit, simul etiam operatur, quod per illud significat. At per accidens hoc modo coniungitur iustificatio, quam solus Deus facit cum Baptismo: proinde non magis propriē dicimur mundari, & saluari per Baptismum, quam per quamlibet aliam actionem, quæ tunc simul fiat. Nec potest verē dici: Baptismus lauacrum regenerationis, si per illum Deus non lauat nos, licet eodem tempore lauet nos. Si dicat, Deum nos mundare per Baptismum, quia ostendens illud symbolum, prouocat fidem quæ mundat: etiam dicere posset, homines inebriari per hederam, quæ pendet in hospitij; quia illa hederam prouocat ad emendum vinum, quod vinum postea inebriat.

OCTAVVM testimonium est 1. Pet. 3. *Quod nos similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Hic habemus PRIMVM, Baptismo nos saluos fieri. DEINDE, saluos fieri simili quodam modo, quo olim tempore Noë pauci quidam salui facti sunt per aquam. Atqui aqua illa verē & efficienter saluauit eos, qui erant in arca, videlicet arcam in sublimē attollens. DENIQVE, habemus discrimen inter Baptismata Iudæorum, & nostrum: quòd illa tollerent sordes carnis, nostrum purificet conscientiam. Sicut igitur Baptismata Iudæorum verē

N

tolle.

tollebant sordes carnis, non tantum significando, sed etiam efficiendo; ita & nostrum Baptisma verè lauat conscientiam non tantum significando, sed etiam efficiendo.

CAPVT IIII.

Secunda classis testimoniorum, vaticinia Prophetarum

PRIMO ISAIAS cap. i. vbi dixerat: Quò mihi munditiam victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum; holocausta arietum, & adipem porcorum, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & caprorum nolui. Subiungit: Lauamini, mundi estote. Quæ verba sanctus Hieronymus, & sanctus Cyrillus in commentario. Cyrillus Hierosolymitanus in i. catechesi & Theodoretus Psal. 50. & Basilius orat. 13. quæ est de Baptismo, exponunt literam de Baptismo, qui succedit expiationibus illis veteribus. Quòd autem Baptismus vim habeat mundandi, patet ex verbis: Lauamini, mundi estote. Est enim ac si diceret, Baptizemini, & eo modo mundi eritis. Vnde sanctus Hieronymus hunc locum ita enarrat: Pro superioribus victimis & holocaustis Euangelij mihi placet religio, ut baptizemini in sanguine per lauacrum regenerationis, quod solù potest peccata delere. Hæc ille. vbi illud, Solum, nõ excludit Deum, Christum, fidem, & alia id genus, sed sacrificia & cæremõnias Iudaicæ.

SECUNDO; EZECHIELIS cap. 36. Effundam, inquit, super aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & dabo vobis cor nouum, & c. Hunc locum de Baptismo intelligunt Hieronymus & Theodoretus in commentario, & Cyprianus lib. i. epist. vlt. & lib. 4. epist. 7. vbi notat sanctus Hieronymus, per aquæ Baptismi asperisionem nõ solum mundari peccata, sed etiã dari cor nouum, & spiritum nouum.

TERTIO; MICHEAS cap. 7. De Baptismi gratia, inquit, Hieronymus in epist. 83 ad Oceanum, vaticinatur; propinquum in profundum maris omnia peccata nostra. Quomodo etiam hunc locum exponit Rupertus in commentario, & Augustinus in commentario Psal. 113. Et quod in mare mergitur, nõ solum significatur extingui, sed re ipsa vi aquarum extinguitur.

QUARTO; ZACHARIAS cap. 13. In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem in ablutione peccatorum, & menstruata. Hunc etiam locum Hieronymus

& Rupertus in commentario exponunt de Baptismo, qui vim habet purgandi peccata.

QVINTO; DAVID Psal. 50. *Asperges me Domine hyssopo, &c.* Sed de hoc paulò infra dicemus, in explicatione sextę figurę.

Figura Sacramentorum.

PRIMA est Gen. I. *Spiritus Domini ferebatur super aquam.* In Hebręo exprimitur, quorsum ferretur super aquas nimirum vt eas fecundas redderet: nam inde procreandi erant pisces, & aues, vt infra habetur **קַרְקַרָה** incubabat, more galinæ nidum suum fouentis, & oua calore animantis, inquit Hieronymus in qq. in Genesim. Fuisse autem hanc figuram Baptismi, qui constat ex aqua & Spiritu sancto, docent TERTULLIANVS in libro de Baptismo. HIERONYMVS in epist. 33 ad Oceanum. Vt igitur aqua initio mundi à Spiritu sancto vitalem quandam vim accepit, vt animalia procrearet; sic & Baptismus à Spiritu sancto vim accepit procreandi novos homines: *Ne mirum sit*, inquit Tertullianus, *in Baptismo, si aquę animare possunt.* Et ibidẽ Christianos vocat pisciculos, quòd nascantur ex aquis. Qua etiam de causa literę capitales versusum Sybillinorum faciunt **ΙΧΘΥΣ** id est, piscis, & significant **IESVS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR.** Quod annotauit AVGVSTINVS libro 18. de ciuit. Dei, cap. 23. & PROSPER lib. 2. de prædictionibus, cap. 29. & ante vtrumq; OPTATVS Mileuitanus lib. 3. contra Parmenianum: *Hinc, inquit, est piscis, qui in Baptismate per inuocationẽ fontalibus undis inseritur, vt quę aqua fuerat, à pisce etiã piscina vociretur, cuius pisci nomen secundum apellationem Græcam in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continent, ΙΧΘΥΣ quod est Latine: IESVS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR.* Et huc alludẽs S. HIERONYMVS in epist. 43. Bonosus, inquit, tanquam **ΙΧΘΥΣ** Filius aquosa perit.

SECUNDA figura est Genes. 7. de diluuiò saluante Noë & reliquos, qui erant in arca, quam explicat S. Petrus epist. 1. cap. 3. vt paulò antè diximus.

TERTIA figura est Genes. 17. de Circūcisione, de qua B. Paulus Col. 2 sic ait: *Circumcisi estis Circūcisione nõ manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed Circumcisione Christi cõ-*

sepulti ei in Baptismo At Circūcisio verè & efficeret carnem
abscindebat, non autē erat solum testimonium abscisionis,

QUARTA figura est Exod. 14. submersio Ægyptiorū in mare
rubro, & transitus filiorum Israël, de qua sic loquitur B. Paulus
I. Cor. 10. *Omnes, inquit, in Mose baptizati sunt in nube & in
mari* Et infra dicit: *Hæc omnia cōtingebant illis in figura* In
mare rubrum figura fuit Baptismi; nubes autem obumbrata
figura Spiritus sancti; & sicut mare rubrū verè demersit Ægyptios,
& liberauit Israelitas; ita Baptismus verè delet peccata
& saluat animas. Vide Cyprianum lib. 4. epist. 7. Augustinum
tract. 11. & 13. in Ioan. & Hieronymū in epist. 83. ad Oceanum

QUINTA figura est Exod. 16. & 17. de Maña plente e
& aqua scaturiente ex petra: quæ figuræ erant Eucharistia
panis & sanguinis Domini, eodē Paulo ibidem I. Cor. 10. ex
cane At Maña & aqua illa verè reficiebat, & recreabat corp
Israelitarū, & nō erant testimonia vel sigilla. Igitur Eucharistia
verè reficit animas; alioqui erit melior figura quā res figurat

SEXTA est Num. 19. de aqua lustrationis, quæ admixta
habebat cinerem vaccæ rufæ, quam fuisse Baptismi figuram
scribit Augustinus in quæstionibus super Numeros, capitulum 19.
ubi NOTANDVM ex eodē Augustino, tria fuisse necessaria
in hac expiatione; cinerem vaccæ rufæ, aquam & hyssopum
quo aqua aspergebatur; & quidem cinis vaccæ Christi mortis
tem & merita significat: aqua verò Baptismus, qui Christi
merita applicat: hyssopus herba humilis, radices habens in
petra, fidem significat, sine qua Baptismus adultis non datur
& si fortè datur, non eis prodest. Sicut ergo in illa expiatione
hyssopus non mundabat, sed aqua vim habens ex cinere vaccæ
& hyssopo aspersa: sic in Baptismo non est fides, quæ proprie
in Baptismo purgat peccata, sed aqua vim habens ex Christi
passione, & fide suscepta. Ad has expiationes tum figuratam
gurgentem, tum figuratam respexit DAVID, cum diceret Psal. 50.
*Asperges me Domine hyssopo & mundabor lauabis me, &
super niuem dealbabor.* Petit enim eam purgationem, quam
nouerat figuram, per expiationem aquæ, quæ hyssopo asperge
batur, ut exponit Theodoretus in cōmentario huius loci

SEPTIMA figura est Iosue 4. de transitu filiorum Israël per
Iordanem ad terram promissionis, duce Iosue, quam fuisse figuram
Baptismi, docent Ambrosius in illud Luca. 1. *Ipsie praeteribit in spiritu & virtute Eliæ.* Et Augustinus in illud Psal.

13. *Et tu Iordanis conuersus es retrorsum.* Neque vllus dixerit, per aquas Iordanis nõ transiisse filios Israël ad terrã promissionis; sed ob signatam promissionem transeundi.

OCTAVA est 4. Reg. 5. de Naaman Syro curato à lepra, laua cro Iordanis: de qua vide Ambrosium in 4. cap. Lucæ, & libro 2. de Sacramentis, cap. 4. Et certè aqua Iordanis verè curauit Syrum illum: non fuit sigillum promissionis.

NONA est Ioan. 5. de probatica piscina, quæ figura manifestissima est & a Patribus multis celebrata, vt Tertulliano in libro de Baptismo, Ambrosio libro 1. de Spiritu sancto, cap. 7. Chrystostomo, Cyrillo, & Theophylacto in hunc locum Ioannis. Et quidem CHRYSOSTOMVS pulcherrimè hanc figuram explicat, & addit, Deum voluisse varijs figuris efficaciam Baptismi demonstrare, ne incredibilis videretur: *Futurum inquit, erat Baptisma plenũ maximæ potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo viuum effecturum, &c.* Et sane nisi ita esset, vt dicit Chrystostomus, præstantior fuisset figura te ipsa figurata.

DECIMA est Ioan. 9. de cæco nato, quem Dominus illuminauit per aquam Siloe, de qua vide Ambrosium epistol 75. ad Bellicium, & Augustinum tract. 44 in Ioan.

Sunt autem duo NOTANDA ad hæc loca Scripturæ. PRIMVM, quòd cum tam sæpè Scriptura, & vaticinijs, & figuris, & expressis verbis loquatur de Sacramentis, tamen ne semel quidem dicat, vim Sacramentorum consistere in excitanda, vel alenda fide; sed semper explicet consistere in purgandis peccatis, & mundanda anima. Ex quo reuera, si res seriò perpendatur, euidenter colligitur, falsissimam esse hæreticorum sententiam. Nam quomodo credibile est, finem immediatum, & præcipuum Sacramentorum nunquam in Scriptura haberi, cum sit is mediatus tam sæpè inculcetur?

SECUNDO nota, quod si licet negare Sacramenta verè & immediatè sanctificare, cum tam apertè Scripturæ hoc doceant; eadem ratione negari poterit, fidem iustificare, quod tamen aduersarij passim affirmant. Nam nihil Scripturæ tribuunt fidei, quod non tribuant etiam Sacramentis. Verbi gratia, Lucæ 7. dicitur: *Fides tua te saluã fecit.* Et in 1. Epistola Petri, capite 3. dicitur: *Vos saluos facit Baptisma.* Item de fide, Ioan. 5. *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* De Sacramentis Ioannis. 6. *Qui manducas hunc panem, viuet*

in eternum. De fide, Actor. 15. Fide purificans corda eorum
De Sacramentis, Ephes. 5. Mandans eam lauacro aque
verbo vite. De fide, ad Rom. 3. Arbitramur hominem ius-
tificari per fidem. De Sacramentis, ad Titum 3. Saluos nos
per lauacrum regenerationis. De fide, ad Rom. 5. Iustificati
ergo ex fide. De Sacramentis, Ioan. 3. Nisi quis renatus fu-
erit ex aqua & spiritu sancto, &c.

CAPVT QVINTVM.

Tertia classis argumentorum ex Concilio



CONCILIVM NICAENVM, quod nuper è Ge-
nerali, editum est ab Alfonso Pisano, in eo
quod inscribitur $\delta\iota\alpha\tau\upsilon\tau\omega\sigma\iota\varsigma$, doctrina de-
claratissimo, ante 8. canon. Baptisma nostrum, ius-
tificationis non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis; ap-
pares, considera virtutem Dei in aqua absconditam. Et
Descendit quidem is, qui baptizatur, peccati obnoxius, &
vitii corruptione detentus, ascendit autem ab ea servatus
peccati liber, filius Dei, & haeres, & cohaeres Christi.

Concilium CONSTANTINOPOLITANVM I. in Symbolo
Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum.

Concilium MILEVITANVM capite 2. Paruuli, qui in
peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, in
remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in
generatione mundetur, quod generatione traxerunt. Atque
in paruulis Baptismus non potest esse causa remissionis
peccatorum excitando fidem.

Concilium AVRAVSICANVM II. can. 25. Hoc etiam
fidei Catholicam credimus, quod accepta per Bap-
tisma gratia, omnes baptizati, Christo adiuuante & gra-
tiae, quae ad salutem pertinent, possint & debent, si fideliter
laborare voluerint, adimplere. NOTA, non posse id exponi
in citatione fidei. Nam paulo infra idem Concilium dicit, a Deo
prius fidem inspirari, ut Baptismi Sacramenta fideliter recipi-
amus, Praeterea etiam si fides, secundum aduersarios, iustificat
peccatis, tamen non dat gratiam bene operandi: At Bap-
tismus ex hoc Concilio dat gratiam bene operandi.

His adde Concilia recentiora, Florentinum & Tride-
ntinum.

CAPVT SEXTVM.

Quarta classis, ex Patribus Græcis.

AM ex Patribus Græcis, IUSTINVS in Apologia ad Antoninum: Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua, &c. Et antea dixerat, neminem adduci ad Baptismum, nisi antea crediderit, Similia habet in Dialogo cum Triphone.

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. i. Pædag. cap. 6. Multis inquit, modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum: lauacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam, & salutarem lucem intuemur; perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum nouit? &c.

ORIGENES homil. 14. in cap. 2. Lucæ. Paruuli, inquit, baptizantur in remissionem peccatorum. Et infra: Et quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea & baptizantur & paruuli.

CYRILLVS catechesi 3. Mortuus, inquit, in peccatis descendisti, & ascendens uiuificatus in iustitia, &c. Vide totam catechesim. Et in præfatione catechesion: Magnum est sane propositum hoc Baptisma; captiuitatis liberatio, peccatorum remissio animæ regeneratio, currus ad cælum, &c.

BASILIVS libro de Spiritu sancto, cap. 15. ponit obiectionem hæreticorum; Si ideo Spiritus sanctus æqualis est Patri & Filio, quia in ipso baptizamur, etiam aqua erit æqualis Patri & Filio quia in ipsa baptizamur. Responder: Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex præsentia Spiritus, &c. Secundum aduersarios dicere debuisset, aquam nihil facere, & sic statim obiectionem soluisset. At Basilius fatetur, in aqua esse virtutem, sed ait, eam non inesse aquæ ex aquæ natura, sed ex vi Spiritus sancti. Vide etiam homil. 13. quæ est hortatio ad Baptismum, ubi clarissimè idem habet. Vide etiam Gregorium NAZIANZENVM oratione in sancta lumina, & orat. in sanctum lauacrum.

Gregorius NYSSENVS in lib. de Baptismo: Baptisma, inquit, peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis, & regenerationis causa. Et infra explicans, quomodo id fiat,

multa exempla adducit earum rerum, per quas Deus miracula fecit, ut virgam Aaron, & alia; & subdit: *Atque hæc omnia cum materiæ sint inanimata, atque sensus expertes, postquam vim Dei accepissent magnis miraculis, media intercesserunt. Ac simili consequentia rationum etiam aqua, cum nihil aliud sit, nisi aqua, superna gratia benedicente eam, que mente percipitur, hominē, renouat regeneratione. Quod si quis mihi rursus dubitando & ambigendo negotium exhibeat interrogans, qua ratione aqua regeneret; dicā pro modo iure ad eum: Ostende mihi modum natiuitatis, qua secundū carnem; dices fortasse: Semen causa hominis effectus est. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur purgat & illuminat hominem.*

Vbi NOTANDVM est, non posse Gregorij sententiā trahi id, quod hæretici dicunt, Sacramenta operari, quia obiecta mouent ad fidem. Nam PRIMO, comparat aquam Baptismi virgæ Aaronis, quæ miracula faciebat efficienter. SECUNDO, comparat semini, quod est causa hominis efficiens, ut ipse dicit. TERTIO, negat, aquam aliquid effici nisi recipiat vim quandam supernaturalem; at ut moueat obiectiuè per modum signi, non requiritur vlla virtus supernaturalis. DENIQUE quæstio, quam proponit, Quomodo possit aqua regenerare, nulla esset, si tantum obiectiuè operaretur.

CHRYSOSTOMVS homilia 39. in Genesim extrema: *Nam id, inquit, quod illic operatur, Circumcisio in depositione carnis: id agit hic Baptismus in depositione peccatorum* Item homilia 24. in Ioannem, prolixè docet, esse credendum verbum Christi asserentis, aquam vim habere regenerandi, licet modus superet rationem. Et homil. 25. *Quod, inquit, est mater embryoni, hoc est, fidei aqua. Siquidem in aqua fingitur, & formatur. Nam primū dictum est; Producant aquæ reptilia animæ viuens: ex quo autem Iardani alueum ingressus est Christus, nō amplius reptilia animarum viuens, sed animas rationales & spirituales aqua producit. Vide eundem homilia 35. in Ioannem homilia 1. in acta. homilia ad Neophytos, ubi enumerat decem effectus Baptismi, quos etiā in parulis operatur, & inter tot effectus non venit illi in mentem, ut poneret, Excitare fidem; quem solum agnoscunt aduersarij.*

CYRILLVS ALEXANDRINVS lib. 2. in Ioannem, cap. 42. *Quæ admodum, inquit, viribus ignis intensius aqua calefacit.*

non aliter urit, quam ipse ignis: Sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam. Hæc ille. Vbi vides, sic esse instrumentum Dei aquam in Baptismo, vt est calor in aqua calefacta instrumentum ignis ad calefaciendum.

THEODORETUS in cap. 10. ad Hebr. in illud: *Afferri corda à conscientia mala: In lege, inquit, utebantur aspersioni- bus, & corpus frequenter lauabant; qui autem ex nouo Testamento vitam instituunt, per sanctissimum Baptismum animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam.* Vide eundem Theodoretum in Epitome diuinorum decret. cap. de Baptismo; Damascenum libro 4. de fide, cap. 10. Theophylactum in 3 & 5. cap. Ioannis, & Oecumenium in cap. 10. ad Hebr.

CAPVT SEPTIMUM.

Idem probatur ex Latinis.

AM ex Latinis TERTULLIANVS in lib. de Baptismo: *Prius, inquit, liquor, quo viueret, dedit, id est, aqua produxit animantia, vt in Baptismo mirum non sit, si aquæ animare nouerunt.* Item lib. de resurrectione carnis probat, corpus resurrecturum, quia Sacramenta corpori adhibentur, vt ad animam transeat eorum effectus: *Caro, inquit, abluatur, vt anima emaculetur; caro unguatur, vt anima cõsecratur; caro signatur, vt anima muniat; caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur; caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Vbi enumerat varios effectus Sacramentorum; proinde non putat solum excitare fidem Sacramenta.

CYPRIANVS lib. 2. epist. 2. ad Donatū, scribit, se, antequam baptizaretur, vix potuisse adduci vt crederet, quod à Christianis de Baptismi virtute prædicabatur, quod videlicet repente hominem mutet, peccata abstergat, virtutes infundat sed postea id verum esse experientia sua didicisse, *Difficile, inquit, ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt qui renasci denuo posset, utq̃ in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutarer: Qui possibilis aiebam, est tanta cõuersio?* Et infra: *Sed postquam vnde ge-*

N 5

nita

nitali auxilio superioris cui labe deterfa in exdiatum peccatum ac purum de super se lumen infudit: postquam cœlitus Spiritus haussit, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum, &c. In quibus verbis duo NOTANDA sunt. PRIMO; Si Sacramenta tantū obiectiuè mouerent mentem ad credendū, vt aduersarij dicunt, nō fuisset vlla caussa, cur Cyprianus difficulter crederet effectū Baptismi: non enim est hic effectus magis difficilis, quā sit, quod verbum Dei prædicatū valeat ad excitandā fidem: Nota SECUNDO; Cyprianū dicere, Baptismum repente & perniciousiter operari, & renouare hominem. At hoc non diceret, si crederet, Baptismum mouere mentem solū obiectiuè: nam tunc non repētē, nec ordinariē haberet suum effectum. Aliqui enim ex eodem signo, vt etiam ex iisdem verbis celerius mouentur, aliqui tardius, aliqui nunquam.

Item in lib. 3. epist. 8 ad Fidum, docet, infantes baptizandos, etiam ante octauum diem (nimirum si vitæ periculum immineat) vt peccati remissionē accipiant. Quod idem iubet Syricius Papa in epist. 1. cap. 2. At si Baptisma solū excitat fidem, & prodest infantibus tantū ea ratione, quia cū adoleuerint, recordabuntur, &c. quorsum infantes morituros baptizari vult Cyprianus? Item in epist. 7. lib. 4. ad Magnianum dicit, quomodo venenum scorpionis & serpentis in aqua extinguitur; ita Diabolum obluere, & resistere Exorcistis ante Baptismum; at in Baptismo amittere omnem virtutem. Quæ certē omnia ridicula essent, si tantū obiectiuè Sacramenta operarentur. Vide etiam sermones de Baptismo Christi, de cœna Domini, & de vnctione Chrismatis. Similia habet Gregorius sententius in 1. tract. de Exodo.

LACTANTIUS li. 1. de diuino præmio, ca. 5. *Cū homo celestibus uacro purificatus, exponit infantiam cū omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.* SYLVESTER Papa (vt refert Nicephorus lib. 7. cap. 33. cū Constantinum baptizaret, ita locutus est: *Hæc aqua diuina virtute per inuocationem Trinitatis concepta, sicut extra corpus hominis abluit, ita animum intrā à sorde & inquinamento mundans, splendidiorē radios solaribus efficit.*

AMBROSIVS lib. 2. de pœnit. cap. 2. *Impossibile, inquit, uidebatur, vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse nō credidit: sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse, qui tantā nobis donauit gratiam.*

iam. Vide etiã li. 1. de Sacramentis, cap. 4. & 5. li. 2. cap. 1. & 5. li. 3. cap. 1. & lib. de ijs, qui inicianur mysterijs, cap. 3. & 9. & lib. 9. super Lucam, cap. 3. & lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 11.

HIERONYMVS in epistola. 83. ad Oceanum: *Quantam vim, inquit, habeat Baptisma, et aqua in Christo sanctificata gratiam, paulò post docebo.* Et infra, ubi plurima attulit testimonia & figuras: *Dies, inquit, me deficiet, si cuncta, quæ ad potentiam Baptismi pertinet, de Scripturis sanctis voluero digere.* Vide eundem in Dialogo contra Luciferianos, & lib. 3. contra Pelagianos extremo.

OPTATVS lib. 5. contra Parmenianum, initio: *Baptisma,* inquit, *Christianorum Trinitate confectum, confert gratiam; si repetatur, facit vitæ iacturam.* Hæc ille. Vbi PRIMVM vides, apertè asseri Sacramentum conferre gratiam. DEINDE, quòd hic auctor ait, Baptismum repetitum detrimentum adferre, clare demonstrat, non operari tantum obiectiuè excitando fidem; nam eo modo vtiliter repeteretur. Vide ibidem multa de virtute Sacramentorum.

AUGUSTINVS libro 4. de Baptismo, cap. 22 *Inuenio,* inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionem quæ cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurri non potest.* Hæc ille. Si ergo aliquando martyrium, aliquando fides cum cordis conuersione supplet vicem Baptismi, manifestè sequitur, non iustificare excitando fidem, sed immediatè applicando Christi merita, atque immediatè iustificando. Et ibidem capite 24. probat Sacramentum Baptismi multum paruulis prodesse, etiam si illi careant fide; ex Circumcisione, quæ dabatur octauo die: *Cur ergo, inquit, ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octauo die Circūcideret, qui nondum poterant corde credere, ut ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia, et ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat?* Vbi Augustinus docet, Sacramentum non operari excitando fidem, sed vi sua efficiendo. Idem Augustinus lib. 19. contra Faustū, cap. 11. *Sacramentorum,* inquit, *vis inenarrabiliter valet plurimum, et ided contempta, sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Hæc ille. At si tantum excitarent fidem obiectiuè, nõ modò non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent. Nam de concione nemo
dice

diceret, eam inenarrabiliter plurimum valere, cum sæpius multis concionibus vix aliqui moueantur: & tamen fateatur Lutherus in libro contra Ioannem Cochläum, multo efficaciorum esse concionem Baptismo. Quod verissimum est, si agatur de efficacia prouocandi fidem. Idem Augustinus tract. 80. in Ioan. *Vnde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et infra: *Mundatio nequaquam fluxu & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo.*

LEO Papa in serm. 4. de natali Domini: *Omni homini renascenti aqua Baptismatis, instar est uteri virginis, eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem; ut pectus, quod ibi vacauit sacra conceptio, hic mystica tollat oblutio. Et serm. 5. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte Baptismatis: dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim altissimi, & obrumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, ut MARIA pareret Saluatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem.* Hæc ille.

Auctor homiliæ de Sacramento corporis Domini, quæ habetur inter Eusebij Emisleni homilias, & in 9. tomo S. Hieronymi: Ergo, inquit, *ut ad nutum præcipientis Domini, res ex nihilo substituerunt excelsa cælorum, profunda fluctuant, vassa terrarum: ita parem potentiam in spiritualibus Sacramento in verbis præbet virtus, & reseruit effectus.* Et hinc eodem ex vi Sacramenti Baptismatis, quo repente hominem mutatur, ac renouat quoad animam; probat, non debere videri incredibile, si verba Sacramentalia mutent substantiam panis in carnem Christi: Vbi sine dubio nullum habet locum operatio illa obiectiua ad prouocandam fidem: neque enim in consecratione Eucharistiæ verba illa mutant panem excitando in eo fidem. Similem autem vim ponit hic auctor in consecratione respectu panis, & in Baptismo respectu animæ.

GREGORIUS libro 9. epistol. 39. ad Theodistam Patriam docet, in Baptismo omnia peccata ita verè dimitti, ut in mari rubro verè Ægyptij mortui sunt: *Qui ergo, inquit, dicit, peccata in Baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro, Ægyptios non veraciter mortuos.*

Denique S. BERNARDVS (ut recentiores omittam) in serm. de cœna Domini: *Duo inquit, operatur in nobis Sacramentum Domini corporis, ut videlicet sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino cõsensum.* Si quis ve-

strum

strum non tam sepe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. Hæc ille, cuius verba non possunt trahi ad effectum nutriendæ fidei. Non enim S. Bernardus solùm dicit, per Sacramenta remitti peccata; quod Lutherani fieri volunt, per fidem apprehendentem Christi iustitiam & Dei benevolentiam; sed etiam dicit, vim Sacramenti operari in nobis, ut non consentiamus peccatis, quod per solam fidem nec potest fieri neque aduersarij fieri dicunt.

At hoc argumentum ex Patribus variè respondent hæretici; Philippus in Apologia art. 13. audacter sanè ita loquitur: *Neg. vlla litera ex veteribus scriptoribus proferrè potest, quæ patrocinetur in hac re Scholasticis.*

Lutherus in lib. contra Cochlæum, agnoscit loca Augustini, quæ citauerat Cochlæus, & aliorum Patrum, sed more suo contedit: *Quòd si qui sunt, inquit, ex Patribus, qui senserunt, Sacramenta sua virtute iustificare, esto etiam Augustinus, ut Cochlæus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta, sibi ipsis sepius pugnantium, & plerag. humano sensu extra Scripturas docentium.* Hæc ille. At certè credibilius est, tot sanctos Patres Scripturam intellexisse, quàm vnum Lutherum: quod ipse quoq; cõcederet, nisi eum planè superbiæ spiritus excæcasset.

Calvinus respondet libro 4. Instit. cap. 14. vlt. Patres hyperbolicè loqui: *Fortè inquit, miseros istos Sophistas deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur: quale est illud Augustini quòd veteri legn. Sacramenta Saluatorem tantum promittebant, nostra verò dent salutem. Hæc & similes dicendi figuræ, cum nõ aduerterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.* Hæc ille. At hoc nimis ruinosum est effugium. Nam citati Patres, ut plurimum referunt ad omnipotentiam Dei hos mirabiles effectus: nulla autem est opus omnipotentia, vbi non veri ac proprii, sed hyperbolici sermones sunt. Præterea Patres ipsi aliquando monent, se non loqui hyperbolicè, ut Chrysostomus homilia 4. ad baptizandos, vbi cum dixisset, Baptismo perfectè lauari & mundari animas, monet se non ea dicere ambitionis gratia, id est, amplificandi & eloquentiæ ostendendæ studio. Et Augustinus in epist. 23. circa finè inducit eos qui non credunt, posse fieri, ut paruuli etiam

sine

sine fide actuali per ipsum Sacramentum saluentur, infideles esse. Ex quo intelligimus, cum non hyperbolica encomia, sed dogmata fidei tradere Denique si diceret Calvinus, unum aut alterum ex Patribus Hyperpole usum in oratione laudatoria, posset tolerari. Ad quod omnes Græci & Latini, non modo in concionibus, sed etiam in libris dogmaticis, vel epistolis, vel commentarijs Scripturarum hyperbolicè loquantur, nullo modo credibile est.

Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 98. dicit Scripturam apertè tribuere vim iustificandi Sacramentis: nec esse ea loca per tropos detorquenda in alium sensum, & sic à Patribus esse intellecta, tamen postea exponit omnia de efficientia per excitationem fidei, quod iam refutauimus.

CAPVT OCTAVVM.

Sexta classis ex ratione.

ST autem OBSERVANDVM, vt faciliùs intelligatur efficacia rationũ, duplicia esse verba, & signa cetera. QVAEDAM enim sunt non ad alium finem instituta, quam ad significandum, quæ quædam theoricæ signa dici possunt. ALIA sunt instituta ad significandum, & efficiendum aliquid, quæ ob id practica dici possunt. Differunt autem quod priora nihil immediatè, & vi sua operentur, sed solùm representant obiectum, & si fortè sequitur effectus aliquis, non sequitur ex vi illius signi, sed aliunde; posteriora immediatè operantur, & sua quadam virtute; Verbi gratia, cum quis monet alium, adesse hostem, illi continuò fugit; ceterum illius fugæ non est causa immediatè illa admonitio, sed apprehensio rei noxiæ; proinde admonitio signum fuit prioris generis. Pari ratione, qui viso signo hospitij currit ad hospitium, non mouetur ab eò signo immediatè, sed ab apprehensione rerum quibus indiget, & quibus illud signum representat: proinde illud etiam non est propriè signum practicum, vt hîc accipimus. Nam aliquando solent vocare signa practica omnia illa, quæ referuntur ad opus, siue mediatè, siue immediatè; quomodo accipiebatur in disputatione de intentione ministri: Tunc enim vocabamus practica omnia verba imperatiua: at hîc ista vocamus theoricæ; practica autem dicimus, quæ præter significationem habent

bent efficientiam, quomodo sigillum est verè signum practicum, quia non tantum representat imaginem, sed etiam eam imprimi in cera.

Cognoscuntur autem hæc varia signa ex alio discrimine. Nam verba & signa theórica non adhibentur nisi intelligentibus: cum enim non operentur, nisi representando aliquid menti, stultum esset ea signa adhibere, ubi non est usus mentis. At verba, & signa practica possunt adhiberi etiam rebus inanimis, & non modò non intelligentibus, sed ne sentientibus quidem; quomodo in Scripturis Iosue imperavit soli, & lunæ Ios. 10. *Sol contra Gabaon ne moueari, & luna contra vallem Haiatol*, Matth 8. Dominus imperabat mari, & ventis, Matth 9. Luc. 7. & Ioan. 11. imperavit mortuis. & Petrus Actor. 9. *Tabita*, inquit, *surge*. Matth. 17. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapi, dicetis monti huic, Transi hinc, &c.* Sic etiam quod attinet ad alia signa, Moyses percussit petram, ut daret aquas: Exod. 17. & Dominus misit digitos in auriculam surdi, & muti, & tetigit etiam linguam eius, ut eum curaret.

Controuersia igitur est inter nos, & hæreticos, quòd illi faciunt Sacramèta, signa prioris generis, dum affirmant ea non iustificare, nisi excitado fidem: nos facimus generis posterioris. Quare si ostendere poterimus, Sacramèta esse signa posterioris generis, obtinuumus causam.

Sit ergo PRIMARATIO, Sacramèta rectè adhibentur non intelligentibus; ergo sunt signa posterioris generis, & verè iustificanti non excitando fidem more concionis, sed immediatè efficiendo sanctitatem. Consequentia manifesta est ex dictis. Antecedens probatur, quia baptizantur ritè infantes, surdi, amentes, dormientes. Exemplum in signe est apud Augustinum, lib 4. Confess. cap. 4. de quodam baptizato, dum vi morbi extra se positus esset, & omninò ignoraret, quid erga se fieret: cui tamen Sacramentum utilissimum fuit. ADDE quod Concilium Carthaginense IV. can. 76. Arausicanum I. can. 12. Augustinus, lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 26. & 28. & Leo epist. 91 ad Theodorum, docent Sacramèta Baptismi, & Absolutionis, posse conferri etiam ijs, qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi nò habeant usum rationis, vel sensum: modo constet eos antea desiderasse eiusmodi Sacramèta. At certè istis non nisi ineptissimè fieret concio, aut signa adhiberentur ad excitandam fidem, SICVN.

SECUNDA ratio. Verba & signa Sacramentalia pendent ex diuina institutione, neq; ab hominib⁹ propria auctoritate institui potuerunt: ergo non sunt mera signa, vt verba concionis, sed signa practica, & vim habentia aliquid supernaturale efficiendi. Antecedens conceditur ab aduersariis, vt supra demonstratum. Probatum consequentia; quia si verba & signa Sacramentalia essent nuda signa ad excitandam mentem instituta, potuissent ab hominibus facillimè institui, & eandem vim habuissent. Non enim refert ad nudam significationem quis illa instituerit, modò representent idem obiectum. Quod enim refert, quis posuerit signa in hospitij? & nunquid non eodem modo significant verba Hebraica à Deo scripta in tabulis, & verba Græca, vel Latina scripta ab hominibus? non etiam modo eodem incitabant ad bellum tubæ, quas Deus beati iusserat, Num. 10 & tubæ prophanæ Ethnicorum? Eodem modo, si Petrus aut Paulus, aut quilibet alius instituisse Baptismum, & Eucharistiam, eandem vim haberent illa signa, quàm modò habent. Quod certè non potest dici secundum Catholicorum sententiam, qui volunt hæc Sacramenta non solum significare, sed etiã, efficere id, quod ex se non potuissent.

TERTIA ratio, Sacramenta non solum pendent à Diuina institutione, sed etiam in ipso vsu? ipse enim est, qui per ministros suos baptizat, consecrat, absoluit, &c. ergo non sunt solum signa ad excitandam fidem instituta, vt conciones, sed aliqua præterea efficiunt. Antecedens conceditur ab aduersariis, & probatum est supra in quæstione de causa efficiente Sacramentorum, ex illo Ioan. 1. *Hic est, qui baptizat*, ex Chrysostomo homil 83, in Matthæum, & Augustino, tract. 5 in Ioannem, & ex alijs. Probatum consequentia. Nam vt verba, & signa tera solum significant, & animum excitent, representando nihil refert à quo procedant. Siue enim dominus, siue seruus loquatur, idem semper verba eadem significant; nec magis citat signum tubæ ad bellum, si tuba infletur ab Imperatore, quàm a tubicine. Ergo si signa Sacramentalia necessario pendent à Deo, vt causa principali, quæ per ministros operetur, fateri cogimur, ea non solum significare, sed etiam aliquid efficiere.

QUARTA ratio. Sacramenta non solum pendent à Deo, vt institutore, & principali agente, sed etiam à Christi passione, & morte, vt supra probauimus in principio quæstionis de causa

caussa efficiente Sacramentorum: propter quod Patres communi consensu, docent Sacramenta fluxisse à Christi latere perfosso. Vnde etiam multi veterum docent, Christum baptizati voluisse, vt tactu suæ mundissimæ carnis daret aquis vim mundandi, vt Ambrosius lib. 2. in Lucam, cap. 12. Nazianzenus oratione in sancta lumina, Chrysostomus homil. 25. in Ioan. Beda in cap. 3. Lucæ, & alij, & ipse etiam Lutherus in homiliis de Baptismo idem fatetur. Ergo non operantur Sacramenta solum representando obiectum, more concionis, sed verè efficiendo: nam alioqui nõ eguissent Christi meritis, nec vllam eis virtutem Christus dedisset. Et sicut concio non rectè diceretur manasse ex Christi latere, nec dicitur Christus dedisse vllam virtutem concioni ad significandum, quia id ex se habent verba, ita non rectè diceremus, Sacramenta prodidisse ex Christi latere, vel Christum eis vim vllam dedisse.

QVINTA ratio. Sacramenta instituta sunt, vt nos certos reddant remissionis peccatorum, & gratiæ Dei, ergo non solum operantur obiectiue representando more concionis, sed efficiendo reipsa quod significant. Antecedens admittitur ab omnibus, sed maximè ab aduersariis. Catholici enim docent, ex Sacramentis gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum, non tamen infallibilem. Tamen enim Sacramenta ex se infallibiliter efficacia sunt, tamen potest fieri, vt nobis non sint efficacia ob nostram indispositionem, At aduersarij volunt absolutam certitudinem gigni ex Sacramentis: & nos reprehendunt, quasi iubeamus homines dubitare de efficacia Sacramenti; vt patet ex Luthero, in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, ex Kemnitio in 2. parte Examinis, cap. de intentione ministri; & ex aliis. Probat consequentia; nam si Sacramenta solum operarentur significando, & excitando fidem, nullam adferrent certitudinem. Penderet enim tunc Sacramentum à nostra fide, non à Christi institutione; quod est tollere veram certitudinem efficaciam Sacramenti, vt Lutherus fatetur in lib. contra Anabaptistas, edito anno M. D. XXVIII vbi fuse persequitur, Sacramentum non debere pendere à fide dantis, vel accipientis, sed à sola Dei institutione, ne incerta reddatur eius efficacia.

Nec potest responderi, Sacramenta adferre certitudinem infallibilem, quia infallibiliter excitent fidem; quæ infalli-

O bili-

biliter iustificat: siquidem experimento contrarium didimus. Quot enim sunt, qui baptizantur, & tamen non credunt, & si concio, quæ est efficacior Sacramentis, ipso etiam tempore Lutheri in libro contra Cochleum, non excitat fidem infallibiliter, ut experimur; quantum minus Sacramenta infallibiliter fidem excitabunt? Ergo si ullam certitudinem Sacramenta conferunt, id est, quia ex opere operato efficiunt quod significanc.

SEXTA ratio, Sacramenta contrario modo se habent ad fidem, ac verbum: non igitur eodem modo operantur. Verbum datur antecedens. Nam verbum Dei præcedit fidem, Sacramenta autem sequuntur; siquidem: *Fides ex auditu*, Rom. 10. unde verbum prædicatur infidelibus, & hæreticis quocumque, ut incipiant credere. At Sacramenta requirunt fidem, saltem in adultis, nec possunt rectè conferri, nisi iis, qui præcedunt. Unde Actor. 8. cùm Eunuchus diceret: *Ecce aqua prohibet me baptizari?* respondit Philippus: *Si credideris, tunc accorde, licet.* Et semper in Ecclesia cõsuetudo fuit, ut qui Christiani esse vellent, primùm fierent Catechumeni, & latè instruèrentur, & non nisi instructi, & firmi, ac stabiles in fide baptizarentur. **U**S T I N V S in Apologia ad Antoninum Imperatorem, canens mores Ecclesiæ: *Quicumque, inquit, persuasi fuerint, & crediderint vera esse, quæ à nobis iraduntur, & ad vitam vivere se ita posse receperint; orare ieiunantes, & petere Deum priorum peccatorum remissionem iubentur, nobis cum eis una, & orantibus, & ieiunantibus: deinde adducuntur à nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo regenerati sumus, regenerantur.* Hæc ille. Ex quo sequitur non modò falsam, sed etiam ineptissimam esse hæreticorum sententiam.

SEPTIMA ratio, Sacramenta non minus sunt efficaciter dantur lingua Græca, aut Latina, quam non intelligunt, at, qui Sacramentum suscipit, quam si dantur lingua vulgari, quam omnes intelligant; Ergo non operantur more concionis, sed habent affectum suum præter fidei excitationem. Consequenter patet, quia si operarentur more concionis, nihil efficaciter nisi darentur lingua vulgari. Antecedens probatur, quia Lutherani, & Calvinistæ admittunt nostrum Baptisma, quod semper datur lingua Latina; nõ enim rebaptizant à nobis baptizatos.

OCTAVA ratio, si Sacramenta operarentur excitando fidem, non esset vlla causa cur adhiberentur hominibus doctis, qui legere possunt Scripturas, vel etiam imperitis, qui audiunt conciones: multò enim melius excitat fidem Scriptura, & concio, quam Baptismus, vel Eucharistia. Itaque præstaret loco Bapismi legere vnum caput ex Bibliis. ADDE, quòd etiam imago Bapismi in tabula depicta posset idem facere, quod facit Baptismus; nam facit visibilem promissionem, & excitat fidem: & hoc præstat Baptismo, quod manet semper, cum Baptismus, semel fiat, & transeat.

NONA ratio, Sacramenta non prosunt nisi suscipientibus; etiam si multi alij præsentés sint, & audiant, & videant quæ geruntur: alioqui non esset opus, vt singuli baptizarentur, & communicarent corpori Domini, sed satis esset, vt vnus baptizaretur, & communicaret coram tota multitudine, ergo non operantur more concionis, excitando fidem. Consequentia patet. Nam si operarentur more concionis, prodesse omnibus audientibus: omnes enim excitari possunt ad fidem, qui adsunt, dum pronunciatu'r promissio Dei, & signo visibili ante oculos ponitur. Neque refert, quòd Sacramentum solum dirigi videtur ad vnum. Nam etiam concio potest dirigi ad vnum, & tamen omnes audientes excitaret.

PRÆTEREA dum minister baptizat, ac dicit; Ego te baptizo, non vult dicere, Ego te abluo à peccatis (secundum Lutheranos) sed, Ego testificor tibi remitti peccata; vt Melancthon exponit in locis, cap. de Baptismo, & Calvinus lib. 4. Instir. cap. 15. §. 15. & omnes alij exponere coguntur. Porro hæc testificatio non prodest ei, qui baptizatur, nisi quia interim cogitat, & credit, Deum sibi esse propitium per Christum, vt ipsemet fatentur. Possunt autem omnes, qui adsunt, idem cogitare, & credere: siquidem promissio est communis, & quod vni dicitur, omnibus conuenit. Non enim ided illi, qui baptizatur, Deus est propitius, quia baptizatur (ex Lutheranicorum sententia) sed ided vera est testificatio Baptismi, quia Deus illi est propitius, modò per fidem apprehendat hanc Dei beneuolentiam.

DECIMA ratio, si Sacramenta solum operarentur significando, nihil interesset inter nostra Sacramenta, & Sacramenta veteris legis: nam etiam illa significabant Christi gratiam,

& remissionem peccatorum, & excitare poterant fidem. Idem esse falsum in sequenti quaestione demonstrabimus.

CAPVT NONVM.

Soluntur obiectiones ex Scripturis depromptae

SOLVENDA sunt argumenta Lutheri, Philippi Caluini, Kemnitij, & aliorum: quae quidem partim sumuntur à Scripturis, partim à Patribus, partim à ratione.

Vt igitur à PRIMÀ classe argumentorum incipiamus. PRIMUM argumentum sumitur ex Habacuch 2. & Roman. 1. Hebr. 10. *Iustus ex fide uiuit*, inquit Scriptura non autem cit, iustus ex Sacramentis uiuit; igitur Sacramenta non significant, nisi excitando fidem. Confirmatur ex similibus locis, ut Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi iustitiam*. Et Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam*, & non didit Paulus; Et corpore suscipitur Sacramentum ad iustitiam. Ita Lutherus in Babylone, cap. de Baptismo, & in articulo 1. articuli.

RESPONDEO PRIMÒ, non dicit Scriptura, iustus ex sola fide uiuit, proinde relinquitur suus locus Sacramentis, qui non solum Sacramenta, sed etiam Deus, & Christi meritum, & alia excluderentur, quae neque ipsi Lutherani excludunt: non enim ait Scriptura, iustus ex Deo uiuit, aut Christi merito uiuit.

SECUNDO, etsi his verbis Scriptura non dicit, iustum Sacramentis viuere; tamen idem dicit aliis verbis. Nam ait, hominem per Baptismum regenerari, Ioan. 3. & Tit. 3. quod aliud dicit, nisi Baptismum dare vitam?

TERTIO, verba illa Prophetica: *Iustus ex fide uiuit*; non significant ad literam, iustum hominem fieri, aut reputari ex fide, ut Lutherani volunt; sed significant, iustum ex fide quae habet, constanter expectare, quae Deus promisit, & non deficere, aut deficere, etiam si promissiones tardari videantur. Hoc esse verum sensum non dubitabit, qui expendet locum Habacuch, & Pauli ad Hebraeos, uterque enim tractat de patientia & longanimitate: *Si moram fecerit*, inquit Propheta, &c.

eo Apostolus, *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: Iustus autem ex fide vivet.* Ad Confirmationem respondeo eodem modo: Nam Paulus tribuit iustificationem fidei, sed non soli. Et præterea idem tribuit Scriptura in aliis locis Sacramento, vt Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Actor. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.*

SECUNDVM argumentum ex Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Lutherus locis citatis in primo argumento dupliciter ex hoc testimonio argumentatur. PRIMO, sic: Qui credit, & baptizatur, saluus est, qui non credit, damnatur, etiamsi baptizaretur: Igitur non Baptismus, sed fides saluat. SECUNDO sic; Dominus ait: *Qui non crediderit, cõdemnabitur, & non ait; Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur:* Igitur fides sola saluat, non Baptismus.

Ad PRIMVM respondeo, malam esse consequentiam. Solum enim ex illo antecedente colligi potest, Ergo non solus Baptismus saluat; non autem, Ergo Baptismus non saluat. Alioqui ex eo, quod Paulus dicit, 1. Corinth. 13. Fidem nihil prodesse sine charitate, possemus colligere, Ergo fides nihil prodest. Ad SECUNDVM dico, Dominum non dixisse; *Qui non fuerit baptizatus, condemnabitur;* non quia hoc non sit verissimum, cum idem Dominus dixerit, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei,* sed quia non erat opus hoc dicere, cum per se intelligeretur ex eo, quod dictum erat: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Qui enim non credit, consequenter non vult baptizari, & etiamsi vellet, nihil ei prodesset. At in affirmatione oportuit addere Baptismus fidei quia non omnis, qui credit, baptizatur. Similia sunt argumenta à genere ad speciem. Negatiuè enim valet, Non est animal, igitur nec homo; affirmatiuè non valet, Est animal, igitur est homo.

TERTIVM argumentum sumitur ex Paulo, Rom. 4. sic enim ait Philippus in Apologia, art. 13. *Paulus reclamatur (nimirum contra Scholasticos, docentes Sacramenta ex opere operato iustificare) & negat Abrahamum iustificatum ex Circumcisione, sed Circumcisionem dicit esse signum propositum*

tum ad exercendam fidem nostram. Igitur eodem modo Sacramenta Christiana non iustificant, nisi excitando fidem.

RESPONDEO PRIMO, non dicit Paulus, Circumcisionem fuisse signum propositum, ad exercendam fidem: sed factam Abrahamo ut signaculum iustitiæ fidei: id est, factam hoc privilegium Abrahamo, ut ipse primus haberet Sacramentum Circumcisionis; quia id meruerat eius obedientia, & fides. Fuit enim hoc testimonium iustitiæ fidei ipsius, ut supra monuimus, cap. 17. Itaque hic locus nihil facit ad rem. Non Circumcisio soli Abrahamæ fuit signaculum iustitiæ fidei; & non fuit signaculum excitans fidem, sed testimonium iam antè habitæ.

SECUNDO, non est eadem ratio Circumcisionis, & Baptismi. Nam de Circumcisione Paulus dicit: *Circumcisio non est*, 1. Cor. 7. de Baptismo autem ad Tit. 3. *Saluos nos fecit lauacrum regenerationis*. Sed de hoc postea.

QUARTUM argumentum est Zvinglij, in lib. de vera & falsa religione, qui adfert illud Luc. 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Pharisei, inquit Zvinglius, interceperunt, *solum Deum, non autem Sacramenta posse insufflere*; iuxta illud Isaia 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates*.

RESPONDEO, miram esse hæreticorum cæcitate, qui malunt Phariseis credere, quam Christo. Nam si Pharisei interceperunt: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Christus ibidem paralyticum sanauit, ut ostenderet, se etiam ut hominem posse peccata dimittere: *Ut autem sciatis*, inquit, *quod Filius hominû habet potestatem in terra dimittere peccata* tunc ait paralytico; *Tolle lectum tuum, & c.* Et præterea ostendit Christus, hominibus dixit, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* Nec tamen ob id falsa erunt verba Isaia. Ipse enim loquitur de eo, qui propria auctoritate peccata dimittit, qui sine dubio solus Deus est.

QUINTUM argumentum est Kemnitij, ex cap. 5. ad Eph. ubi Apostolus ait: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo* & c. ubi totam vim Baptismi tribuit Paulus verbo. Verbum autem operatur excitando fidem, nam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, Rom. 10. ADDET etiam Kemnitius illud, 1. Pet. 3. *Vos saluos facit Baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum* per

per resurrectionem Iesu Christi. vbi Baptisma dicitur saluare per resurrectionem, id est, per fidem resurrectionis.

RESPONDEO ad Ephel. 5. per verbum vitæ, non intelligi concionem, cuius effectus est fides, sed formam Sacramenti, id est, verbum consecratorium, & practicum, non concionabile: Ita enim exponunt omnes interpretes, vt supra ostendimus in quæst. de forma Sacramenti. Porro, S. Petrus non dicit, Baptisma saluare per fidem resurrectionis, sed per resurrectionem, id est, vt Bedæ in hunc locum exponit, quia cum baptizamur, repræsentamus Christi resurrectionem, emergendo ex aquis; & quia Baptismus facit iustificando nos, vt in nouitate vitæ ambulemus, quomodo Christus per resurrectionem nouam vitam viuere cœpit, sicut etiam Paulus dicit, Rom. 6. Similis phrasis est Rom. 4. vbi Paulus dicit: *Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* quod idem est, ac si diceret, per Christi passionem morimur peccato, per Christi resurrectionem iustitiæ vita viuere incipimus: vbi sine dubio præpositio, *Per*, non significat causam meritoriam, sed causam exemplarem. Non enim Christus meruit resurgendo, cum fuerit extra viam & statum merendi,

CAPVT DECIMVM.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

PRIMO obiiciunt Augustinum, qui ait, non Sacramentum, sed fidem Sacramenti iustificare. Hanc sententiã sine nomine Augustini, vt prouerbium vulgare, citat Martinus Lutherus in lib. de captiuitate Babylon. cap. de Baptismo, & in assert. artic. 1. sed in lib. contra Cochleum citat nomine Augustini. Quod etiam facit Philippus in Apologia, artic. 13. vbi postquam dixerat, non posse produci vllam literam ex veteribus pro sententia Scholasticorum, addit: *Immo in cant varium ait Augustinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum iustificet.*

RESPONDEO, Augustinum nihil eiusmodi dicere expressis verbis, sed contrarium potius. Nam in epist. 13. ad Bonifacium dicit Augustinus, paruulos esse fideles, & saluari, si moriuntur post Baptismum, quia etiamsi non habent fidem,

O 4

habent.

habent tamen fidei Sacramentum: quod est idem, ac si diceret; Paruulos non saluat fides, sed Sacramentum fidei. Forte se Lutherus collegit eam sententiam ex tract. 80. in Ioannem ubi Augustinus ait, aqua Baptismi mundari cor, id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed iam supra ostendimus in quaestione de forma Sacramenti, illud (quia creditur non significare actum fidei, sed obiectum. Quod si alicubi ueniretur disertis verbis ea sententia, sine dubio exponeret se pro eo solo tempore, quo quis non potest habere Sacramentum: in eiusmodi enim necessitate sufficit fides Sacramenti cum voto eiusdem, ut Augustinus dicit, lib. 4. de Baptismo, cap. 22 sicut etiam è contrario in paruulis, qui non possunt habere fidem actualem, sufficit fidei Sacramentum, ut epist. 23. Augustini iam probauimus.

SECVNDO proferunt illa verba Augustini ex lib. quaestio num veteris & noui Testamenti, q. 59. *Qui Baptismum per carnali ratione consistere, hic non est spiritualis: nec donum caeleste poterit consequi, qui se per aquam non per fidem immutari credit.*

RESPONDEO PRIMO, librum citatum non esse Augustini, sed alicuius haereticus, qui multa docet, & contra fidem contra Augustinum, ut quod mulier non sit creata ad imaginem Dei, quaest. 11. quod Melchisedech fuerit Spiritus sanctus, quaest. 109. & quod Adam non habuerit Spiritum sanctum, quaest. 123.

SECVNDO dico, testimonium allatum non esse contra nos, sed pro nobis. Nam auctor hic loquitur de causa formali, non de efficiente iustificationis, ac dicit hominem immutari, & renouari non per externam lotionem, quasi nihil est Baptismus noster, nisi mundatio carnis, ut olim Baptismus Iudaeorum; sed per fidem, quae cum est perfecta, & uiua, formaliter mundat & iustificat, iuxta illud Petri, Acton. 15. *Fide purificans corda eorum.* Hanc autem fidem, id est, formalem iustificationem hic auctor dicit dari in Baptismo: *Aqua purificat, cernitur, sed qui non uidetur, Spiritus operatur, & uides in ipso sit.* ubi non potest loqui de fide imperfecta, & inchoata, quae secundum nos, disponit ad iustificationem, quae secundum Lutheranos, apprehendit iustificationem, ubi enim praecedere debet Baptismum. Loquitur igitur de fide perfecta.

fecta, quæ infunditur in Baptismo, & quæ iustificat formaliter. Quod idem definiuit Concilium Tridentinum, sess. 6. capite septimo.

TERTIO profert Calvinus, lib. 4. Instit. cap. 14. alium locum Augustini, ex lib. 3. quæst. in Leuiticum, quæst. 84. ubi Augustinus duo dicit. **PRIMO**, ministrum hominem solum præbere Sacramentum visibile, Deum autem præbere inuisibilem gratiam. **SECUNDO**, ita separari hæc duo, ut in quibusdam sit Sacramentum sensibile sine gratia inuisibili, ut in Simone Mago a Philippo baptizato; in quibusdam inuisibilis gratia sine Sacramento visibili, ut in bono latrone.

Ad **PRIMUM** respondeo, duobus modis hominem ministrare Sacramenta. **VNO** modo faciendo, quod potest ex naturali sua virtute. **ALIO** modo applicando Sacramenta ut instrumenta à Deo mota, & eleuata ad actionem supernaturalem faciendam. **PRIMO** modo verè dicimus, hominem non iustificare, sed solùm lauare corpus, aut aliquid huiusmodi; & sic loquitur Augustinus. **ALIO** modo verè dicimus, hominem iustificare, sed non alia actione, quam illa, qua Deus ipse utitur ad iustificandum. Atque ad hunc modum exponendū est, quod ait **S. HIERONYMVS**, in cap. 4. *Isaiæ*, ubi dicit: *Homo aquam præbet, Deus autem Spiritum sanctum.* Ad **SECUNDM** dico, illa posse separari; non quod Sacramentum sensibile non sit causa inuisibilis gratiæ, sed quod possit impediri eius effectus per obicem, vel indispositionem subiecti, & quod possit Deus sine Sacramento etiam dare gratiam suam.

QUARTO solet adferri ex Augustino alius locus ex lib. 15. Trinit. cap. 26. ubi dicit, solum Deum posse dare Spiritum sanctum, & idè Apostolos non dedisse Spiritum sanctum, quibus manus imponebant, sed orasse, ut descenderet.

RESPONDEO, aliud esse dona Spiritus sancti, aliud ipsum Spiritum sanctum. Dona Spiritus sancti dant Sacramenta; ipsum Spiritum sanctum non potest propriè dare, nisi is, à quo ille procedit. Possit etiam dici, Spiritum sanctum ex auctoritate non dari, nisi à Deo, à quo procedit, tamen instrumenta-liter dari etià ab hominibus. Nam Actor. 8. legimus, per manus Apostolorum datum fuisse Spiritum sanctum, quod etiam ibidem fatetur Augustinus.

QUINTO proferunt ex **AVGVSTINO**, lib. 19. contra Faustum

stum, cap. 16. illa verba: *Quid sunt, quæq; corporalia Sacramenta, nisi quædam verba visibilia?* Hinc enim colligunt, Sacramenta non iustificare, nisi more concionis, et picturæ, quæ solum representando agit.

RESPONDEO, Augustinum eo loco assignare vnum Sacramenti effectum, id est, significationem, sed non propterea negare ceteros, quos alibi sæpe posuit. Cur autem eo loco solum de significatione agat; causa fuit, quia disputabat de Sacramentis in genere, id est, de Sacramentis vtriusque Testamenti proinde ponere debuit effectum communem omnibus Sacramentis. Cur autem appellauerit Sacramenta visibilia verba, la fuit causa, quia disputabat contra Manichæos, qui reprehendebant mutationem Sacramentorum veterum in noua ac dixerat necessariò mutanda fuisse verba post Christi aduentum; nam cum veteres dicerent, Christus veniet, mortuus resurget: nos dicere debemus; Venit, mortuus est, resurrexit. Inde collegit etiam Sacramenta mutanda fuisse, ne iam facta significarent. Vt autem similitudo aptissima demonstraret dixit: *Quid sunt Sacramenta* (nimirum quoad significationem) *nisi visibilia verba?*

SEXTO profert Kempitius alium locum Augustini, et lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 25. vbi B. Augustinus reprehendens, qui sentiebant non posse damnari eos, qui Sacramenta percipiunt Baptismi, & cœnæ Domini, licet nec fidem, nec bonam vitam teneant. Isti enim videntur omninò sensisse Sacramenta iustificare ex opere operato, ita vt vi sua iustificarent, non per fidem.

RESPONDEO, Augustinus meritò illos reprehendit, quia non solum credebant, Sacramenta iustificare ex opere operato, sed credebant non posse amitti gratiã, & salutem semel acceptam in Sacramento per quæcunq; peccata postea accedentia; cuius sententia non est nostra, sed potius Martini Lutheri, qui in libro de capt. Babyl. cap. de Baptismo, ait: *Vides quàm diues sit homo Christianus, seu baptizatus, qui etiã volens, non potest perdere salutem suam quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere.*

SEPTIMO solet obiici BERNARDVS, qui in sermone de cœna Domini sic ait: *Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersis sunt tradita Sacramenta.*

RESPONDEO

RESPONDEO, non comparat Bernardus Sacramenta cum libro, baculo, & annulo ratione efficientiæ, sed solum ratione diuersitatis Sacramentorum. Nam alioqui ibidem docet, Sacramenta conferre gratiam, vt supra citauimus.

VLTIMO proferunt Tertullianum, qui in libro de Pœnitentia vocat Baptismum fidei obſignationem: quomodo etiam loquitur Baſilius, lib. 3. in Eunomium, & libro de Spiritu ſancto, cap. 12.

SED ad hæc reſpondimus ſuprà cap. 17. vbi oſtendimus, Baptiſmum vocari ſigillum fidei, nõ quia excitet fidem, ſed quia per Baptiſmum teſtatur is, qui baptizatur, ſe credere, & etiam Eccleſia baptizans dat illi publicum teſtimonium ipſius fidei. Sed quanquam Patres id verè tribuant Baptiſmo, non tamen negant habere etiam alios effectus præſtantes. immò etiam eos aſſerunt, vt ſuprà oſtendi.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones ex ratione depromptæ.

PRIMA ratio eſt Lutheri in Babyl. cap. de Baptiſmo, & Philippi in Apologia, artic. 13. & aliorum. In omni Sacramento requiritur verbum promiſſionis: vbi eſt promiſſio, ibi neceſſariò exigitur fides, quæ promiſſionem accipiat, ergo fides eſt, quæ immediatè operatur, & iuſtificat. Confirmat Lutherus, quia multi per fidem ſaluantur ſine Sacramento, vt qui non habent à quo baptizentur, & contra qui Sacramentum habent ſine fide, damnantur. Igitur in Sacramento fides eſt, quæ iuſtificat, non Sacramentum.

RESPONDEO, tribus modis peccare hoc argumentum, quod tamen eſt cõmuniffimum apud aduerſarios. PRIMVM enim, verbum promiſſionis requiritur quidem in inſtitutione Sacramenti, at non requiritur in ipſo vſu Sacramenti: id quod patet. Nam qui baptizant, non dicunt: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, quæ eſt promiſſio, ſed dicunt; *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Et qui conſecrant Euchariſtiam, non dicunt: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sed: *Hoc eſt corpus meum.* Et qui abſoluunt, non dicunt: *Quorum remiſeritis peccata*, ſed; *Ego abſoluo te.* Porro hîc agimus de vſu Sacramenti, non de inſtitutione.

ne: agimus enim de effectu Sacramenti; operatur autem Sacramentum, dum eo utimur. Quare argumentum non est ad propositum, & falsum assumit. **SECVNDO**, etiam si in vultu quireretur semper promissio, & consequenter fides, non in posset concludi, fidem esse, quæ immediatè iustificat: dicemus enim, fidem requiri vt conditionem, & vt quæ applicetur homini Sacramentum. Sicut autem medico offerente pharmacum, & promittente sanitatem, requiritur in ægroto fides, quæ accipiat seridè illam promissionem, & medico assentiens non tamen est ea fides, quæ sanat ægroto, sed pharmacum licet sine fide pharmacum acceptum non fuisset: ita quoque, **TERTIO**, etiam si & promissio quireretur, & fides in Sacramento iustificaret: non tamen inde concludi posset, quod concludunt, solam fidem agere, Sacramentum autem nihil efficere: sed concluderetur, vtrumque esse necessarium, & vnum sine altero non sufficere.

Ad confirmationem **RESPONDEO**, fidem, & Sacramentum paria in hac re videri posse. Nam sicut in necessitate iniculo potest saluari aliquis sine Sacramento in re, modo habet at votum eius, & fidem, ac pœnitentiã: ita è contrario saluatur paruuli sine fide actuali per solum Sacramentum. Et sic in adultis, qui habet Sacramentum, & non vult credere, damnatur; ita qui habet fidem, & non vult Sacramentum percipere, damnatur, Ex quo intelligimus vtrumque requiri, cum haberi potest, & vtrumque iustificare, sed diuerso modo. Neque Sacramentum actiue iustificat, vt instrumentum Dei, fides & pœnitentia iustificat, vt dispositiones, & secundum aliquam vt causã meritoria de congruo. Neque est eadem gratia (vt supra diximus) quæ datur vi Sacramenti, & quæ datur sine Sacramento ob dispositionem, vel meritum de congruo fidei & pœnitentiã.

SECVNDA ratio est Zvinglij in libro de vera & falsa religione, cap. de Sacramentis. Solus Deus nouit corda hominum, igitur solus ipse potest ea mundare: non erga Sacramenta iustificat. Confirmatur **PRIMO**, quia si Sacramenta opere operato iustificarent, Deus esset obligatus Sacramentum percipit.

RESPONDEO, argumentum probat, Sacramenta non esse causã

causas principales; non autem non esse instrumentales. Non enim est necesse ut Sacramentum nouerit cor, vel conscientia, sed satis est, si Deus nouerit, qui per Sacramentum operatur.

Ad confirmationem dico, Deum non esse alligatum Sacramentis, sed contra Sacramenta esse alligata Deo; nam Deus potest sine Sacramentis iustificare, Sacramenta sine Deo non possunt. Quod autem Deus non possit non iustificare eum, qui accipit fideliter Sacramenta non ideo fit, quia sit alligatus Sacramentis, sed quia est alligatus (si sic loqui licet) ueritati suae. non enim potest non esse fidelis in promissis suis. **A D D E**, quod haec omnia argumenta, si quid concluderent, concluderent etiam, Christi sanguine, vel fide in Christum, non posse homines iustificari. Nam Christi sanguis non scrutatur corda, nec penetrat ad animam magis, quam Sacramenta: & sicut absurdum videtur aduersariis Deum alligari aliquo modo Sacramentis, ita absurdum uideri debet alligari Christi sanguini, aut nostrae fidei. Et tamen aduersarij nihil sapius docent, quam nos Christi sanguine, & fide in ipsum iustificari.

TERTIA ratio Caluini, lib. 4. Instit. cap. 14 §. 14. Qui dicunt, Sacramenta iustificare, abstrahunt homines à Deo, & faciunt ut in spectaculo rei corporeae acquiescant, non in ipso Deo.

RESPONDEO PRIMO, si argumentum aliquid valeret, probaret non debuisse Deum in Testamento veteri proponere serpentem æneum, quem qui aspicerent sanarentur; immo nec debuisse Deum incarnari, nec in spectaculo rei corporeae homines acquiescerent.

SECUNDO respondeo, contrarium sequi ex nostra doctrina. Nam cum dicamus Sacramenta ex se non habere virtutem, sed Deum esse, qui per illa operatur, hoc ipso trahimus homines ad Deum; quomodo qui à Christo curabantur, vel per tactum fimbriae, vel etiam per sputum, & lutum non acquiescebant in fimbria, & sputo, ac luto, sed agnoscebant, & laudabant Christi uirtutem.

QUARTA ratio est Kemnitij loco citato in 2. parte Examinis, cap. de efficacia Sacramenti; Eodem modo iustificat uerbum Dei, & Sacramenta; sed uerbum iustificat solum excitando fidem, igitur & Sacramenta solum iustificat excitando fidem, Maiorem propositionem probat. **PRIMO**, quia
Scriptura

Scriptura sicut dicit Sacramenta iustificare, sic etiam dicit verbum iustificare, Rom. 1. *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* SECUNDO probat, quia in iustificatione per Sacramenta concurrunt duæ quasi manus; una est offerentis gratiam, altera est hominis illam accipientis, manus Dei est verbum, & Sacramentum; manus hominis est fides. Ergo nec verbum, nec Sacramentum quidquam prodest nisi fide accipiatur, & si quid prodest, idem prodest, quia fide accipitur. Hebr. 4. *Non proficit illis sermo auditus, non ad fructum fidei.*

RESPONDEO, falsum esse, verbum, & Sacramentum eodem modo iustificare; immo, ut supra diximus, ita dicitur modo iustificari, ut videtur, id est, verbum præcedat fidem, & Sacramentum, sequatur fidem.

Ad PRIMAM probationem respondeo PRIMO, per Euangelium eo loco intelligi posse non concionem, sed mysteria Euangelij, ut incarnationem, passionem, Sacramenta, &c. SECUNDO, si accipiatur Euangelium pro concione, dico idem explicari, quomodo Euangelium saluet. Nam subiungit apostolus: *Iustitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in peccatis.* At nusquam Scriptura ita exposuit modum saluandi Sacramentorum. TERTIO dico, Scripturam, & verbo, & Sacramento tribuere vim iustificandi, sed nusquam dicere eodem modo iustificare; neque licet ex eo quod legimus, verbum, & Sacramentum iustificare, continuo colligere, ergo eodem modo iustificari: Alioqui liceret etiam concludere eodem modo iustificare verbum, quo iustificat Deus, vel fides, vel Christi passio, hæc enim omnia dicuntur in Scripturis iustificare: & si hoc non admitteret Kemnitius, ista eodem modo iustificari non possent.

Ad SECUNDAM respondeo, verbum, & Sacramentum eodem modo posse manum Dei, per quam ad nos venit gratia, & iustificari, sed non eodem modo. Manus enim multa officia habere potest; nam & porrigit aliquid, & etiam operatur. Porro verbum dici potest manus, quia offert salutem, non autem operatur ipsa operetur, vel applicet: contra verò Sacramentum dicitur manus, quia applicat re ipsa Christi meritum, & operatur gratiam. Cuius differentia signum evidens est, quod verbum non prædicatur, nisi intelligentibus, nec prodest, nisi intelligatur, & credatur: at Sacramentum exhibetur, & prodest, & credatur, & non intelligatur.

dest etiam non intelligentibus, vt infantibus, & amentibus. Pari ratione fides dici potest manus nostra, non, vt vult Kementius, quia apprehendat promissionem, & ipsa sola hoc modo iustificet; sed quia remouet obstacula, & disponit animam, vbi est necessaria talis dispositio. Alioquin non solum non prodesset Baptismus infantibus, & amentibus, sed nec adultis, & sanis, si in ipso momento Baptismi paululum distraherentur animo; tunc enim fides non apprehendit promissiones.

Argumentum **P O S T R E M V M** Zvinglij est: Fieri non potest, vt Sacramenta, quæ sunt res crassæ & materiales, ad animam penetrent; igitur non purgant sordes peccati, quæ in anima resident.

Confirmari potest hoc argumentum. **P R I M O**; Quia si vlllo modo Sacramenta possent operari in animam, id fieri deberet per actionem, quam habent in corpora, vt Augustinus dicit de aqua, quæ corpus tangit, & cor abluit: at sæpe Sacramenta ne ipsum quidem corpus attingunt. Nam cum quis absoluitur, non est necesse, vt sonus verborum, aut manus sacerdotis pertingat ad pœnitentem. Pari ratione Matrimonium potest fieri solis nutibus, vel inter absentes. Denique non est necesse, vt verba consecrationis realiter panem consecrandum attingant: possunt enim ea verba dici tam submissè, & in tanta distantia, vt aër motus non perueniat ad panem. Denique de iplo Baptismo idem probari potest; nam virtus debet esse in verbis.

S E C V N D O; Iustificatio est opus nobilius, & difficilius, quam sit creatio mundi, vt Augustinus docet tract. 72 in Ioan. Et patet, quia in iustificatione requiritur creatio gratiæ, quæ est res quædam diuina, & supernaturalis: at nulla creatura potest esse instrumentum creationis, vt S. Thomas docet, 1. part. quæst. 45. artic. 5.

T E R T I O; Iustificatio fit in momento: Sacramenta in momento operari non possunt; ergo non possunt iustificare. Probat Minor. Nam non potest operari aliqua causa, nisi quando est: actio autem Sacramentalis, cum sit successiua, in instanti esse non potest. Explico: res successiua non habent esse, nisi dum fiunt, consistunt enim in quodam fluxu. Quare non est assignare vllum instans, in quo sit res successiua, vel

etiam

etiam vlla pars eius: sed tantum est assignare instans in quod quiddam indiuisibile continuatum rei successiuæ, quod quidem continuatum non est res successiuæ, nec pars eius: res enim successiuæ essentialiter requirunt extensionem quandam. Igitur intelligi nequit rem successiuam agere, nisi successiuè, & proinde in tempore, cum ipsam nullo instanti & non possit id quod non est, vel quando non est, agere.

QVARTO; Vel est in Sacramento aliqua virtus superaddita diuinitus, vel non. Si non est, ergo non possunt attrahere effectum supernaturalem: est enim intelligibile, quod aliquid res maneat profus, sicut antea erat, & nihil accipiat, & tamen possit facere, quod antea non poterat. Si est, vel est virtus corporalis, vel spiritualis. Si corporalis, non poterit efficere rem spiritualem, neque agere in rem spiritualem, proinde nihil proderit; nam ideo virtus superaddita requiritur, quia Sacramentum non potest agere in animam, quæ est spiritus, potest producere gratiam, quæ est spiritualis. Si autem virtus spiritualis est; non igitur poterit esse in Sacramento corporali. Non enim accidens spirituale, & indiuisibile in subiecto corporali, & extenso recipi potest; omne enim quod recipitur per modum recipientis recipitur.

Præterea QVINTO; Ista virtus vel esset tota in quibuslibet parte Sacramenti, vel pars eius in vna parte Sacramenti, & pars in altera. Non primum, quia tunc sequeretur illam non potest esse a subiecto in esse, nec propriè inhærere; quare esset substantia, non accidens. Item etiam prolato quouis verbo, tunc produceretur effectus, quod nemo concedit. Non etiam secundum, quia tunc esset corporea, & præterea prolato primo verbo periret pars virtutis, prolato secundo periret alia pars: & sic virtus illa, vel tota, vel maxima ex parte periret, præterquam effectus inciperet produci. Quare superuacanea est illa virtus in partibus Sacramenti præcedentibus effectum.

SEXTO; Vel ista virtus est in verbis tantum, aut in elemento tantum, aut in utroque. Si in verbis tantum, quomodo Eucharistia sumpta iustificat? Si in elemento tantum, quomodo modo verba consecrationis Eucharistiæ operantur? Si in utroque, vel erit eadem virtus, & hoc non potest esse, cum non possit vnum accidens esse in duobus subiectis: vel erunt duæ virtutes, & tunc erunt in vno Sacramento duæ virtutes, quod videtur

videtur absurdum. Si dicas, Erunt duo partiales. Contrā, quia tunc deberent concurrere simul ad opus; at aliquando accidit, ut vna pars Sacramenti longo tempore adhibeatur post aliam, ut cum vnus hodiē confitetur, & cras absoluitur.

DENIQVE intelligibile est (vt Kemnitius dicit) quid sit ista virtus, quando adueniat, quando desinat esse, &c.

At hæc argumenta posset tripliciter responderi. PRIMO posset, si quis vellet, confiteri ignorantiam circa huiusmodi nodos; & tamen satisfacere hæreticis, immò etiam ora illorum obstruere. Nam tenemur quidem rationem reddere eius, quæ in nobis est spei, 1. Petri 3. sed id facere tenemur ex principijs fidei, non ex Metaphysica. Nam S. AVGVSTINVS lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 4. Ego, inquit, loquens de argumentis cōtra modum translationis peccati originalis, *etiamsi istorum argumenta soluere non valeam, video tamen inherendum esse diuini literæ, &c.* Et in epist. 29. ad Hieronymum, dicit se, cū interrogatur quomodo peccatum Adæ propageretur in posteros, respondere solitum: *Hoc ut alia multa, me ignorare confiteor.* Et tamen non propterea deerat defensionem fidei, immò acerrimè eam propugnabat, ostendens credendum esse peccatum originale propagari in posteros, licet modum ignoremus, quia id Scriptura docet, & traditio, atque vsus Ecclesiæ.

SECUNDO posset quis respondere, Sacramenta esse veras causas iustificationis, sed Morales, non Physicas: quomodo vera causa est homicidij, qui illud fieri iubet, licet ipse hominem, qui occiditur, non attingat. SED quanquam hæc responsio salua fide defendi potest, quam tuentur ex recentioribus Ledesmius in 4. distinct. 1. quæst. 3. artic. 1. & Canus in relectione de Sacramentis; & idem sensisse videntur antiqui Scholastici multi, vt Bonauentura, Scotus, Durandus, Richardus, Okam, Marsilius, Gabriel, in 4. distinct. 1. vel 2. qui docent, Sacramenta verè iustificare, & tamen volunt solum Deum producere gratiam ad præsentiam Sacramentorum, ita vt non sint Sacramenta causæ Physicæ, nisi, sine quibus non fieret effectus: tamen puto longè probabiliorem, & tutiorem sententiam, quæ dat Sacramentis veram efficientiam; quia Patres passim docent, Sacramenta non agere, nisi prius

à Deo virtutem, seu benedictionem, seu sanctificationem accipiant; & referunt effectum Sacramenti ad omnipotentem Deum; & conferunt cum veris causis efficientibus, ut supra dimus. **SECUNDO**, quia non esset differentia inter modum agendi Sacramentorum, & signorum magicorum. **TERCIO**, quia tunc non esset homo Dei minister in ipsa actione Sacramentali, sed homo præberet signum actione sua. Deus alia actione, viso eo signo infunderet gratiam, ut vnus ostendit sygrapham mercatori, & ille dat pecunias. Scripturæ docent, Deum esse, qui baptizat per homines supra ostendimus.

TERCIO igitur responderi potest cum sancto Thoma in parte quæst. 62. art. 4 quod Sacramenta sint causæ efficiæ etiam Physicæ, sed instrumentales; virtus autem diuinitatis non sit aliqua noua qualitas inhærens spiritualis, vel corporalis, sed sit solum motus, siue vsus Dei. Per hoc enim quod Deus vtitur hac actione Sacramentali ad gratiam producendam, eleuat eam, & facit eam attingere effectum supernaturalem, quem non posset attingere, si à quocunque alio ueretur.

Ad cuius rei intelligentiam notanda sunt quatuor. **PRIMUM** est, multum interesse inter instrumenta quibus vtitur Deus, & quibus vtiuntur homines. Sunt autem quinque differentia. **PRIMA** est, quod homo eget duplici applicatione, qua se applicet instrumento, ut accipiendo securim in manu altera, qua applicet instrumentum operi; prior motio est in ipso homine; posterior est in instrumento. Deus autem non eget priori applicatione; est enim immutabilis, & præsemitur omnibus rebus, proinde etiam applicatus. Quare motus illa, qua Deus mouet Sacramenta, est sola applicatio Sacramenti ad opus, & est in ipso Sacramento, non in Deo.

SECUNDA est, quod homo eget instrumento naturali apto ad illud opus; non enim posset homo secare lignum ferro, nisi illa ferrea, & acuta esset. Deus autem non indiget aptitudine instrumenti: non enim ipse iuuatur instrumentis, cum possit se solo omnia facere, sed vtitur instrumento, quod placet illi, vel honorare creaturam, vel certè in eo potentiam suam ostendere; ut si quis de industria scribere vellet calamus parum idoneo. Ex quo sequitur non esse necessarium, ponere

in Sacramentis aliquam inherentem qualitatem, quæ illud formaliter perficiat, sed satis est, si Deus Sacramento uti velit: non enim ipse indiget instrumento apto.

TERTIA est, quod quando homo vitur instrumento, necesse est, ut præter motionem ipsius hominis, qua instrumentum mouetur, ipsum etiam instrumentum per naturalē suam virtutem concurrat, & operetur id, quod sibi proprium est. Verbi gratia, cum vitur faber securi ad faciendā cathedram, non satis est moueri securim artificiosè, sed necesse etiam est, ut securis sciadat: & cum vitur natura calore ad nutritionem, requiritur ut calor calefaciat, quod est sibi proprium; mediante enim illa actione, natura vitur calore ad conuertendum cibum in carnem. At cum Deus vitur aliquo instrumento, non est necesse, ut instrumentum per naturalem suam virtutem aliquid operetur in subiecto, & si forte operatur, illa operatio non est causa effectus diuini, ut talis operatio, sed solum, ut res, quam Deus ad hoc faciendum adhibere voluit. Hinc videmus in vsu multorum Sacramentorū non reperi vllam actionem propriam, & naturalem eorum, ut patet de Absolutione, de Matrimonio, de consecratione Eucharistiæ. In alijs reperitur actio propria, ut lotio, aut vinctio; sed ut dixi, illa quatenus naturalis actio, non est causa, sed ut res quædam. Ex quo sequitur, ut motio, seu vsus Dei in Sacramentis non solum sit virtus agentis instrumento impressa, sed sit tota virtus, & oratio, per quam agunt. Id enim, quod est in securi acies, & vis agētis illi impressa, id totum est in Sacramentis sola inōtio Dei.

QUARTA differentia sequitur ex his duabus, quod homo non potest uti qualibet re pro instrumento sui operis: Deus autem potest; & reuera vitur rebus diuersissimis ad rem eandem producendam.

QUINTA differentia sequitur etiam ex præcedentibus, quod homo non potest uti instrumento, nisi quod tãgat rem, in qua est producendus effectus. Quia instrumentum debet operari circa subiectum suam propriam & corporalem actionem: actio autem corporalis non fit sine contactu. Deus autem potest etiam per id, quod est in vno loco, agere in aliam rem ab eo loco remotissimam, quandoquidem non eget operatione propria illius rei.

SECUNDO notandum est, omnes concedere posse Deum uti quibuslibet instrumentis, quantumvis ineptis, modo tamen illa instrumenta prius ipse faciat apta. At certè id non est necesse, sed potest Deus instrumento inepto, manente inepto efficere quidquid voluerit, quomodo potest optimus scriba calamo inepto ita dextrè uti, ut per eum rectissimè formetur litera. Exemplum habemus Ioan. 5. ubi Angelo descendente, & mouente aquam, per eam aquam ita motam curabatur omnes languores. Fuisse autem hanc figuram Baptismi præ docuimus. Quare Patres imitati hunc modum loquendi, sæpe dicunt, Sacramenta non operari, nisi prius in ea descendat Spiritus sanctus. Vide Tertullianum in libro de Baptismo, Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. & Chrysostomum in cap. 5. Ioan. & ibidem Theophylactum, & Theophilum Alexandrinum lib. 1. Paschali. Pari ratione cum Deus voluit mundum conuertere per Euangelij prædicationem, poterat eligere homines eloquentes, aut certè homines rudes continuè eloquentissimos reddere: sed noluit hoc modo uti, sed eligit homines rudes, & qui simpliciter impolitè, & inornatè loquerentur, & per eos mundum conuertit.

TERTIO notandum est, virtutem Sacramentalem aliquando esse in elemento, aliquando in verbo, aliquando in utroque. Nam actio Sacramentalis propriè est actio ministri dantis Sacramentum, non actio suscipientis; susceptio enim est opus nostrum, Sacramentum autem non est opus nostrum sed Dei. Itaque actio ministri est illa qua Deus utitur tanquam instrumento ad iustificandum. Quando ergo minister utitur rebus, & verbis, ut in Baptismo, Confirmatione, & Vinctura extrema; tunc etiam Deus utitur rebus, & verbis, & proinde virtus Dei est in utrisque: & oportet illa duo simul concurrere, alioqui nihil fieret. At cum minister non utitur, nisi verba materia autem Sacramenti se tenet ex parte suscipientis, tunc certè non adhibetur à ministro ad agendum; tunc virtus non est nisi in verbis. Ita fit in Sacramento Absolutionis, & Matrimonij, & in consecratione Eucharistiæ; non enim adhibet minister peccata pœnitentis ad eum absoluendum, nec panem ad aliquid consecrandum, sed verba ad consecrandum. Et hinc est quod non repugnat Sacramento Pœnitentiæ.

riæ, vt vno die dicantur peccata, & alio die absoluantur pœnitens; virtus enim operatiua non est in peccatis, sed in sola absolutione. In consecratione tamen Eucharistiæ requiritur præsentia panis, non quòd in pane sit virtus operatiua, sed quia nisi esset panis præsens, non esset materia, in qua ageretur Sacramentum: in Absolutione enim etiam si non sit Confessio, quia iam præterijt, est tamen homo, in quem cadit Absolutio. Denique aliquando minister vtitur solo elemento, vt cùm porrigit Eucharistiam, & tunc virtus est in solo elemento.

QUARTO notandum est, gratiam iustificantem non propriè creari, nec tamen educi de potentia naturali animæ, sed educi de potentia obedientiali, seu capacitate naturali: proinde sanctum Thomam non pugnare secum, cùm dicit, nõ posse creaturam instrumentaliter concurrere ad creationem, & tamen Sacramenta concurrere ad productionem gratiæ in anima. Explico; illud dicitur propriè creari, quod fit independentè à subiecto; illud contra dicitur educi, quod dependet à subiecto, in fieri, in esse, & operari. Itaque anima rationalis verè creatur, licet fiat in corpore, quia non pendet à corpore necessariò, vt patet, quia separata esse, & operari potest, & prius natura est in seipsa subsistens, quàm corpori infundatur. At gratia est qualitas quædam spiritualis, quæ pendet omnibus modis à subiecto, vt patet, quare educitur. Sed non educitur de potentia naturali, quia non est in homine talis potentia; alioqui gratia esset res naturalis: vbi enim est potentia naturalis, ibi est actus naturalis. Neque obstat, quod gratia non possit fieri nisi à Deo: nam etiam anima non potest creari nisi à Deo, & tamen est res naturalis, quia materia est in potentia naturali ad animam. Itaque gratia non dat esse naturale, sed supernaturale homini. Est tamen in homine capacitas naturalis ad gratiam: naturaliter enim conuenit homini posse recipere gratiam, vt Augustinus docet de prædestinatione Sanctorum, cap. 5. & potest ea capacitas dici etiam potentia obedientialis, quia licet non sit talis, vt naturaliter possit concurrere etiam passiuè ad productionem gratiæ, (tunc enim esset potentia naturalis) tamen est talis, vt ex ea possit fieri quidquid Deus voluerit, & hæc dicitur potentia obedientialis.

Neque repugnat hæc eductio gratiæ de potentia obedientiali ei, quod dicunt Theologi, & ipsum Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 7. gratiam infundi: infusio enim opponitur acquisitioni, non eductioni. Sic enim distinguitur scientia infusa, & acquisita, non quod non utraque educatur a potentia intellectus, sed quod una acquiratur proprio labore, altera a solo Deo sine labore donetur. Et si recte dicitur infusa scientia rerum naturalium, quam Deus donavit Adamo, & Salomoni sine labore ipsorum, licet educta fuerit de potentia naturali: quanto rectius dicitur gratia infundi, quæ a solo Deo datur, & non respondet ei potentia naturalis.

Ex his ad argumentum Zwinglij **RESPONDEO**, negat consequentiam. Nam res corporea, & crassa potest agere animam non ex natura sua, sed ex virtute Dei. **AVGVSTINVS** tract. 18. in Ioannem, non timuit dicere: *Aqua corpus tangit & cor abluunt.* Et ignis verus, & corporeus, animas, & demones tenere, & cruciare potest: immo etiam experimur corporis affectionibus, miro modo affici animos nostros, qui spiritus sunt. Et quomodo hæc ipsa nostra corpora animas retinent tanquam in carcere? nec enim potest anima cum voluerit a corpore recedere, & tamen corpus, corpus est, anima spiritus est.

At **PRIMAM** confirmationem iam responsum est, negare egerit contactu id quod non agit per actionem suam propriam & naturalem.

Ad **SECUNDAM** dico **PRIMO**, locum Augustini non esse ad rem. Nam Augustinus cum dicit, minus esse iustificare impium, quam creare cælum & terram, non vult dicere, esse difficilius infundere gratiæ habitum in anima, quam creare cælum, sed vult dicere (ut ipse ibidem se explicat) esse opus maioris misericordiæ iustificare impium, quam creare cælum, & terram, etiam esse opus nobilius, quia cælum, & terra transibunt, sed electorum non transibit. Idcirco ibidem dicit, fideles cooperari Deo in iustificatione sua, proinde fideles concurrere ad opus maius, quam sit creare cælum, & terram. **SECUNDO**, non est improbable posse creaturam concurrere, ut merum instrumentum Dei ad veram creationem. Sanctus autem Thomas loco notato id negat de creatura, quæ concurrat dispo-

nendo subiectum per propriam actionem. TERTIO, iam ostendi gratiam proprie non creari.

Ad TERTIAM confirmationem posset dici, non dari ultimum vlllo modo intrinsecum in successiuis: & ideo iustificationem fieri in vltima parte sensibili, non in vltima simpliciter, quæ nulla est. VEL dicendum, iustificationem fieri in instanti illo, in quo finitur actio Sacramentalis. Tamen enim actio desinat negativè, quoad suas partes, id est, per primum non esse, tamen desinat affirmatiuè, id est, per vltimum sui esse, quantum ad terminum suum. Vt enim in linea non potest assignari vltima pars, potest tamen assignari vltimum punctum, quo terminatur linea & ita in tempore & motu. AT (inquitur) tunc non est actio Sacramentalis. Respondeo tunc maximè esse, eo modo, quo res successiua esse potest, Res enim successiua nunquam est per suas partes in re existètes, sed semper habet quiddam indivisibile, quod vel est initium, vel finis, vel continuativum rei successivæ: & per illud dicitur esse; & tunc perfectè dicitur esse, quando illud indivisibile terminat actionem. Id patet in tempore: non enim dicitur esse vna hora, nisi quando finitur. Idem patet in oratione, quæ perfectè significat, cum profertur eius terminus.

Ad QUARTAM iam dixi, virtutem illam esse corporalem, quia est motus rei corporalis, licet dici possit spiritualis, ratione causæ, & effectus.

Ad QUINTAM dico, virtutem illam esse partim in vna parte Sacramenti, partim in alia: proinde paulatim perire, prout pereunt partes Sacramenti. Nec tamen superuacaneæ fuerunt. Nam vltima particula operatur in virtute omnium præcedentium. Sicut etiam oratio perfectè significat, cum profertur vltima vox, quæ tamen nihil efficeret, nisi aliæ præcessissent: & terminus motus acquiritur per vltimum mutatum esse, quod tamen nihil posset, nisi cetera præcurrissent.

Ad SEXTAM iam respondi, virtutem nunc esse in verbis, nunc in elemento, nunc in vtroque, &c.

Ad VLTIMAM dico, rem illis difficilem videri, quia imaginantur spirituales qualitates in re corporali debere constitui: sed qui sentiunt, non esse necessariam eiusmodi qualitatem, nullas in hac re patiuntur angustias.

CAPVT XII.

Explicatur controuersia de differentia Sacramentorum legis nouæ, & veteris.

SEQVITVR ALTERA quæstio de effectu Sacramenti; vtrum videlicet iustificare ex opere operati sit proprium Sacramentis nouæ legis, ac commune cum Sacramentis legis veteris. Quatuor erunt partes huius quæstionis. Exponemus enim PRIMO sententiam hæreticorum. SECUNDO sententiam Catholicorum. TERTIO probabimus veritatem. QUARTO soluemus obiectiones.

Quantum ad PRIMVM, conuenit inter omnes Catholicos, & hæreticos, sex vt minimum esse differentias inter sacramentalis legis nouæ, & veteris. PRIMÆ, quod nunc sint ritus externi, quàm tunc erant, vt notum est. SECUNDÆ, quod nunc sint pauciora Sacramenta, quàm tunc erant. TERTIÆ, quod sint nostra faciliora, vt patet de Circumcisione, & Baptismo, & alijs. QUARTA, quod nostra sint nobiliora *ratione auctoris*, quia nostra ab ipso Christo immediate instituta, & promulgata, Mosaica verò à Mose, si non instituta, certè promulgata sunt. QUINTA, quod illa fuerint figuræ nostrorum, SEXTA, quod illa sint data ad tempus; id est, usque ad aduentum Messie; nostra datura sint, quamdiu mundus durabit. Colliguntur hæc omnia ex Augustino in epist. 118. ad Ianuarium, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 9. & lib. 19. contra Faustum, cap. 13. in Psal. 73.

Quæstio autem est, vtrum præter has differentias *obicit* men sit in effectu principali, qui est iustificare à peccato. Hæretici huius temporis nullum ferè ponunt discrimen, quamquam inter se non satis conueniunt.

Ac PRIMVM Anabaptistæ, Carolstadiani, & Zvingliani, qui (vt supra ostendimus) nihil tribuunt Sacramentis nostris nisi vt discernant fideles ab infidelibus, vel sint quasi professio fidelitatis, vel admoneant bonorum operum; coguntur plus tribuere Sacramentis veteribus, quàm nostris. Melius enim discernit Iudæum à non Iudæo Circumcisio, quæ semper *ma-*

net, & cerni potest, quàm Baptismus, qui semel exhibetur, & transit. Et eadem ratione melius admonet fidelitatis, & bonorum operum Circumcisio, quàm Baptismus, cum illa sit permanens, crassior, & sensibilibior, &c.

Lutherus autem, qui vult Sacramenta nostra excitare fidem, idem tribuit Sacramentis veteribus. Vnde sic ait in libro de Babylonica captiuitate, cap. de Baptismo: *Error est Sacramenta nouæ legi differre à Sacramentis veteri legi, penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significant faciendo, quod figurant, non illa.* Et idem repetit in assertu I. articuli.

Est autem NOTANDVM, Lutherum distinguere duo genera signorum veterum in libro de Babylonica captiuitate cap. de Baptismo. QVAEDAM enim fuisse dicit, quæ haberent annexum verbum promissionis, ac proinde exigent fidem, vt signum iridis datum Noë, signum rotis in vellere Gedeonis, signum in reuersione solis datum ab Isaia Regi Ezechia, & alia. Atque hæc dicit fuisse vera Sacramenta, & æqualia nostris, quoad efficaciam. ALIA verò fuisse dicit, quæ non haberent annexam promissionem, vt omnes illas cæremonias legales, quibus expiabantur homines, vestes, ædes, &c. atque hæc dicit non fuisse propriè Sacramenta, & esse longè inferiora nostris Sacramentis. Vnde in homil. 1. de Baptismo non procul ab initio secundæ partis grauitèr inuehitur in Anabaptistas, qui non plus tribuerunt nostro Baptismo, quàm lotionibus Iudaicis, quasi ipse multum tribuat Baptismo, qui iridem illi æquare non veretur. Porro ex hac distinctione Lutheri colligitur alius error, vel potius paradoxum ipsius, qui non vult esse Sacramenta ea, quæ ab omnibus veteribus dicuntur Sacramenta, vt lotiones Iudaicas, agnum Paschalem, sacrificia, & similia; & contra, ea vult esse Sacramenta, quæ à nullo, ne per somnium quidem, vocata sunt Sacramenta, vt iridem, vellus Gedeonis, vmbra horologii Achaz, & similia.

Iam Calvinus conuenit cum Lutero, quod Sacramenta veteris legis eodem modo iustificarent, quo nostra, nimirum alendo fidem. Nam lib. 4. Institut. cap. 14. §. 24. *Hoc dogma*, inquit, *Scholasticum, quo tam longum discrimen inter veteris, ac nouæ legi Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quàm Dei gratiã adumbrauerint, hæc verò præsentem*

conferant, penitus explodendum est. & similia habet in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 2. Dissentit tamē à Luthero Calvinus in duobus. PRIMO, quod existimat Sacramēta nouæ legis vberiore gratiam dare, quàm vetera, quia nouorum clarius excitant fidem, & proinde maior fides magis iustificat. *Neque tamen negamus*, inquit in Antidoto, loco citato, *quod vberior sub Christi regno percipiatur gratia*. Lutherus autē omnino æquat Sacramēta illa nostris. SECUNDO, Lutherus (vt ostendimus) non omnes cæremōnias Iudaicas sed tantum eas, quæ habent annexas promissiones, vult esse Sacramēta, & nostris æqualia. At Calvinus omnes cæremōnias habet pro Sacramētis, quæ darent gratiam, sed non ita copiosam, vt nostra. Nam libro 4. Instit. cap. 14. & purificationes Iudæorum numerat inter Sacramēta: & pro eisdem prolixius docet. Et licet vterque erret, minus ablutus Calvinus docet, quàm Lutherus.

Kemnitius in Examine Concilij partim Lutherum, partim Calvinum sequitur. Nam pag. 60. & 70. admittit Lutheri distinctionem de duplici genere signorum veterum: pag. 74. admittit cum Caluino vberiore gratiam dari in Sacramētis nouis, quàm in veteribus: cum vtroque autē conuenit in dampnanda Ecclesiæ doctrina. Atque hæc de sententiâ hæreticorum.

CAPVT XIII.

Explicantur sententiæ Catholicorum.

QVANTVM ad SECVNDVM, Catholici omnes conueniunt, Sacramēta veteris legis, quæ promissa sunt Mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato. Idem enim docent omnes Theologi in 4. dist. 1. & idem definiuit Concilium Florentinum in instruct. Armenorum; & Concilium Tridentinum, quamvis breuius, & obscurius, quia non erat necesse, cum iam res esset definita, sess. 7. can. 2.

Est autem hic NOTANDVM, ista Concilia non definiuisse (vt calumniatur & mentitur Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 58. & 59.) veteres Patres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi, aut eam habuisse sine vlllo organo, seu medio applicato.

applicante Christi merita. Concilia enim nihil horum dicunt, sed tantum asserunt, hoc esse discrimen inter Sacramenta legis veteris, & nouæ, quod nostra conferunt gratiam, illa solùm eam significabant. Non est autem consequens, veteres Patres non habuisse gratiam, aut habuisse sine organo applicante Christi merita. Nam etiam si nõ habuerunt eam per Sacramenta, tamen habuerunt per fidem, vt etiam nunc adulti per fidem, & contritionem veram iustificantur, antequam re ipsa ad Sacramentum accedant.

Etiã autem Catholici in hoc principio conueniant inter se, & discrepent ab hæreticis huius temporis: tamẽ sunt etiam apud eos duæ quæstiones, de quibus breuiter dicam, quæ sint opiniones, cum id sit necessarium, partim ad controuersiam propositam explicandam, partim ad refellendas hæreticorum calumnias.

VNA igitur quæstio est de Sacramentis veteribus, Circumcisione excepta, an saltẽ iustificarent ex opere operantis. Duæ sunt autem opiniones. PRIMA Magisteria 4. dist. 1. qui id negat: ait enim, sacramenta illa non iustificasse, etiam si in fide & charitate susceperentur, quia data erant, vt essent oneri, non vt iustificarent. SECUNDA est communis Theologorum, iustificasse omnia illa Sacramenta ex opere operantis, id est, ex fide & deuotione suscipientis: & hæc sententia est verissima. Nam est generaliter vera sententia Apostoli Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur.* Quanquam ista iustificatio non est propriè Sacramentalis, sed est communis omnibus bonis operibus, quæ in charitate fiunt; nec est iustificatio prima, sed secunda. Quod autem Kemnitijs in 2. part. Examinis, pag. 58. vociferatur, hanc sententiam directè, & quasi aduersa fronte pugnare cum Paulo, qui Rom. 4. ex professo docet, Abrahamum non esse iustificatum ex operibus, ex mera imperitia nascitur. Nam Paulus loquitur de operibus, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij, quibus operibus & nos facemur, neminem iustificari. Theologi autem cum dicunt, sacramenta vetera iustificasse ex opere operantis; loquuntur de opere quod oritur ex gratia Dei. Vocant enim opus operantis fidem, charitatem, obedientiam, quæ sunt omnia Dei dona, cum sine speciali Dei auxilio nõ habeantur: de qualibus operibus Pau-

lus

lus Rom. 2. *Factores legi iustificabuntur.* Et Iacobus cap. 1. *Abraham nonne ex operibus iustificatus est.*

ALTERA quæstio est de Circumcisione, quæ non est proprie Sacramentum Mosaicum, sed legis naturæ: unde Ioan. *Circumcisio non est ex Mose, sed ex Patribus.* Porro de Circumcisione duæ sunt opiniones. PRIMA opinio est Alexand. par. 4. quæst. 7. memb. 7. art. 4. Bonaventuræ, Scoti, & Gabrielis, in 4. dist. 1. admittunt, Circumcisionem ex opere operato contulisse iustificationem. Pugnans autem cum hac sententia multa argumenta. PRIMO Scripturæ, quæ cum dicunt Sacramenta vetera fuisse egea elementa, non excludunt Circumcisionem, immò de illa maximè loquuntur, ut postea videbimus. SECUNDO Concilia, Florentinum & Tridentinum, quæ solis Sacramentis nostris tribuunt vim iustificandi. Neque valet, quod quidam dicunt, Concilia ista cum negant, Sacramenta veteris legis iustificasse, loqui tantùm de Sacramentis Mosaicis, id est, à Mose promulgatis, non autem de Circumcisione, quæ erat Sacramentum legis naturæ datum Abraham, non Mosis: hoc, inquam, non valet. Nam Concilia intendunt explicare excellentiam Sacramentum nouæ legis; quæ quidem excellentia non minus obscuratur, si Sacramenta legis naturæ sint nostris æqualia, quàm si id tribuatur Sacramentis legis scriptæ. Præterea cum Deus in lege gradatim procederit, & legem imperfectiorem dederit in statu naturæ, quàm in statu legis scriptæ; & in hoc statu imperfectiorem, quàm in statu Euangelij: idem sine dubio fecit in Sacramentis, proinde si Sacramenta Mosaica non iustificabant, multò minus Sacramenta legis naturæ.

Hic tamen est hoc ANNOTANDUM, hanc sententiã primam non fauere hæreticis huius temporis, licet aliquod Sacramentum antiquum cum nostris æquauerit. Nam hæretici cum paria faciunt Sacramenta vetera nostris, non vetera extollunt, sed nostra deprimunt, ac deiiciunt, hæc autem prima sententia non deiicit nostra, sed extollit antiqua.

SECUNDA sententia est sancti Thomæ 2. par. quæst. 70. art. 4. & discipulorum S. Thomæ, Capreoli, Soti, Ledesmi, & aliorum, in 4. dist. 1. vel 2. qui docent, Circumcisionem vi sua non iustificasse, sed iustificasse tamen, quatenus fidei protestatio erat, & fidem applicabat. Itaque volunt ij auctores, iustifica-

ros fuisse veteres ex merito passionis Christi, vt nos iustificamur, sed hoc meritum nobis applicari per Sacramenta, Hebraeis autem per solam fidem; quæ tamen fides requirebat vt conditionem, sine qua non operabatur, Sacramentum Circumcisionis. Hæc sententia sine dubio probabilior est: sed quia non est nobis propositum, nisi fidem aduersus hæreticos propugnat, his omisissis, ad tertium caput transeamus.

CAPVT XIV.

Probat, nullum Sacramentum legis naturæ, aut scriptæ, iustificasse ex opere operato.

NUNC probanda est veritas. Probabimus autem, nullum Sacramentum legis naturæ, aut scriptæ iustificasse ex opere operato, siue eo modo, quo iustificant Sacramenta nouæ legis, contra omnes hæreticos huius temporis, & aliquo modo etiam contra eos, qui Circumcisioni tribuunt iustificationem ex opere operato.

AC PRIMVM quidem argumentum sumitur ex diuinis literis: nam & Prophetæ, & Apostoli miro consensu docent, Sacramenta vetera non iustificasse, cum de nostris contrarium asserant.

PRIMVS locus ex Prophetis, Psal. 39. *Sacrificium et oblationem noluit, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti.* Vbi Scriptura nõ negat Deum velle sacrificia, cum ipse ea fieri iusserit, sed negat ea velle ad expiandum peccatum. SECUNDVS locus Psal. 50. *Si voluisses, sacrificium (nimirum ad peccatum expiandum) dedissem, utiq; holocaustum non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, etc.* Vbi Scriptura opponit sacrificium contritioni; & de vno negat, quod de altero affirmat, quod nõ faceret, si vtrumque concurreret ad iustificationem, neque enim rectè diceretur nunc, Deus non vult Baptismum, sed contritionem. TERTIVS locus Isai. 1. *Quò mihi multitudo victimarum vestrarum? qui quæsiuit hæc de manibus vestris?* QUARTVS locus Hier. 11. *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Vbi de sacrificio pro peccato loquitur. Et cerè de

rè de Baptismo nõ diceret; Nunquid Baptism^o auferet à te utilitatis? QUINTVS locus Amos 5. *Quod si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium non respiciam.* Porro si sacrificia non iustificabant, multò minus iustificabant aliæ cæremoniæ: nullæ enim cæremoniæ habent clariore promissiones de remissione peccatorum, quàm sacrificia.

Iam ex verbis Apostolorum idem probari potest. PRIMVS locus est Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo est, aut que utilitas Circumcisionis? multũ quidem per omnem modum. Primum quia credita sunt illis eloquia Dei.* vbi illud, *Primum* (ex Caluino & Petro Martyre testibus in commentario) nota ordinis, quasi vellet Paulus multas utilitates Circumcisionis adferre, sed significat potissimum, seu præcipuam, quæ enim adfert alias utilitates. Solùm ergo, auctore Paulo, Iudæi circumcisi præstabant Gentibus incircumcisis, quòd illi habuerint Dei legem, & oracula: non ergo Circumcisio iustificabat. Nam alioqui præstirissent Iudæi Gentibus etiam iustitiam, quod præcipuè Paulus refutare intendit; vnde paulò post subiungit. *Quid ergo præcellimus eos? nequaquam. Causas enim non sumus* (id est, causas attulimus & ostèdimus) *Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Vbi Paulus etiam si dixerat, Iudæos præstare Gentibus ob Circumcisionem, quia fuerant illis credita eloquia Dei: tamen nunc negat, Iudæos præstare Gentibus, quia non præstant, quod attinet ad iustificationem, qua agebatur; omnes enim tam circumcisi, quàm incircumcisi peccatores sunt. Quibus verbis clarissimè docet, Circumcisionem non iustificasse. Non enim vult dicere, nullum fuisse iustum ante Christi aduentum, cum constet, Patriarchas, & Prophetas, & multos Gentiles fuisse iustos, vt Melchisedech, Iob, & alios. Sed vult dicere, non fuisse iustos ex eo, quòd essent circumcisi, vel incircumcisi, sed ex eo, quòd in Christum venturum crederent. Ibidem addit Apostolus: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Quis autem negat Circumcisionem fuisse opus legis? Ibidem! *An Iudæorum inquit, Deus tantum? nõnne & Gentium? immò & Gentium, quoniam vnus est Deus, qui iustificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem;* Quasi dicat, Deus est omnium Deus, quomodo igitur credibile est, cum dedisse remedium cõtra

peccatum solis Iudæis? Possimus nos hinc etiam aliter argumentari: An masculorum Deus tantum: nonne & foeminarum? Quis ergo credat, Deum dedisse remedium, quod solis masculis prodesset?

SECUNDVS locus est Rom. 4. vbi Apostolus ex professo probat, Abrahamum non in Circumcisione, sed in præputio fuisse iustificatum: vt inde admoneat, Circumcisionem non esse datam, vt iustificaret. Si enim is, cui primò data est, non fuit ex ea iustificatus, quanto minus alij ex ea iustificandi erunt.

TERTIVS locus 11. Cor. 7. *Circumcisio nihil est & præputium nihil est.* vbi ita Paulus Circumcisionem vt præputium despicit, cum agitur de iustificatione.

QUARTVS locus est Galat. 3. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruite vultu?* Quorum elementorum nomine intelligit Circumcisionem, de qua præcipue loquitur in ea epistola, & simul etiam alias cæremonias legales: & sanè non dicerentur infirma & egena, si iustificarent. Ibidem dicit, Iudæos tanquam paruulos esse perfectos: quæ sanè differentia non esset vera, si Sacramenta nostra non haberent aliam vim, quam illa Iudæorum.

QUINTVS locus Galat. 6. *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Vbi vidimus opponi nouam creaturam tam Circumcisioni, quam præputio; quod esset ineptum, si Circumcisio efficeret nouam creaturam.

SEXTVS locus Philip. 3. vbi Paulus dicit, se arbitrari detrimentum, iustitiam quæ est ex lege, & hoc aliquoties repetit: quod certè non diceret, si ex vlla legali cæremonia iustificatus fuisset. Vbi ibidem Circumcisionem per contemptum concisionem vocat: *Videte, inquit, concisionem.* Nam (vt exponit Chrysostomus) circumciditur, quod apertè expolitur refectis superfluis; conciditur, quod temerè & præter artem scinditur in frustra. Ibidem Apostolus ait, se non habere fiduciam in carne, & per fiduciam in carne, exponit ipse, fiduciam in Circumcisione, alijsque id genus rebus.

SEPTIMVS locus Coloss. 2. vbi omnia Sacramenta vetera dicuntur vmbra futurorum, corpus autem Christi. Quòd si nostra eandem vim haberent, adhuc essemus in vmbra. Ibidem

dema

dem: *Circūcisi*, inquit, *estis* Circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed Circumcisione Christi consepulti eii in Baptismo. Vbi Paulus Circumcisionē vocat manu factam, & proinde Baptismum non manu factum, quod principalis baptizans est Deus. Item nihil tribuit Circumcisioni, nisi carnem expoliare, & eam Baptismo opponit. NOTANDUM autem est, in textu Græco haberi: *In expoliatione corporis peccatorum carnis*; & proinde coniungendam hanc partem (*In expoliatione*, &c. (cum illa (*Circumcisi estis*) ut cum illa? *Circumcisione manu facta*) ut sensus sit; Circumcisi estis in expoliatione corporis peccatorum, non circumcisi manu facta, sed Circumcisione Christi spirituali consepulti eii in Baptismo. Ex quo textu sumitur idem argumentum, sed alio modo. Nam (ut exponunt Græci, Chryostomus, Theodoretus, Theophylactus) Paulus docet, Circumcisionem Iudaicam fuisse denudationem vnius pelliculæ, non autem Circumcisio est expoliatio totius corporis peccatorum.

OCTAVUS est Heb. 7. *Reprobatio*, inquit Apostolus fit, *procedenti mandati propter infirmitatem & inutilitatem*. Loquitur autem de mandatis caeremonialibus, quorum præcipuum erat de Circumcisione.

NONVS locus Hebr. 9. vbi ceremonias veteres dicit *factas* iustitias carnis, & sanctificasse quidem inquinatos, sed solum ad emundationem carnis.

DECIMVS locus Hebr. 10. vbi dicit, *legem vmbra* habuisse, non ipsam imaginem rerum, nec potuisse accedentes perfectos facere, nec potuisse auferre peccata, & mundare conscientiam: & Deum hostias & oblationes noluisse, nec ei placuisse; quod intelligi debet in ordine ad iustificationem ex opere operato: nam alioqui negari non potest, quin ei placuerint obedientia & deuotione offerentis. Nam vocantur odoratissimus Domino, Leuit. 1.

Sed videamus, quid ad hæc loca aduersarij respondent Lutherus & Lutherani respondent, Scripturas cum negant Sacramenta vetera iustificare, debere intelligi de illis, quæ non habent annexam promissionem.

At loca à nobis adducta, loquuntur expressè de Circumcisione, quam omnes concedunt habuisse annexam promissionem.

tionem. Deinde nullæ ceremoniæ Iudaicæ habuerunt promissionem magis expressam, quam sacrificia & ablutiones. Nam Leuit. 4. 5. & 6. promittitur remissio peccatorum offerenti sacrificium. Et rursus Leuit. 20. 21. & 22. promittitur sanctificatio iis, qui abluuntur aqua, vt lex præcipit: & tamen Apostolus Hebr. 10. disertis verbis dicit, impossibile esse, sacrificiis & ablutionibus Iudaicis remitti peccata.

Kemnitius in Exam. 2. part. pag. 63. post solutionem Lutheri, proponit aliam, quæ est etiam Caluini, lib. 4. Instit. c. 14. §. 23. & 25. & Martyris in cap. 7. 1. ad Cor. quod videlicet Scriptura cum reprehendit tanquam inutilia Sacramenta vetera, non loquatur de illis secundum se, sed vt perperam intelligebatur à Iudæis, id est, de nudis ceremoniis, remota promissione & fide in Christum. Verissimum enim est, Sacramenta illa nihil valuisse accipientibus ea sine fide.

At contra; nam PRIMO, non est quæstio inter nos & hæreticos, an Sacramenta illa ex fide prodesent. Id enim fatemur omnes, & hoc est quod Scholastici dicunt, & illi malè reprehendunt, Sacramenta vetera fuisse vtilia ex opere operatis. Sed quæstio est, an præterea ex diuina institutione fuerint vtilia, vt Sacramenta. Illa enim vtilitas ex opere operantis, nõ est propriè Sacramentorum, sed communis omni bono operi.

SECUNDO, Sacramenta sine promissione & fide nihil prodesse, non tantum conuenit Sacramentis veteribus, sed etiam nouis, vt ipsi aduersarij docent: & tamen Paulus ita distinguit noua à veteribus, vt dicat, nostra saluare, regenerare, mundare, iustificare, Ephes. 5. Tit. 3. 1. Corinth. 1. vetera autem esse elementa egena, nihil valere, & nihil esse, 1. Corinth. 7. Galat. 5. Hebr. 10. & alibi.

TERTIO, Apostolus in his locis dicit, illas ceremonias fuisse inutiles ad iustificandum, vbi dicit, fuisse vmbra & figuras rerum nostrarum, Coloss. 2. 1. Corinth. 10. Hebr. 10. Ergo Apostolus vult, Sacramenta illa fuisse inutilia ad iustificandũ nõ solum vt falsè exponebatur à Iudæis, sed etiã secundum se, & vt erant Sacramenta à Deo instituta. Non enim vt exponebantur perperã à Iudæis, figuræ dici poterant, sed solũ vt erant Sacramenta à Deo instituta. Non enim illis figuræ erant, qui nihil de Christo cogitabant, sed solum illo ritu acquiescebant.

DEINQUE, si Paulus solum dicere vellet, Sacramenta vetera sine

Q

ra sine

ra sine fide nihil prodesse: non conferret cum præputio, ut diceret: *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est.* 1. Cor. 7. & Galat. 6. *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Præputium enim non solum sine fide nihil est, & nihil valet, sed absolutè nihil est, & nihil valet.

Calvinus præter hanc solutionem adhibet alias tres. V. est lib. 4. Instit. cap. 14. §. 22. quod Paulus loquatur de Sacramentis veteribus, non absolutè, sed comparatiuè; ac præfertur Coloss. 2. ubi vocantur umbræ illa Sacramenta. Dicit enim Calvinus, Paulum non voluisse extenuare efficaciam illorum Sacramentorum, sed magnificare efficaciam nostrorum, quod dant vberiore gratiam, quam illa.

At contra, nam si solum differrent nostra à veteribus, quæ nostra darent maiorem gratiam, illa minorem; Paulus non rectè diceret, illa nihil esse, & nihil valere; nec conferret præputio Circumcisionem; neque etiam distingueret illam umbram a corpore. Umbra enim non est corpus minus, sed nullum; nec habet aliud, nisi similitudinem corporis. Immo Hebr. 10. ita extenuat ea Sacramenta, ut dicat, non fuisse imagines, sed umbras. Nam imago habet positivam & realem corporis similitudinem: umbra autem habet similitudinem participativam, & quæ reuera nihil est.

ALTERA solutio Calvini est ibidem, §. 24. quod Paulus loquatur de Sacramentis veteris legis pro eo tempore, quo iam erant per Christum abrogata.

At contra. Nam Rom. 2. Paulus dicit: *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues.* Vbi indicat, se loqui de eo, quod tunc veniebat Circumcisioni, cum adhuc vigeret. Nam post abrogationem non prodest, sed obest, ut idem Paulus dicit, Galat. 5. Vult ergo Paulus dicere, Circumcisionem, quando vigebat fuisse utilem, non quidem quod ipsa iustificaret, sed qua circumcisi habebant legem Dei, & poterant facilius quam alij nobis Dei voluntatem, ut idem Paulus explicat, cap. 3. *Quæ utilitas Circumcisionis? multum per omnem modum, &c.* Idem 1. Corinth. 7. ubi dicit, Circumcisionem nihil esse, loquitur pro tempore, quo vigebat; nam paulò antè dixerat: *Circumcisus vocatus est? non adducat præputium. In præputio vocatus est? non circumcidatur.* Et est sensus; perinde esse, utrum quis ex Iudaismo ad fidem Christi veniat, an ex Gentilismo. Itaque loquitur.

loquitur de illis, qui fuerant circumcisi vigente lege, & postea ad fidem Christi venerant, & illos monet, ne glorientur præter ceteros, ob Circumcisionem olim acceptam, quia nihil est. Præterea Galat. 4. dicit, antiquos Patres sub elementis mundi huius fuisse seruentes. Idem Philip. 3. dicit, se non habere fiduciam in carne, id est, non magnificere (vt ibidem exponit) quod fuerit circumciscus octauo die; ac proinde contemnit Circumcisionem, quam acceperat, cum ea vigeret. Item Coloss. 2. & Hebr. 10. vocat umbras & figuras. Non autem erant umbræ & figuræ, nisi ante abrogationem. Item Hebr. 7. dicit, abrogata illa fuisse ob infirmitatem & inutilitatem. Denique Hebr. 10. ex professo docet, impossibile fuisse, vt sacrificiis & lotionibus illis expiarentur peccata, & propterea Christum venisse, vt perficeret quod illa non poterant.

TERTIA solutio est eiuſdem ibidem, s. 25. vbi dicit, caeremonias legis vocari umbratiles, non quod nihil habeant solidi, sed quia earum complementum vsque ad Christum quodammodo suspensum erat. Addit etiam quod vocantur umbræ, non esse accipiendum de efficacia, sed de modo significandi, quia nimirum significabant res futuras, nostra significant res præteritas.

At contra. PRIMO; ista solutio planè destruit textum. Nam Paulus non solum umbratiles facit eas caeremonias, sed ipsam umbram appellat. SECUNDO, si idèd solum fuissent umbratiles, quia complementum erat suspensum vsque ad Christum, id est, quia repræsentabant aliquid, quod nondum aderat; nostra etiam umbratilia dici possent. Nam repræsentant resurrectionem & gloriam futuram. TERTIO, impudentissimè asseritur, Paulum non agere de efficacia, sed solum de modo significandi. Nam illa verba: *Nihil est, nihil valet, elementa egena, infirma, inutilia, non posse expiare peccata*, & similia, non possunt nisi de efficacia exponi. DENIQUE, Apostoli quæstio cum Iudæis de efficacia erat, & de iustificatione, nõ de modo significandi. Neque enim tam stulti erant

Hebræi, vt non intelligerent, Sacramenta vetera significasse res futuras, si Messiam venturum credebant. Atque hæc de primo argumento.

Q 2

CAPVT

CAPVT XV.

Idem probatur ex Patribus.

PROBANDVM est hoc discrimen etiam ex Patribus, tum vt res sit magis confirmata, tum quia Kemius in secunda parte Examinis, pag. 56. & sequentibus, vsque ad 60. conatur ostendere, vnū tantum locum nos habere, eumque ex Augustino, quem tamen ipsi eripere nobis conatur. Proferemus igitur auctores veteres Hebræos, Græcos, Latinos viginti, præter Augustinum.

I. PHILON in lib. de Circumcisione, exponens omnes causas Circumcisionis, quas à maioribus se accepisse fatetur, non clarè dicit, neque obscurè insinuat, eam institutam fuisse in medium peccati.

II. IOSEPHVS lib. 1. antiquit. cap. 12. non aliam causam Circumcisionis reddit, nisi vt posteritas Abrahamæ aliis ab Gentibus discernetur. Et tamen si quis nosse potuit, quorsum esset instituta Circumcisio; isti maximè, qui Hebræi erant, doctissimi; & vixerant etiam eo tempore, quo adhuc lex agebat.

III. IUSTINVS in Dialogo cum Triphone, ante medium. *Quin etiam, inquit, ex eo, quod non possunt femina circumcidi, intelligitur signi causa datam esse Circumcisionem, non pro opere iustitiæ.* Et toto ferè Dialogo hoc probat, Circumcisionem non iustificasse, sed datam solùm, vt discernentur Iudæi ab aliis.

IV. DIONYSIVS Areopagita in lib. de hierarchia Ecclesiastica, cap. 5. parte 1. docet, Ecclesiam esse mediam inter synagogam & cœlestem patriam; quod synagoga carnalia sacramenta, & umbras, ac figuras habuerit; cœlestis Hierusalem habeat nudam veritatem sine vllis signis corporalibus: Ecclesia nostra cum vtraque communicet, quod habeat signa corporalia, & simul spiritualia dona.

V. IRENAEVS lib. 4. cap. 30. *Circumcisionem, inquit, non quasi iustitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseveret genus Abrahamæ.* Et infra: *Et quia non per hæc iustificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine Circumcisione credidit* Deus

Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Vide eundem in eodem lib. cap. 28. 29. 32. & 34.

VI. ORIGENES lib. 2. contra Celsum dicit, Christianos meritò dimisisse Circumcisionem, Sabbatham, & similia, quòd res carnales, & corporales essent, & transisse ad legem Dei spiritalem. Item homil. 3. in Genesim, ubi explicat Circumcisionis præceptum, opponit carnalem illam Circumcisionem Iudæorum, Circumcisioni spirituali Christianorum: proinde vult tantum interesse inter Sacramenta illorum, & nostra, quantum interest inter carnem, & spiritum.

VII. EVSEBIUS Cæsariensis lib. 1. demonstrat. Euangelicæ, cap. 10. & lib. 1. hist. cap. 1. pulchrè docet, cur data fuerint primis illis parentibus Sacramenta carnalia, & sacrificia, tanquam elementa quædam, & adumbrationes rerum spiritualium.

VIII. EVSEBIUS Emisenus homil. in Sabbatho post primam Dominicam Quadragesimæ in illud: *Faciamus hic tria tabernacula. Primum, inquit, tabernaculum est Synagoga: secundum Ecclesia; tertium cælum. Primum in umbra fuit, & figura, secundum in figura & veritate; tertium in sola veritate. In primo via ostenditur; in secundo inuenitur; in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta Synagoga & medicinam tantum docent, & ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina, & remissio peccatorum.*

IX. ATHANASIVS oratione in illud: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, circa finem fusè docet Circumcisionem nihil fuisse aliud nisi umbram, & figuram Baptismi, qui est vera, & spiritualis Circumcisio.*

X. EPIPHANIVS hæc. 8. quæ est Epicureorum: *Illic, inquit, Circumcisio fuit carnalis, quæ deseruit tempori usque ad magnam Circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit nos à peccatu.*

XI. BASILIVS lib. de Spiritu sancto, cap. 14. *Qui veritatem, inquit, umbræ comparans, cum quibus figuris conferens ea, quæ figuris significantur, uniuersam pariter Euangelicam disputationem eleuare aggreditur. Et infra: Quid, inquit, confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia, & veritatem; inter umbras; & imagines, & inter ea, quæ reuera sunt.*

XII. Ioan. CHRYSOSTOMVS hom. 27. in Genesim. *Attende, inquit, quod Deus Circumcisionem pro lege statuit, noluit, non quod ad animæ salutem efficere hoc possit aliquis, sed ut Iudæi pueri hoc gratitudinis iudicium circumferrent, quasi signum, & sigillum, & ne liceret eis commisceri gentium commissionibus.* Hinc B. Paulus signum hoc vocat, dicens *Signum dedit Circumcisionis sigillum; nam ad iustitiam Circumcisio nihil conducit.* Vide eundem homil. 39. & 40. in Genesim. homil. de prodicione Iudæ, homil. 7. in epist. ad Rom. & homil. 14. in epist. ad Hebræos.

Idem docent XIII. CYRILLVS lib. 10. in Iulianum medium. XIV. THEODORETVS quæst. 67. in Genesim. & lib. 7. ad Græcos. XV. DAMASCENVS lib. 4. de fide, cap. 10. & 26. XVI. THEOPHYLACTVS in cap. 2. ad Romanos. & XVII. OECUMENIVS in cap. 4. ad Romanos.

Iam ex Latinis, XVIII. TERTULLIANVS in lib. contra Iudæos, cap. 1. *Si circumcisio, inquit, purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcisit, vel posteaquam deliquit, si purgat Circumcisio? Et infra. Providens Deus, quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Ibidem probat ex Prophetis sacrificia Sacramenta Iudæorum non iustificasse, ubi etiam illa vocat carnalia, & nostra spiritualia.

XIX. S. CYPRIANVS lib. 1. contra Iudæos, cap. 8. opponit carnalem Circumcisionem Iudæorum, spirituali Circumcisioni Christianorum: Et addit Adamum, Henoch, Noë, & Melchisedech iustos fuisse sine Circumcisione: *Quia, inquit, signaculum seminis nihil proficit.* Idem lib. 3. epist. 8. ad Fidam, dicit carnalem Circumcisionem adueniente spirituali, tanquam umbram luce adueniente evanuisse.

XX. S. AMBROSIVS in epist. 72. ad Irenæum: *Signum, inquit, Circumcisio corporalis, veritas Circumcisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum.* Idem: *Si tamen idem, 1. cap. 4. ad Rom. Non, ergo, inquit, Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum, quod signum idem accipiebant filij Abrahamæ, ut scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, ut amuli essent potestate fidei.* Vide eundem libro 1. de Abraham, cap. 4. ubi etiam professio agit de Circumcisione, & libro 1. de Sacramentis, cap.

cap. 4. & 6. & libro de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 8. & 9.

XXI. S. Hieronymus in c. 3. ad Galat. reddit causam cur fuerit Circumcisio instituta, & ne verbulo quidem indicat, fuisse in remedium peccati: Quia, inquit, ex semine Abrahamæ erat Christus oriundus, & ab Abraham, usque ad Christum multa erant secula transitura; providens Deus, ne soboles dilecti Abrahamæ ceteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israëliticum quodam Circumcisionis cauterio denotavit. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus: soli quippe sine gentis alterius commistione vivebant. Statim ut Iordanum ripam transgressus est populus, Circumcisio necessario futuro ex commistione Gentium providit errori, Quod autem à **LESV** duce secundo scribitur populus circumcisus, significat in eremo cessare Circumcisionem, quæ in in Ægypto rationaliter exercebatur; & à Domino nostro **IESV** Christo spiritali Circumcisione credentes esse mundandos. Idem in cap. 1. Isaïæ dicit, Deum respuere cæremonias Iudaicas, & placere ei lauacrum Baptismi: Quod solū, inquit, potest purgare peccata.

Denique **S. Augustinus** in Psalm. 73 Sacramenta, inquit, non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem

Ad hunc solum locum respondent Kemnitius & Calvinus. Kemnitius in Exam. pag. 59. & 60. respondet Augustinum loqui de Sacramentis veteribus, quæ non habebant annexam promissionem, sed erant mera signa, iuxta Lutheri distinctionem.

Non valet solutio, quia Augustinus loquitur in genere de Sacramentis veteribus, & maximè de sacrificiis, & dicit omnia esse mutata, quia non dabant salutem. Præterea cum Augustinus dicit, illa Sacramenta fuisse promittentia Salvatorem, videtur, maximè loqui de illis, quæ habent annexam promissionem. Quomodo enim non habebant annexam promissionem, si promittebant Salvatorem.

SECVNDO, respondet cum Calvino, lib. 4. cap. 14. §. 26. Instat Augustinum non loqui de efficacia Sacramentorum, sed de significatione; & hoc solū velle interesse inter illa, & ista, quòd illa significabant Christū venturū, ista significant eum iam exhibitum, & datum,

Q 4

AE

At contra; nam Augustinus non dicit, nostra significat Saluatorem, sed dare salutem. Præterea ibidem ait: *Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, felicitiora.* At hæc ad efficaciam, non ad significationem pertinent. Denique idem Augustinus in aliis locis aperte ponit discrimen quoad efficaciam. Epist. 19. ad Hieronymum: *Non dicam, inquit, præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona fuisse, quia eis non iustificantur homines? umbra enim sunt prænunciantes gratiam, qua iustificamur.* Hæc ille. Quid clarius? Nonne idem prorsus dicit Augustinus, quod postea definiuit Concilium Florentinum? lib. 19. contra Faustum, cap. 13. *Instituta sunt, inquit, alia Sacramenta virtutibus maiora, utilitate meliora.* Hæc ille. Igitur nostra excellentiora antiquis, utilitate, & virtute; non sola significatione, tractat in Ioannem: *In sacrificiis, inquit, non erat expiatio peccatorum sed umbra futurorum.* quæst. 25. in lib. Num: Si, inquit, peccata attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt meliora: si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquiruntur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum. Hæc de testimoniis Patrum.

CAPVT XVI.

Idem probatur rationibus in Scriptura fundatis.

PRIMA ratio. Sacramentum, vt iustificare possit, debet habere annexam promissionem absolutam gratiæ. Nullum tale erat in lege veteri; igitur nullum eorum iustificabat. Maior propositio est certissima apud aduersarios. Nam id asserit Lutherus in assert. primitiui, Philippus in locis anni 58. tit. de Sacramentis, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 3. denique Kemnitius in 2. parte Ereminis, pag. 42. ponit in ipsa definitione Sacramenti, quod habeat promissionem gratiæ, & gratiæ non cuiuscunque, sed promissionis peccatorum. Denique coguntur hoc admittere, cum velint Sacramenta iustificare excitando fidem: fides enim apud eos non iustificat, nisi apprehendendo promissionem indulgentiæ.

Minor propositio probatur PRIMO, ex Apostolo Hebræis. *Melius, inquit, sortitus est ministerium, quanto & meliora Testa-*

Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Et infra, explicans quæ sint istæ promissiones meliores noui Testamenti, profert illud Hiermiæ 31. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.*

SECUNDO, ex Augustino tract. in Psalm. 72. ubi dicit, promissiones Testamenti veteris, & noui esse diuersas, vt ipsa etiã Sacramenta sunt diuersa: tunc enim promittebantur res terrenæ, nunc autem cœlestes.

TERTIO, probatur ex ipso Luthero. Nam in libro de captiuitate Babyl. cap. de Eucharistia, ita loquitur: *Vetus Testamentum per Moysen datum promissio erat, non remissionis peccatorum, seu rerum æternarum, sed temporalium, nempe terræ Chanaan, perquam nemo renouabatur spiritu, unde & irrationalem pecudem in figura Christi oportebat occidi, in cuius sanguine idem Testamentum confirmabatur, vt quali sanguis, tale Testamentum, qualis hostia, talis promissio.* Hæc ille: ubi præbet nobis contra se argumentum planè insolubile. Nec potest responderi, loqui eum de Sacramentis, quæ non habent annexam promissionem; nam expressè meminit promissionis. Et præterea paulò post ponit exempla in iride, vellere Gedeonis, horologio Achaz, & similibus (ac dicit, ista signa habuisse tantum promissiones terrenas, & tamen in sequenti capite, quod est de Baptismo, hæc ipsa signa vult esse propriè Sacramenta, & nostris æqualia.

Porro Calvinus negat hanc minorè propositionem. Nam lib. 4. Instit. cap. 16. §. 4 dicit, vnã esse, & eandem promissionem Sacramentorum veterum & nouorum. Probatur igitur hæc minor. QUARTO ex singulis, quæ apud illos dicuntur Sacramenta. Lutherus enim Sacramenta vocat, sacrificium Abel, iridem, vellus Gedeonis, horologium Achaz. At nullum eorum habet promissionem remissionis peccatorum. Nam de sacrificio Abel nihil legimus, nisi placuisse Deo, postquam factum fuerat. Iris habuit promissionem solius temporalis salutis: vnde Genes. 9. dicitur, data in fœdus non tantum hominibus, sed etiam bestiis terræ, & omni reptili. Similiter in vellere Gedeonis, & in horologio Achaz, facta sunt signa ad confirmandam promissionem victoriæ contra hostes temporales. De aliis Sacramentis, vt de Circumcisione, de sacrificiis

pro peccato, de manna, mari rubro, & ceteris idem ostendat
in solutione argumentorum.

SECUNDA ratio. Lex ipsa vetus tota in hoc distinguitur
noua, quod illa non iustificat, hæc iustificat; ergo fieri non
potest, ut Sacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius
legis, iustificarent. Probatur antecedens. Nam **PRIMO** dicitur,
Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per
Iesum Christum facta est.* Quomodo hoc est verum, si Sacra-
menta Mosayca gratiam conferebant? **SECUNDO**, 2. Co-
rinth. 3. illa vocatur litera occidens, noua, spiritus viuificans.
At cur non erat etiam illa spiritus viuificans, si eius Sacramenta
iustificabant? **TERTIO**, Galat. 4. dicitur illa in seruitutem
generasse, nostra libertatem attulisse; At cur hoc, si etiam illa
gratiam conferebat, quæ liberat a seruitute peccati? **QUARTO**,
denique illud dicitur vetus Testamentum, quia ad veterem
hominem pertinet, nec renouare nouit; nostrum dicitur
nouum, quia renouat, ut docet Augustinus lib. 3. contra
epist. Pelagian. cap. 4. vnde & Apostolus ad Titum 3. vocat
baptismum lauacrum renouationis. Neque tamen hinc sequitur,
non fuisse iustificationem a peccatis in sanctis hominibus
Testamenti veteris: erat enim, sed non per Testamentum
vetus, aut per eius Sacramenta, sed per Testamentum nouum,
ad quod illi pertinebant, & ad cuius participationem fidei
desiderio perungebant.

TERTIA ratio. Promissio in Sacramentis, quæ sunt instituta
ad iustificandum, non potest impleri nisi fide recipiatur,
ut aduersarij dicunt. At promissiones annexæ Sacramentis
veteribus implebantur, etiam si homines non crederent; non
igitur Sacramenta illa erant instituta ad iustificandum. Probat
ur minor. Nam promissio Dei annexa arcu cælesti, qui
Lithero est verum Sacramentum, fuit de nõ dissipanda vnquam
amplius terra aquis diluuij. Quæ promissio impletur, & im-
plebitur etiam si homines non credant. Sic etiam promissio
annexa Circumcisioni fuit, ut fieret Abraham pater multarum
Gentium, & daret posteris eius terram promissionis, ut patet
Genes. 17. & Roman. 4. quæ sine dubio implenda erat,
etiam si Hebræi non crederent. Ita quoque omnia sacrificia
habebant annexam promissionem de Christi morte futura
pro expiatione peccatorum; id enim significabant omnes ille
macta-

mactationes; quæ promissio implenda fuit, siue crederent homines, siue non crederet. Vnde Apostolus Rom. 3. *Nunquid, inquit, incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, omni autem homo mendax.*

QUARTA ratio. Nostra Sacramenta dicuntur in Scripturis saluare, regenerare, iustificare, vt supra probauimus. Nihil tale vsquam legitur de Sacramentis veteribus, vt patebit ex solutione argumentorum: igitur temerè asseruntur paria, quoad efficaciam.

CAPVT XVII.

Soluuntur obiectiones.

ARGUMENTA aduersariorum sunt quinque. PRIMVM est ex cap. 17. Genesis, vbi Deus sic loquitur de Circumcisione: *Masculus, cuius præputy caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex hoc loco sumunt argumentum tam Catholici, qui putant Circumcisionem iustificasse ex opere operato, quàm hæretici, qui non agnoscunt discrimen inter Sacramenta noui, ac veteris Testamenti.

AC PRIMVM Catholici Augustinum sequuti in libro decimo sexto, de ciuitate Dei, capite decimo septimo, ita argumentantur. Deus minatur omni masculo Hebræorum, etiam infanti, perpetuum interitum, nisi fuerit circumciscus; ergo per Circumcisionem liberabantur masculi ab æterna morte.

Calvinus autem libro quarto Institut. cap. 16. §. 3. & 4. ita argumentatur. In Circumcisione eadem est promissio, quæ in Baptismo, nimirum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ: igitur non differunt nisi externo ritu, seu signo. Probat antecedens. Nam Genes. 17. vbi instituitur Circumcisio, dixit Deus Abrahæ. *Ego ero Deus tuus, & semini tui post te. Quibus verbis, inquit Calvinus, vitæ æternæ promissio continetur: quemadmodum interpretatur Christus, qui resurrectionem inde probauit, Matthæi 22. quod dicatur Deus, Deus Abrahæ, Deus Isaac, & Deus Iacob: non est enim Deus mortuorum, sed viuentium. Itaq; idem est dicere, Ego Deus tuus & Dab.*

Et Dabo tibi vitam eternam. Sed primus ingressus ad Deum est per remissionem peccatorum; ergo promisit Deus etiam remissionem peccatorum, cum ait; Ero Deus tuus, & pater tuus. Confirmat argumentum Calvinus ex eo, quod dicitur Apostolus ad Ephesios secundo dicit, Gentiles, qui erant non circumcisi, fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, & alienos a promissionibus. Ergo ista omnia consequiebantur hominibus per Circumcisionem.

RESPONDEO ad argumentum Catholicorum, vim totius illius argumēti pendere ex duobus vocibus, quæ habentur in editione Græca, qua utebatur S. Augustinus. Græci enim sicut habent locum citatum: *Et incircumcisus masculus, cuius caro circumcidetur præputij in die octavo, peribit anima illa de populo suo.* ubi illa verba: *In die octavo,* sunt addita à Græcis: non enim habentur in codicibus Hebraicis, nec in paraphrasi Chaldaica, nec in Latina vulgata editione. Porro ob id duo verba: *In die octavo,* S. Augustinus coactus est hunc locum cum exponere de paruulis, ac dicere, Deum minari peccatis paruulis carentibus Circumcisione; & hinc ulterius coactus est verba consequentia: *Quia pactum meum irritum fecerunt,* exponere & de peccato originali, & de pacto facto cum Adamo de non comedendo ligno scientiæ boni, & mali, quod solum paruuli præuaricari potuerunt: & hinc ultimò coactus est, illa verba, *Peribit anima illa,* exponere de morte æterna, quæ debetur peccato originali. Vide Augustinum lib. 16. c. 17. cap. 27. lib. 2. de peccato originali, cap. 30. & 31. & lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 11. At si remoueamus à textu duo illa verba (*In die octavo*) ut verè remouenda sunt, totum argumentum concidet. Nam non cogemur exponere hunc locum de paruulis, immò cogemur exponere solum de adultis, ut hic sit sensus; Masculus Hebræus, qui noluerit circumcidi, aut filium suum circumcidere noluerit, peribit de populo suo, quia in obediens fuit præcepto à me dato de Circumcisione. Et qua sententia non magis sequitur, Circumcisionem iustificare, quàm quodcunq; legis præceptum: millies enim Deus minatur mortem non seruantibus præcepta.

Esse autem illum sensum eius loci, ostenditur tribus modis. PRIMO, ex illis verbis: *Quia pactum meum irritum fecit.* Nam etiam si S. Augustinus hoc exposuerit de pacto facto cum Adamo,

mo, tamen luce clarius est hoc debere exponi de pacto facto cum Abraham de circumcidendis masculis. Nam in illo capite octies nominatur pactum Dei, & semper accipitur pro pacto Circumcisionis. Et quid clarius illa expositione ipsius Dei in eodem capite: *Hoc est pactum meum, quod observabitur; circumcideretur ex vobis omne masculinum?* Proinde causa comminationis hoc loco non est peccatum originale, sed peccatum actuale, id est, transgressio præcepti de Circumcisione, cuius peccati soli adulti capaces sunt.

S E C U N D O, idem probatur ex illa pœna: *Peribit anima eius de populo suo.* Non enim ista verba significant mortem æternam, seu gehennam, sed pœnam aliquam temporalem. Nam id significat illud: *De populo suo*; non enim dicit, *peribit* absolute, sed *peribit de populo*, id est, separabitur à populo suo, seu per mortem corporalem, seu per quandam veluti excommunicationem. Vox enim Hebraica **קָרַח** propriè excindere significat. Et ponitur hæc pœna in Scriptura passim cõtra omnes, qui aliquam cæremoniam omisissent, ut patet Exod. 12. & 31. Levit. 7. 17. 18. 19. 20. & 23. Num. 15. & 19. in quo ultimo loco dicitur, peritura anima illius de populo suo, qui tetigerit cadaver, & se aqua non abluerit; quæ certè omisio non videtur crimen dignum æterna morte.

T E R T I O, probatur ex cap. 4. Exodi, vbi Dominus Moysem occidere voluit, quia filium suum non circumciderat. Vbi clarè videmus, pœnam illam esse mortem corporalem, & in eum latam, qui adultus sit, & capax peccati actualis, non in infantes. Et quanquam S. Augustinus quæst. 11. in Exod. & lib. 4. de Baptismo, cap. 24. conatur ostendere filium Moysis, non ipsum Moysem in periculo fuisse ob incircumcisionem; tamen res clarissima est. Nam si Deus minaretur mortem parvulo, si non circumcidatur octavo die; quid profuisset filio Moysis Circumcisio illa facta post octauum diem? Deinde textus apertissimus est: *Cumq̃ esset, inquit, in itinere in diuersorio Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Què enim? nisi Moysem, de quo loquebatur in proximis verbis. Præterea sequitur: *Tulit ergo Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Si illud: *Voluit occidere eum*, de filio Moysis intelligeretur, dixisset Scriptura; **Cir-**

Circumcidit præputium eius, non autem filij sui. Præterea addidit Sefhora, & dixit Mofi: *Sponsus sanguinum tu mihi etiam responsum meum amissura eram, nisi te sanguine filij meo redemissem.* Quare S. Hieronymus in commentar. cap. Galatas, non dubitat, quin Mofes in periculo fuerit hoc loco non filius eius.

Ad argumentum Caluini, nego Circumcisioni fuisse æternam promissionem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ. enim repugnat PRIMO, Apostolo, & Augustino, qui ut supra vidimus, docet meliores esse promissiones Testamenti nouæ quam veteris. SECUNDO, repugnat primæ institutionis Circumcisionis. Nam primùm imperata est ipsi Abraham, & ei postmodò facta est promissio: ipse autem iustissimus erat antequam Circumcisionem, ut patet ex Genes. cap. 12. & sequentibus, ex Paulo Rom. 4. Non ergo promissio erat de remissione peccatorum. TERTIO, repugnat isti ipsi capiti 17. Geneleos; ubi legitur legimus; Deum promississe Abraham, quando illi instituit Circumcisionem, propagationem posteritatis, & terram Palestinæ: *Ponam, inquit, fœdus meum inter me et te, & multiplicabo te vehementer nimis.* & paulò post: *Ego sum, & propter nomen pactum meum tecum, erisq; pater multarum Gentium.* Et infra: *Daboq; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam.* Et hoc idem docet Apostolus Rom. 4. Verum quidem est, promissionem hanc terrenam, & figuram fuisse promissionis spiritualis, & cœlestis, quæ danda erat iis, qui non carne, sed corde circumciderentur: & hoc etiam intelligebant Patriarchæ, & Prophetæ, & alij viri perfecti illius temporis, ut dicit Apostolus Hebr. 11. & Tobias sententia 2. Job. 13. tamen ad literam, promissio terrena erat carnalis Circumcisioni, & hæc sola ad vetus Testamentum pertinebat; & contrarium asserere, quod facit Caluinus, nihil est aliud, quam ea lege Euangelium facere, & omnia confundere.

Ad probationem Caluini ex illo; *Ero Deus tuus,* RESPONDEO; his verbis non significari promissionem vitæ æternæ, & remissionis peccatorum, sed tantùm, ut exponit Chryl. in comment. huius loci, promissionem cuiusdam peculiaris protectionis; qualis debetur populo peculiari, qualis fuit Israeliticus, ut in Deuteronomio passim repetitur. Hoc autem modo Deus non tantùm erat Deus bonorum, sed etiam malorum.

rum, modò essent de populo Israël. Pròinde non significant promissionem remissionis peccatorum illa verba: alioqui Deus non fuisset Deus, nisi iustorum. **A D D E**, quòd ista verba non tam sonant promissionem Dei, quàm obligationem populi. Idem enim est: *Ero Deus tuus, & semini tui*, ac si dixisset: Non habebitis alium Deum quàm me; iuxta illud Hierem. 24. *Ego ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et illud Genes 29. *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad manducandum, erit mihi Dominus in Deum.*

At, inquit Calvinus, *Deus non est mortuorum Deus, sed viventium, ut Christus ait; Ergo, Ero Deus tuus, significat promissionem vitæ æternæ.* **R E S P O N D E O**; Christi verba nihil aliud significare, nisi Deum non esse Deum eorum, qui non sunt, sed eorum, qui sunt, siue sint boni, siue mali; siue beati, siue damnati. Nam probare volebat còtra errorem Sadducèorum, animas mortuorum hominum esse immortales, & ideò non extingui cum corpore, sed reuera permanere, & viuerè: id verò probauit optimè ex verbis Dei ad Moysen, Exodi 4. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cùm enim illi iam mortui essent, quantum ad corpus, nisi viuerèt, quantum ad animam, non diceretur, Deus esse Deus eorum; non enim Deus est eorum, qui nihil sunt.

Ad illud ex epist. ad Ephesios **R E S P O N D E O**; Gentiles fuisse sine Deo, sine Christo, sine spe, & sine promissionibus, nò quia carebant Circumcisione, sed quia carebant vera fide, & notitià veri Dei, & idola pro Deo còlebant. Alioqui enim etiam inter Gentiles, qui Deum verum agnoscebant, ut olim Iob, & postea Cornelius Centurio, & alij nonnulli, non erant sine Deo, sine Christo, & sine spe, etiamsi circumcisi non essent.

Argumentum **S E C V N D V M** sumitur ex Leuit cap. 4. 5. & 6. ubi sic legitur: *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inscians etiam peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam insuper partem domino, cui damnatum intulerat; pro peccato autem suo offeres.*

offert arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti iuxta estimationem mensuram q̄ delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis, quæ faciens peccauit. Hic aperte videmus promitti remissionē cuiuscumque peccati, etiam periurij, quod inter grauissima numeratur offerenti sacrificium. Et confirmatur argumentum. Nam hæc cæremonia à Deo instituta cum tam insigni promissione remissionis peccatorum non iustificat, ineptè Catholici colligunt ex epistola Iacobi cap. 5. Extremam vnctionem iustificare. Nam eodem modo loquitur Iacobus: *Infirmatur quis vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit eum firmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

RESPONDEO; Sacrificia vetera valuisse ad expiationem peccati, quoad pœnam temporalem, & quoad immunditiam legalem, non quoad culpam, & pœnam gehennæ, nisi quatenus signa quædam, erant protestantia fidem in Christo, vt docent communiter Theologi in 4. sentent. dist. 1. S. Thomas in 1. 2. quæst. 103. art. 2. & Alfonso Tomstadius cap. 1. Leuit. quæst. 19.

Potest autem id probari multis modis. PRIMO, quia scriptura non instituit sacrificia pro omnibus peccatis, sed solum pro peccatis ignorantia, præsertim contra cæremonias leges, vt patet Leuit. 4. & 5. etiam pro peccatis circa damnum proximi, in rebus externis, & pro periurio ex cupiditate habere res alienas prolato, vt patet Leuit. 6. Pro aliis peccatis grauioribus, vt pro blasphemia, homicidio, adulterio, idololatriâ nullum inuenitur sacrificium. Neque obstat, quod Leuit. dicitur, sacrificio arietis expiari omne id peccatum, quo peccare solent homines. Nam loquitur de omni peccato circa oblationem rei alienæ, non de omni peccato simpliciter, alioquin frustra capitibus superioribus ponerentur varia sacrificia pro variis peccatis. Igitur si sacrificia non expiabant omnia peccata, sed solum quædam, sine dubio non expiabant quoad culpam, sed solum quoad pœnam temporalem, vel immunditiam legalem. Nam Deus nunquam remittit vnum peccatum quoad culpam & pœnam æternam, quin remittat omnia; & hinc etiam apparet differentia inter promissiones istas veteris

teris Testamenti, & promissiones Sacramenti Extremæ vntionis Iacobus enim absolutè de omnibus dicit: *Si in peccatu fuerit, remittentur ei.*

S E C V N D O id probatur, quia sacrificia vetera, vt notat S. Thomas loco citato, non placebant Deo ex se, sed ex deuotione & obedientia offerentium; vt patet: Quia Prouerb. 15. victimæ impiorū dicuntur abominabiles Domino; Eccles. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* Isa. 1. vbi Dominus dixerat, sed nolle sacrificia Israëlitarum; subiungit: *Manus enim vestræ sanguine plene sunt.* Malach. 2. dicit Deus malis sacerdotibus: *Maledicam benedictionibus vestris.* Et 1. Reg. 15. *Nūquid vult Deus sacrificiū, & non potius, vt obediatur voci Domini?* Deniq; Gen. 4. *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius; ad Cain & ad munera eius non respexit.* Vnde GREGORIUS lib. 22. moralium, cap. 12. *Irā iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis.* Et infra: *Idcirco non Abel ex muneribus; sed ex Abel munera oblata placuerunt.* Hinc ergo colligimus, sacrificia non valuisse ad expiationem peccati. Nam vel qui offerri iubebat, iustus erat, vel iniustus; si iustus, non egebat remissione peccatorum; si iniustus, nihil valebat eius sacrificium, vt iam ostendimus; **D I C E S**, valere poterat iniusto ex merito Sacerdotis offerentis. At non possunt merita vnus conferre alteri primam gratiam certò, & infallibiliter. Hic autem ponitur promissa absoluta de remissione peccatorum; ergo oportet intelligere de remissione, quoad pœnam temporalem tantum.

T E R T I O, Ezechiel cap. 18. cùm de remissione peccatorum agitur, nusquam fit mentio sacrificiorum. Immo Prophetæ ceteri, & Paulus disertè docent, non posse sacrificiis expiari culpas animorum. Ne igitur Scripturæ inter se pugnent, cogimur fateri, in Leuitico non agi, nisi de expiatione legalis immunditiæ, vel remissione temporalis pœnæ.

Argumentum **TERTIVM** sumitur ex 1. Cor. 10. vbi Apostolus loquens de manna Hebræorū, & de aqua scaturiente ex petra, sic ait: *Eandem escam spirituale manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* Hoc argumentum magni facit Calvinus lib. 4. Inst. cap. 14. §. 23. *Nihilo splendidius de illis, inquit, loquitur Apostolus, quàm de hęcùm doces, Patres eandē*
R nobiscum

nobiscum escam spiritualem manducasse, & escam illa Christum interpretatur. Quis mane ausit facere signum illud, quod veram Christi communionem Iudæis exhibebat? Et infra Ergo, inquit, primum in Sacramentis pares nobis facit, & nullam prerogativam particulam nobis relinquit. Idem argumentum urget Petrus Martyr in commentario, 1. Cor. 10. & Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 67.

Porro argumentum hoc quatuor habet difficultates. **PRIMO**, urget particulam (*Eandem*). Si enim eandem escam Iudæi veteres manducaverunt in manna, quam nos in Eucharistia. certè eiusdem erunt virtutis manna & Eucharistia. **SECUNDO**, urget particulam (*Spiritualem*). Si enim esca illa, & potus spiritualia erant, certè spirituales effectus habebant, proinde non erant nuda signa corporalia. **TERTIO**, urget effectum causæ. Nam (ut ipsi dicunt) Apostolus volebat admonere Christianos, ne nimium confiderent in perceptione Sacramentorum, & ut non crederent, sibi esse omnia salva, quia Baptismum & Eucharistiam perciperent, nisi etiam perseverarent in bonis operibus: id verò Apostolus facit exemplis antiquorum, quibus parum profuerunt similia Sacramenta, cum non abstinerint se à peccatis. Oportet igitur Sacramenta illorum & nostra eiusdem esse dignitatis & efficaciam, si Pauli argumentum aliquid valere debet. **QUARTO**, confirmant ex Augustino; qui de isto loco Pauli disputans tract. 26 in Ioann. dicit, Sacramenta Iudæorum & nostra fuisse in signis diversa; in re quæ significatur, paria; diversa specie visibili, paria virtute spirituali.

RESPONDEO; Calvinum & Kemnitium secum aperte pugnant. Nam imprimis Calvinus & Kemnitius loco notato volunt, manna & aquam de petra scaturientem, immò & transitum maris rubri, Sacramenta fuisse apud Iudæos, & Sacramenta iustificantia, ut apud nos Baptismus & Eucharistia. At ipsi idem supra negarunt, ista esse Sacramenta. Nam Calvinus lib. 4. Inst. cap. 14. §. 19. dicit, Sacramenta, de quibus agimus, esse caeremonias ordinarias, non aliquid quod semel, aut iterum factum est. Et Kemnitius in Examine 2. partis, pag. 40. posuit in definitione Sacramenti, ut sit caeremonia quæ durat, quamdiu religio durat. Constat autem, tales non fuisse manna, aquam de petra, & transitum maris: illa enim nec caeremonia

niæ fuerunt, nec nisi ad breue tempus durârunt. Deinde Cal-
uinus hoc loco dicit, ita esse paria Sacramenta vetera nostris,
vt nulla prærogatiuæ particula nostris relinquatur: & tamen
suprà eodem cap. 14. §. 22 dixerat, nostra esse excellen-
tiora, eò quòd vberiores gratiam conferant. Porro Kemnitius in alia
re grauiore secum pugnat. Nam hoc loco admittit cum Cal-
uino, Eucharistiam nihilo esse præstantiorem, quam fuerit
manna Iudæorum, & non aduertit, Caluinum ista argumen-
ta proferre ad probandum, in Eucharistia non esse corpus Do-
mini, nisi tropicè, quomodo fuit in manna, cuius contrarium
docent Lutherani, & ipse Kemnitius in hac ipsa 2. par. Exami-
nis, pag. 332.

SED his omissis, ad PRIMAM partem argumenti respon-
deo; cum Scriptura dicit: *Eandem escam manducauerunt*, non
velle dicere, eandem esse escam nostram & illorum, sed ean-
dem illorum omnium: est enim sensus; Omnes Iudæi eandem
escam manducârunt, & tamen non omnes placuerunt Deo.
Id quod probatur: nam PRIMO, illa non erant Sacramenta,
nostra sunt Sacramenta, vt iam ostendimus. SECUNDO, illa
erant communia etiam bestiis: nam etiam bestia biberunt ex
aqua scaturiente ex petra, & transierunt mare rubrum; & ca-
nes, & gallinæ, & similia animantia domestica, manna in ci-
bum sumpserunt: & id non casu aliquo aut malitia alicuius,
quomodo etiam fieri posset, vt signa Eucharistiæ à bestiis vo-
rarentur: sed ex instituto & voluntate Dei. Deus enim aquam
de petra eduxit, vt biberent homines & iumenta: & mare ape-
ruit, & pluit manna, vt transierent, & viuerent homines & iu-
menta. TERTIO, quia nulla legitur promissa facta come-
denti manna, aut bibenti aquam illam, aut transeunti per
mare rubrum: nostra autem Sacramenta habent amplissimas
promissiones. Hic planè in angustias rediguntur.

Petrus Martyr in comment. 1. Cor. 10 conatur extricare se;
& postquam petiit, vbinam sint promissiones annexæ mari
rubro & manna, ita responder: *Existimo ea esse, quæ in Exodo
& in Numeris legimus. In Exodo quippe admonebantur, vt
attenderent visuri magna dona Dei. Idem inuenies de manna
scriptum, si omnia diligenter percurreris.* Hæc ille. At ista te-
stimonia sunt inopiæ & miseræ aduersariorum. Si enim ali-
quid haberent, notarent locum Scripturæ, non nobis inun-
gerent,

R 2 gerent,

gerent, vt quæramus. Porro diligenter quæsiui, & non inueni nisi has promissiones. Exod. 14. filiis Israël transituris mare rubrum, dicitur à Mose: *State, & videte magnalia Dei. Egyp-
tios enim, quos nunc videtis, non videbitis ultra in semp-
ternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Haec autem promissio temporalis est, & cōtinuò impleta occidit
mari rubro Ægyptiis, vt ibidem legimus. Rursus Exod. 16. ex-
hibetur manna populo, & coturnices, nec vlla promissio ad-
ditur, nisi illa dicatur promissio: *Vesperè comedetis carnes, &
manè saturabimini panibus.* Denique Exod. 17. & Numer. 20.
educitur aqua de petra; sed nulla est ibi promissio, nisi illa:
*Cùm eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & sa-
menta eius.*

Vidit Petrus Martyr, has esse terrenas promissiones; & cir-
circo ne penitus caussa cecidisse videatur, existis ipsis prom-
issionibus elicere conatur promissionem remissionis peccato-
rum. Vtitur autem hac ratiocinatione; Extremum malorum
& radix omnium aliorum est peccatum; igitur cùm petimus
ab aliquo malo liberari, quodcumq; illud sit, tacito sensu pe-
timus à peccato liberari. Igitur eodem modo, quæcumq; bona
Deus promittit aut exhibet, innituntur reconciliationi cum
eo, & gratiæ ac fauori eius. At certè facilius esset, ex petra eli-
cere aquam, quàm ex his locis Scripturæ elicere promissio-
nem reconciliationis. Nam etiam si peccatum Adæ fuit occasio
omnium malorum, tamen non sunt ita connexæ afflictio-
nes huius vitæ cum peccatis, vt non possint esse separata. Sa-
pe enim peccant homines, & tamen non puniuntur in hac
vita: sape non peccant, & affliguntur, vt patet de S. Job, & To-
bia, & aliis, qui non propter peccata, sed ad exercitium virtu-
tis affligebantur. Et contrà in rebus bonis, sape Deus dat
fluentiam rerum temporalium iis, quibus non est data
gratiam suam, & vitam æternam, vel vt remuneret eorum bo-
na opera moralia, vel aliis de caussis; & non dat bona tempo-
ralia iis, quibus daturus est vitam æternam, vt patet Lucæ
exemplo diuitis & mendici, & in Scripturis passim de Nabu-
chodonosor, de Cyro, & aliis, quibus Deus subiecit orbem
terræ, cùm tamen eius amici nunquam fuerint. Vide Augusti-
num lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 12. & 15. Itaque errat Martyr
apertissimè, cùm dicit, quælibet bona quæ Deus dat, innituntur
recon-

reconciliationi cum Deo, & gratiæ ipsius. Nec sequitur; Deus promisit populo Iudæorum victoriam de hostibus, vel abundantiam cibi & potus; ergo promisit remissionem peccatorum & vitam æternam. Vide B A S I L I U M libro de Spiritu sancto, cap. 14. vbi probat, nullam fuisse spirituales promissionem in transitu maris rubri, mannae, aquæ, &c. ac dicit, eos vniuersam Euangelicam disputationem extenuare, qui signa illa nostris æquant: *Quæ, inquit, peccatorum remissio, quæ vitæ renouatio in mari? quod donum spirituale datum est per Moysen? quæ illic peccati mortificatio?*

Ad SECUNDAM partem argumenti dico; Manna & aquam de petra scaturientem vocari cibum & potum spirituales, non propter effectum, sed propter causam, & propter significationem. Propter causam quidem, quia vtrumque productum erat per miraculum opera Angelorum; vt indicant hoc loco Chrysostomus & Theophylactus. Vnde Psal. 77. manna dicitur panis Angelorum: *Panem Angelorum manducauit homo.* Et certè non dicitur panis Angelorum, quia eo vescantur Angeli, sed quia eum fecerunt Angeli. Et de aqua explicat idem Apostolus, cur diceretur potus spiritualis: *Bibebant, inquit, de spirituali consequente eos petra, petra autè erat Christus.* Vbi non ipsam aquam quam bibebant, vocat spirituales; sed petram, quæ erat causa illius aquæ, & monet, veram causam illius aquæ non fuisse petram corporalem & visibilem, quæ fixa humi iacebat, sed quandam aliam inuisibilem petram, id est, Christi Dei prouidentiam, quæ eos nunquam deserebat. Quare cum dicit Apostolus: *Bibebant de spirituali petra,* non est sensus (vt putat Calvinus) quòd biberent spirituales petram, id est, Christum, sed quòd biberent aquam ex petra spirituali, id est, Christo, tanquam ex causa efficiente profluentem. Quocirca non comparat Apostolus aquam cum Christo, sed petram, quæ erat causa aquæ. Confirmatur hæc tota expositio ex Ioann. 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vbi Dominus apertissimè docet, non fuisse manna Iudæorum cibum spirituales, quoad effectum, vt est Eucharistia: qui enim manna manducarunt, mortui sunt.

Respondent Calvinus lib. 4. Instit. c. 14. §. 25. & Martyr loco citato, Christum se accommodasse crassæ Iudæorum opinio-

ni, qui manna nihil aliud, nisi cibum ventris esse cogitabunt. Itaque Christum non asseruisse, se daturum meliorem cibum quam fuerat manna reuera, sed quam fuerat manna secundum crassam Iudæorum opinionem. At contra. Nam vel Iudei rectè sentiebant, manna fuisse cibum corporalem tantum, vel non rectè: si rectè, igitur nostra Eucharistia est longè melior, cum sit cibum spiritualis: si non rectè, igitur Dominus probauit illorum errorem, & non sincere, immò nec verè loquitus est. Siquidem etiam ipse asserit, cibum illum fuisse corporalem tantum, cum ait: *Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt.* Et clariùs paulò antè. nam cum gloriatur, patres suos manducasse manna in deserto, & hunc panem quasi cœlestem iactarent, Christus dixit: *Non Moses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo.* id est (vt rectè exponit Cyrillus lib. 3. in Ioan. c. 34, & Chrysostomus hom. 44. in Ioannem) manna non erat reuera panis cœlestis, sed terrenus, licet de cælo, id est, ex aère descendisset: panis autem verè cœlestis est iste, quem nunc Pater dat vobis.

Adde quod CHYSOSTOMVS homil. 45. in Ioann. nobiscum sentit: *Animaduerte, inquit, quam faciat huius panis & manna differentiam, ab vtriusque scilicet sine: quod enim manna nihil magnum præberet, addit, Patres nostri manducauerunt, &c.* Item CYRILLVS lib. 4. in Ioan. cap. 11. de manna Iudæorum, ita Christum loquentem inducit: *Ego sum panis verus, ille figura, imago, umbraque solummodo fuit.*

Ad TERTIAM partem argumenti respondeo, scopum apostoli non esse ostendere, non esse nimium confidendum in Sacramento, sed potius non esse abutendum Sacramento. Nam si vellet ostendere, non esse nimium confidendum in Sacramento, idque exemplo Iudæorum, accepisset in exemplum vera Sacramenta Iudæorum, vt Circumcisionem, & agnum Paschalem, & similia. Ipse autem accepit alia quædam, quæ sunt quidem figuræ Sacramentorum nostrorum, non tamen sunt ipsa Sacramenta, vt supra ostendimus. Præterea id patet ex ipso cõtextu. Nam cap. 8. hortabatur Christianos, ne manducarent idolothyta; ne eo modo offenderent infirmos, deinde cap. 9. ostendit exemplo suo, oportere non offendere infirmos; tum cap. 10. reddit ad quæstionem de idolothytis, & probat, non esse ea comedenda, quia nimis turpe sit, a mensa Domini

mini transire ad mensam dæmoniorum; id enim est signum magnæ ingratitude in Christum, & magnæ irreuerentiæ erga Sacramenta ipsius. Ad hoc igitur ostendendum profert exempla Iudæorum. Proinde non requiritur (vt vult Caluinus) vt parem vim tribuamus mari rubro & Baptismo, mannae & Eucharistiæ. Nam quò sunt illa inferiora, eò argumentum Pauli est fortius. Si enim Iudæi puniti sunt, quòd contempserint figuras Sacramentorum nostrorū, & ingrati fuerint Deo, à quo illa beneficia acceperant; quantò iustius puniendi sunt Christiani, qui contempnunt Sacramenta ipsa, & ingrati sunt Deo, à quo acceperunt beneficia longè maiora?

Ad **QVARTAM** partem argumenti respondeo, S. Augustinum nusquam dicere, Sacramenta nostra & vetera esse paria, quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem seu rem significatam, quia nimirum eundem Christum omnia significant. Vide Augustinū non solum tract. 26. & 41. in Ioannem, quæ loca aduersarij citant; sed etiam in Psal. 72. & 77. & tract. 11. in Ioan. & homil. 27. ex lib. 50. homiliarum: vbiq; enim hoc repetit, diuersa fuisse signa, sed vnā rem significatam, id est, Christum. Illa autem verba, quæ Caluinus citat ex tract. 26. in Ioan. *Diuersa sunt specie visibili, paria virtute spiritali*; nō integrè & bona fide adducta sunt. Sic enim **AVGVSTINVS** loquitur: *Aliud illi; aliud nos, sed specie visibili quidem, tamē hoc idem significante virtute spiritali*: id est, diuersa erant signa, tamen quoad vim spiritualem significandi, eadem erant, quia idem significabant: quod clarius paulò antè dixerat his verbis: *In signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt*. Nec poterat Augustinus vllō modo dicere, quod ei Caluinus tribuit, Sacramenta vetera nostris æqualia esse, quoad efficaciam, cū in Psal. 72. dixerit, nostra esse salubriora & feliciora; & lib. 19. contra Faustum, cap. 14. nostra dixerit esse virtute maiora, vtilitate meliora.

Vnum est hīc **OBSERVANDVM**, Augustini expositionem, qui per eandem escam spiritualem 1. Cor. 10. intelligit significari, eadem esse Sacramenta vetera & noua, quoad vim significandi, & inde illam escam dictam esse spiritualem, non esse quidem contra nos, vt iam ostendimus; tamen non esse necessariò sequendam. Nam si per escam spiritualem intelligeremus escam spiritualiter intellectā, vt vult Augustinus, tunc

soli iusticiam manducassent. Id quod fatetur Augustinus, &
 Ideo notat Paulum dixisse: *Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt*; non autem, *Patres vestri*, quia loquebatur solum de iustis, qui sunt nobis similes. Christum autem Ioan. 6. dixisse: *Patres vestri manducaverunt manna*, non *Patres nostri*; quia loquebatur Dominus de malis Iudæis, qui non manducaverunt illam escam spiritualiter. At hoc congruat Apostoli verbis, qui ait: *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*; & per, *Omnes*, intelligit non omnes iustos tantum, sed omnes absolute tam bonos, quam malos, qui in deserto illo fuerunt. Nam subiungit: *Sed non pluribus eorum beneplacitum est Deo*; & paulo ante dicit: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt*. At certe non tantum boni, sed etiam mali sub nube fuerunt, & mare transierunt. Verior igitur est Chrysostomi & Coriilli expositio, & aliorum interpretum, quos supra sequimus. Nec mirum esse debet, si antepositum in huiusmodi explicatione Chrysostomum Augustino. Nam ille scripsit commentaria ex professo in Epistolam hanc B. Pauli; sed autem obiter explicuit hunc locum in commentariis in Iohannem.

Argumentum QUARTUM sumit Kemnitius ex Paulo Cor. 2. *Circumcisi estis Circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis*. Paulus, inquit Kemnitius pag. 66 permutati vocabuli Circumcisionis & Baptismi, significat ut qui in novo Testamento per Baptismum habemus expoliationem corporis peccatorum carnis, accepisse, & habere idem, quod circumcisi in veteri Testamento per Circumcisionem acceperunt.

RESPONDEO, hoc argumentum nihil concludere. Nam etiam si Paulus Baptismum vocat Circumcisionem, quia Circumcisio fuit figura Baptismi; tamen non inde sequitur, eundem fuisse effectum utriusque, immo sequitur, non esse eundem, cum non possit esse vis eadem figuræ, & rei figuratæ. Unde idem Apostolus Circumcisionem Iudaicam vocat manufactam, nostram autem negat esse manu factam, quia qui principaliter baptizat, Deus est, non homo. Neque tribuit Paulus effectum Circumcisionis Baptismo. Nam expoliare à corpore peccatorum, id est, à toto corpore obnoxio peccatis, & reddere

reddere hominem plenè spiritualem, tribuit Paulus soli Circumcisioni Christianæ, id est, Baptismo. Circumcisio enim Iudaica non totum corpus, sed vnam particulam circumcidebat.

Argumentum QVINTVM est Kemnitij, pag. 67. ex Paulo ad Hebr. 13. *Christus Iesus heri, & hodie, ipse & in secula.*

RESPONDEO., argumentum si quid concludit, tantùm concludere Sacramenta vetera idem significare, quod nostra significant, nimirum Christum, qui erat in Testamento veteri latens in figuris, & vaticiniis. At ne hoc quidem concludit. Nam Apostolus loquitur de fide, & doctrina, non de Sacramentis: vult enim credi, Christum esse æternum, non temporalem, vt somniabant hæretici.

CAPVT XVIII.

De caractere.

SEQVITVR TERTIA quæstio de effectu Sacramentorum, quæ est de caractere: an scilicet Sacramenta aliqua imprimant in anima indelebilem characterem. Tria dicemus, PRIMO, quid aduersarij sentiant de caractere. SECVNDO, quæ sit sententia ac doctrina Catholicorum de caractere. TERTIO, demonstrabimus ex Scriptura, Patribus, & rationibus hanc veritatem. Ex quibus argumenta aduersariorum euanescent.

Quoad PRIMVM Ioannes Wiclefus lib. 4. Trialogi, cap. 15. (teste Thoma Waldensi tomo 2. de Sacramentis, cap. 109.) characterem Sacramentalem affirmat nec Scriptura, nec ratione posse probari. Idem hoc tempore docent omnes hæretici, ac imprimis Ioannes Calvinus in antidoto Concil. sess. 7. can. 9. & Martinus Kemnitius in 2. p. Examin. pag. 129 & seq. & Tilmannus Heshusius in lib. de errorib. Pontificiorum tit. 5.

Argumenta sunt tria, quibus vtitur Kemnitius PRIMVM, quod in Scripturis, & Patribus de caractere isto mirum silentium sit. Quod argumentum etiam Caluini est; & ex his, quæ dicemus, per seipsum corruet.

SECVNDVM est, quòd inter ipsos etiam Scholasticos ni-

R s hil

hil sit certum; id quod ex Gabriele probat. Et hoc etiam argumentum paulò post euanesceat.

TERTIVM, quòd primus auctor, siue excogitator characteris fuerit Innocentius III. Papa, qui multa mala partim creuit, partim etià fecit, ac inter alia Othonem Imperatorem creari curauit, ac postea eundem excommunicauit, ac deponi fuit. In quo argumento duo sunt mendacia. **VNUM**, quòd Innocentius III. excogitauerit primus characterem; quòd mendacium est Nam idem Innocentius cap. Maiores, extra de Baptismo, refert opinionem quorundam dicentium eos, qui baptizantur, recipere tantum characterem, ut illis qui baptizantur ficti. Non ergo ipse primus excogitauit characterem.

ALTERVM, quòd idem Pontifex malus fuerit. fuit enim ex laudatissimis Pontificibus. Nam ut omittam opera eius, sermos de contemptu mundi, sermones, & epistolas, quæ pietatem spirant: laudatur ab omnibus historicis, ut optimus, & doctissimus. Ac ut omittam Italicos, Blondum, Platinam, & alios, solùm audiamus testimonium duorum Germanorum.

Albertus **KRANTZIVS** homo Germanus, & qui ante Lutheranas contentiones scripsit, proinde nec odio, nec amore ducebatur, lib. 9. Metropolis, cap. 1. *Laudabilia*, inquit, *scripsit, multa constituit.* Et lib. 12. cap. 2. *Præfuit*, inquit, *Innocentius III. Pontifex, cui parem multa doctrina, rerum magnificencia, et illa non habuit.* Idem lib. 7. Saxonix, cap. 7. scribit, Othonem Imperatorem rebellem Ecclesiæ fuisse, & ideo nihil ei prosperum successisse, & tandem in morte summum dolorem, & contritionem ob id peccatum habuisse, adeò, ut etiam iuberet ab infimis famulis domus suæ in signum pœnitentiæ collum sibi pedibus conculcari: quæ certe pœnitentia non Papam, sed Imperatorem errasse docet.


Abbas **VRSBERGENSIS**, item Germanus; & qui tempore Innocentij vixit, & non bene erga eum affectus fuit, quòd studebat Philippo Imperatori, cui Papa aduersabatur? & denique quem solùm Kemnitius citat contra Innocentium; iste, inquam, auctor rectissimè de illo sensit. Nam ubi scribit de Philippo Imperatore, dicit, non esse credendum, quòd Papa voluntatem suam Deo præferre voluerit, licet Philippo aduersaretur, quòd est dicere Papam non malo animo, sed ex aliqua falsa informatione non fauisse Philippo. Et infra loquens de

excom.

excommunicatione Othonis dicit, Othonem contra iuramentum Domino Papæ factū inuasisse hostiliter, & sibi vsurpare voluisse terras S. Petri. Item addit Papam pro bono pacis omnes iniurias tolerare voluisse, & tamen ne sic quidem potuisse flecti Othonis obstinationem. Ibidem dicit Papam vt fortem virum, & in Domino confidentem tria ardua negotia peregrisse, nimirum Othonis depositionem, expeditionem pro auxilio terræ sanctæ, & Concilium generale maximum & Ecclesiæ vtilissimum.

CAPVT XIX.

De caractere sententia Catholicorum.

 VANTVM ad SECVNDVM, sententiam Catholicorum aliquot propositionibus complectemur: quibus comprehendam solutiones omnium questionum, quas Kemnitius attingit, & de quibus dicit, nihil esse certum.

PRIMA: *Signum aliquod spirituale animæ imprimitur in quibusdam Sacramentis, quod character appellatur.* Hæc est omnium Catholicorum in 4. d. 6. & habetur expressè in Conciliis generalibus Florent. in Instructione Armenorum. & Trident. sess. 7. can. 9. Est autem NOTANDVM, Theologos aliquos, vt Durandum in 4. d. 4. q. 1. & Scotum dist. 6. q. 9. & Gabrielem ibidem quæst. 2. admittere quidem characterem, sed quædam docere, quæ videntur facere pro Kemnitio. Primò Durandus dicit, characterem nō esse aliquid reale distinctum ab anima, sed esse solum respectum rationis: tamen ibidem dicit, characterem non esse debere negari, & hoc omnes Theologos dicere. Igitur Durandi dubitatio non est de caractere an sit, sed quid sit. Porro ceteri omnes fatentur characterem esse aliquid reale distinctū ab anima. Scotus dubitat de ratione probandi characterem, ac dicit non posse probari ex aliquo manifesto Scripturæ testimonio, vel etiam ex Patribus: tamen ob Ecclesiæ auctoritatem non dubitat esse certissimum dari characterem. Gabriel dubitat etiam, an Ecclesia id definiert, tamen dicit, esse præsumptuosum negare characterem: his enim verbis vtitur in fine primi dubij. Ceteri omnes non solum Ecclesiæ auctoritate, sed etiam Scripturis, & Patribus, docent characterem

characterem

rafterem probari posse. Nulla ergo fuit inter Scholasticos quæstio, nisi de modo probandi characterem.

Nomen autem characteris acceperunt Scholastici ab Augustino, qui hoc nomine passim utitur: alij enim veteres Augustinum, signum, aut signaculum vocant, non characterem; restamen eadem est. CHARACTER enim Græcè est, & formam significat, seu figuram, & habetur in codice Græco hoc nomen in scripturis Hebr. I. & in codice Latino Apocal. I; licet non de Sacramentis, sed de aliis rebus in illis locis agatur.

SECUNDA propositio: *Character non est relatio, sed absoluta qualitas.* Hęc est communis, Scoto & Durando exceptis. Durandus loco citato, docet characterem esse ens rationis, est, respectum aduenientem ex deputatione ad certum officium, qualis est relatio in Doctoribus, Prætoribus, &c. Quæ sententia vix distinguitur ab hæresi huius temporis, & videtur expressè damnata in Conciliis, quæ si Durandus videre potuisset, sine dubio aliter docuisset. Hæretici enim non negant, neque negare possunt, quin sit aliqua relatio rationis in ministris, quæ non est in aliis, qui non sunt deputati ad ministrandum. Proinde Concilium Tridentinum cum dicit anathema negantibus characterem, & intendit errorem aliquem damnare, sine dubio damnat eos, qui negant realem characterem. Scotus vult esse realem relationem: sed certè vix id defendi potest. Nam character omnium consensu producit per actionem Sacramentalem: relationes autem non producuntur, sed consurgunt ad productionem fundamenti proximi. Præterea quod esset fundamentum huius relationis? num anima? at tunc in omnibus hominibus esset character. Num fides, aut gratia: at sine his character esse potest. Scio Scotum quoddam genus relationis constituere, ad quod actio esse possit. Sed non est mihi propositum ista latius disputare; neque desunt, qui sententiam illam Scoti accuratè refutauerint. Certè nomen ipsum characteris, nonne aliud quàm relationem significat? Denique modus loquendi Patrum, qui dicunt characterem imprimi, & infigi, eo quod nos consecrari, & consignari, absolutam rem nominant. Est igitur character qualitas absoluta, ex qua tamen consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem.

TERTIA propositio: *Character tria habet officia, aptum facere ad cultum diuinum, configurare Christo, & distinguere ab aliis.* Explico: **PRIMUM** officium est aptum facere. Est enim character potestas quaedam spiritualis & supernaturalis, partim actiua, partim passiuua. Nam tria sola Sacramenta imprimunt characterē, Baptismus, Confirmatio, Ordo. Character Baptismatis est passiuua potestas: facit enim hominem aptum ad suscipienda omnia alia Sacramenta, & sine ipso nulla Sacramentorum aliorum susceptio est rata. Character Ordinis est actiua potestas ad ministranda alia Sacramenta. Character Confirmationis habet vtrumque: nam & facit aptum ad alia Sacramenta suscipienda, & facit etiam aptum ad profitendam fidem. Videtur tamen magis principaliter esse actiuus, quam passiuus, character iste Confirmationis. Nam sine isto characterē tenent reliqua Sacramenta, quod non esset, si iste character esset principaliter passiuus, sicut character Baptismi. Est tamen hic **NOTANDVM**, istam potentiam non videri Physicam, sed moralem. Non enim character attingit effectum, sed tantum operari dicitur, quia vbicumque est talis character, Deus ex pacto adest, & concurrit ad effectum supernaturalem producendum, quod non facit, vbi non est talis character:

SECUNDVM officium oritur ex primo. Quia enim ista potentia deriuatur à Christo, & est quaedam quasi participatio potestatis Christi, qui vt summus Sacerdos habet omnem potestatem in Sacramentis, idē character configurat nos Christo, & similiores illi facit, quam sint alij, qui non habent characterem.

TERTIVM officium oritur ex secundo: Quia enim per characterem Christo configuramur speciali quadam ratione, inde fit vt distinguantur isti ab aliis, vt sacerdotes à laicis, & laici confirmati à non confirmatis, & baptizati à non baptizatis. Atq; hinc intelligitur cur Theologi dicant, characterem esse Sacramentum, & rem Sacramenti, cum signum externum sit Sacramentum tantum, gratia autē sit res tantum. Nam character est effectus Sacramenti sensibilis, & sic dicitur res: & simul est signum, quod homo sit consecratus Deo, & Christi miles, &c. immo etiam gratiæ, quæ vel adest, vel adesset, nisi poneretur obex.

QUARTA propositio: *Character Sacramentalis in sola anima*

ma

ma est, tanquam in subiecto. **NOTA**, conuenire omnes, characterem esse in anima in hæsiue. Accidens enim non inhaerere accidente, sed in substantia: tamen potest accidens unum esse in alio duobus modis. **PRIMO**, quia mediante illo est in substantia; quomodo accidentia corporalia sunt in quantitate. **SECUNDO**, quia perficit operationem alicuius alterius accidentis, quomodo fides dicitur esse in intellectu, spes & caritas in voluntate. Hoc modo characterem aliqui ponunt in intellectu, ut necessarium ad exercendos actus intellectus. Alij ponunt in voluntate, quia putant disponere ad charitatem quæ est in voluntate. Alij ponunt simpliciter in substantia animæ, & hoc videtur verius, quia non est habitus, vel potentia operatiua. Vnde Concilia Florentiæ & Tridentiæ dicunt, imprimi in anima.

QUINTA propositio: *Character indelebilis est.* Hæc habetur in Conciliis notatis, & ab omnibus conceditur. Ratio posteriori est, quia constat, Sacramenta quæ imprimunt characterem, non posse repeti. A priori multæ rationes adducuntur, sed potissima est, quia character non habet contrarium, & est in subiecto incorruptibili. Non enim est sicut habitus dei aliarumque virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: vel est sicut potentia secundum quosdam, vel sicut forma, seu figura secundum alios. Accedit quod character est quædam consecratio animæ: consecratio autem tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata.

SEXTA propositio: *Tria solum Sacramenta imprimunt characterem; Baptismus, Confirmatio, Ordo.* Hæc etiam habetur in Conciliis prædictis, & ab omnibus conceditur. Ratio a posteriori eadem est, quæ superioris Conclusionis. A priori difficile est, & minimè necessarium, reddere rationem. Illa potissimum adduci solet, quod in his tribus accipit homo nouam potestatem, ac deputatur nouo ministerio per nouam consecrationem, & quodammodo statum mutat, & proinde accipit nouum signaculum. Nam in Baptismo transit homo à Diabolo ad Christum, & adscribitur in eius familiam, & accipit potestatem participandi Sacramenta, aliaque bona Ecclesiæ Christi. In Confirmatione adscribitur ad militiam Christi, ut gerat vexillum eius in fronte, & accipit robur, & potentiam, ut ex officio pugnet contra dæmones. In Sacramento

mento Ordinis adscribitur in numerum ducum, & præpositorum huius militiæ, & accipit potestatem distribuendi aliis bona Domini sui. In aliis Sacramentis non sit mutatio status, nec deputatur homo nouo ministerio, nec accipit nouam potestatem; sed vel alitur spiritualiter, vt in Eucharistia, vel accipit medicamentum contra morbos, & vulnera peccatorum, vt in Sacramento Pœnitentiæ, vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, vt in Extrema vnctione; vel denique accipit remedium contra concupiscentiam, vt in Matrimonio.

SEPTIMA propositio: *Nec Circumcisio, nec vllum Sacramentum veteri legi imprimebat characterem in anima.* Ita S. Thomas 3. p. q. 63. art. 1. Contrarium sentit Scotus de Circumcisione in 4. d. 6. q. 9. ad 1. sed verior est sententia S. Thomæ: Nam Circumcisio imprimebat in corpore characterem, & eo modo figura erat Baptismi, qui characterem in anima impressurus erat. Præterea character nobis imprimitur ad suscipienda vel ministranda opera supernaturalia: nulla autem opera Sacramentorum legis veteris erant supernaturalia. Denique Scotus, quia docuerat, Circumcisionem ex opere operato conferre gratiam, non sine causa tribuit etiam impressionem characteris Circumcisioni. At nos, qui docemus Circumcisionem nullam vim habuisse ex se, nisi ad præcidendam carnem: debemus etiam consequenter negare vim imprimendi spirituales characterem.

OCTAVA propositio: *Nullus in Christo character fuit creatus.* Est etiam S. Thomæ 3. par. quæst. 63. art. 5. Et ratio est, quia character est quædam participatio sacerdotij Christi, igitur solum est in illis, qui habent hoc sacerdotium per participationem. Item signari caractere, est ouium, seruorum, militum, denique subditorum, qui recipiuntur ab aliquo maiore ad aliquod ministerium; Christus autem est Pastor, Dux, Dominus, &c. Item Christus non accepit vlla Sacramenta, ergo nec eorū characteres. Deniq; nos egemus caractere, vt Deus nobiscum quasi ex pacto concurrat ad actiones Sacramentales; at Christus non eger, vt vllus cum eo ex pacto concurrat, cum sit ipse causa principalis vt Deus, & instrumentalis coniuncta vt homo. Non enim facit vllus pactum tecum, aut cum suo brachio de concursu.

CAPVT

CAPVT XX.

Probatur character ex Scripturis.

VANTVM ad TERTIVM, probandum est ex di-
 nis literis: characterem esse. Vbi interim O
 VANDVM est, non esse mirandum, si non in-
 niantur tot testimonia, & tam expressa de char-
 etere, vt inueniuntur de gratia. Nam gratia est effectus prin-
 palis; character secundarius: item gratia est effectus omnium
 Sacramentorum, character aliquorum tantum; proinde
 ra ratio Sacramenti potest sine characterе consistere. Denique
 notitia gratiæ magis necessaria est, quàm characteris. No-
 desunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi
 possit, præsertim adiuncta explicatione Patrum, & Ecclesiæ
 sine qua nullum dogma Ecclesiasticum omnino certo firmari
 potest.

PRIMUM testimonium est 2. Cor. I. *Qui vnxit nos Deus
 signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hic
 tres effectus ponuntur. Sacramenti confirmationis, in quo
 propriè unguimur, & signamur tum exterius, tum interius.
 PRIMOVNCTIO, quæ sine dubio fit per gratiam gratum fa-
 cientem. Vt enim oleum sanat morbos, reddit robusta mem-
 bra, illustrat, consolatur, &c. ita gratia iustificans facit. SE-
 CUNDO est signum, seu obsignatio quædam, qua consecra-
 mur Deo, & deputamur ad eius cultum; & per hanc intelli-
 gimus characterem, quem Patres Passim signum & sigillum
 vocant. TERTIO pignus spiritus id est, testimonium bonæ
 conscientiæ, quod sequitur iustificationem, & est quod
 arrabo futuræ gloriæ. Nihil enim in hoc mundo iucundius
 testimonio bonæ conscientiæ: hæc est enim pax, quæ exoptat
 omnem sensum. Neque potest responderi per hoc signum
 intelligi ipsum Sacramentum externum, quo obsignantur
 promissiones, vt aduersarij volunt; tum quia Paulus loquitur
 de obsignatione cordis, non corporis, vt etiam de vnctione
 interna, & testimonio interno; tum etiam quia Paulus dicit
 nos obsignari, non promissiones. Alioqui etiam oporteret di-
 cere inungi promissiones; nam eodem modo loquitur Pau-
 las de

lus de signo, & de vñctione. Vide Ambros. lib. I. de Spiritu sancto, cap. 6. Haym. & Theod. in hunc locum.

SECUNDVS locus est Ephes. I. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis.* Vbi Nota illud (credentes) in Græco esse temporis præteriti *πιστεύσατε*, id est, postquam credidistis. Quocirca loquitur de Baptismate, quod datur post fidem; ac dicit in Baptismate dari, obsignationem virtute Spiritus sancti. Et ita exponunt de signaculo, quod accipitur in Baptismo, Græci & Latini, Chrylostomus, Theophylactus, Hieronymus, Haymo, Beda, Anselmus, & alij. Nec possumus dicere hîc agi de obsignatione promissionum ad excitandam fidem, quandoquidem hæc obsignatio datur post fidem.

TERTIVS locus est Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* vbi per diem redemptionis, intelligit diem regenerationis per Baptismum, vt Haymo, & Oecumen. annotarunt Neq; obstat particula illa, *in diem*, quia Apostolus solet vsurpare præpositionem *ἐν*, quæ coniungitur accusatiuo, pro præpositione *ἐν*, quæ coniungitur datiuo apud Græcos, & ablatiuo apud Latinos: vt 2. Tim. vlt. *Saluabit me in regnum suum cæleste*, id est, in regno suo cælesti.

Hæc omnia loca Calvinus in commetario exponit de obsignatione promissionum, quam Deus in cordibus facit, vt fides magis confirmetur. Sed repugnat modus loquendi Apostoli, qui semper dicit, nos obsignari. esset enim nimis impropria, & inusitata loquutio, obsignari hominem, pro eo quod est, obsignari promissiones homini factas.

His accedant figura, & vaticinium Testamēti veteris. Nam Circumcisio fuit figura Baptismi omnium consensu. Circumcisio autem non solum præcidebat carnem, quo significabatur iustificatio à peccato, sed etiam relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium, quo discernebantur Iudæi à non Iudæis. Quod cauterium si quid significabat, certè significabat characterem, quem in anima gerunt Christiani, quo discernemur in æternum à non Christianis. Vaticinium habetur. Isa. 66. vbi loquens Dominus de vocatione gentiū: *Omnes gentes, inquit, & lingue venient, & videbunt gloriam meam,*

S

et po-

et ponam in eis signum, &c. Quamuis enim per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud, tamen non repugnat, si dicamus intelligi characterem: præsertim cum videamus Paulum loqui de signo quodam spiritali in eodem & oporteat Scripturam exponere per Scripturam, cum id fieri potest.

Aliqui addunt aliam figuram ex eod. 12. ubi signantur postes, & superliminaria sanguine agni; & vaticinium Ezechielis *Signa Thau in frontibus gemerum, & dolentium.* Sed haec loca non sunt ad rem. Nam exponuntur à Patribus de signo crucis, quod inscribitur in fronte, & rectè: nam Ezechiel nominat frontem, & idem significat superliminare, quod est in porta domus id, quod est frons in homine. Vnde etià Apoc. 7. videtur similis obsignatio, etiam nominatur frons; *Donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Et præterea in uno quo loco dicuntur saluari omnes signati, & nulli non signati saluari: quod certè non conuenit characteri; multi enim cum characterem damnabuntur, & multi sine characterem saluabuntur. At omnes saluantur, qui signantur, Christi cruce sanguinis id est, quibus applicatur meritum crucifixi, cuius figura est signum crucis; & nulli saluantur quibus hoc meritum non applicatur. Vide de his locis Cyprianum tract. contra Demetrianum Hieronymum in cap. 9. Ezech. Gaudentium tract. in Exod.

CAPVT XXI.

Idem probatur ex Patribus.

DIONYSIVS AREOPAGITA libro de Eccles. hierat. cap. 2 par. 1 dicit, Baptisimum formare hominem ad alia suscipienda Sacramenta. Illam formationem vocamus nos characterem. Idem par. 3, de eo qui baptizatur, ita loquitur: *Hunc inquit, diuina Maiestas sui consortium intus admittit, eiq. lucem suam perinde ac signum aliquod tradit,*

CYRILLVS Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon, describens Baptisimum per effectus eius, vocat regenerationem, remissionem peccatorum, signaculum sanctum & indelebile. Item Catechesi. 4. *Spiritus sanctus, inquit, tempore Baptismi animam tuam obsignat.* & Catechesi 16. *Hic, inquit, ad bo-*

ad hodiernam usq; diem obsignat animas in Baptismo. Vide etiam Catechesim 17.

BASILIVS oratio. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum: *Deus, inquit, sub se militantibus dat resseras, &c.* Et infra: *Quomodo vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signaculum?* Et infra: *Thessaurus non obsignatus facile diripitur à furibus: ouis non signata, citra periculum insidias appetitur:* & infra definiens Baptismū per suos effectus, vocat signaculum inuiolabile.

Gregorius NAZIANZENSIS oratione in sanctum lauacrum, simili phrasi dicit, Baptismum esse sigillum, quo cōseruantur fideles, & quo tanquam signo cognoscimur esse Dei possessio.

CHRYSOSTOMVS hom. 2. in episto. ad Ephes. *Porro idem, inquit, caractere Spiritus sancti nos insigniuit* Et infra: *Signati sunt etiam Israelitæ, sed Circumcisionis nota. ut pecora, nos autem ut filij signati sumus Spiritu sancto.* & homil. 14. nos dicit esse signatos, ut gregem Dominicum.

EPIPHANIVS hæres. 8. quæ est Epicureorum, postquam dixerat, Circumcisionem fuisse carnalem abscissionem, & carnale signaculum, subiungit de Baptismo: *Circumcidit nos à peccatis, & obsignat in nomine Dei.* & hæres. 30. vocat Baptismum signaculum Christi.

AMBROSIVS lib. 1. de Spiritu sancto. cap. 6. *Spiritu, inquit, signamur, ut splendorem, atq; imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est vniq; spirituale signaculum.* Item de ijs, qui initiantur misterijs, cap. 7. *Repete, inquit, quia accepisti signaculum spirituale.*

AVGVSTINVS lib. de Baptismo, cap. 1. dicit in generali Concilio hoc approbatum: *Satis, inquit, eluxit pastoribus Ecclesie Catholice toto orbe diffusa, per quos postea plenarij Concilij auctoritate; originalis consuetudo firmata est, & ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depredatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christiane unitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius, quàm improbari.* Vide eundem epist. 23. 50. & 204 tractat. 5. & 6. in Ioannem, lib. 2. contra epistol. Parmeniani, cap. 13. lib. 2. contra literas Petil. cap. vlt. lib. 1. contra Cresconium, cap. 30. & tract. 5. in epist. Ioan. Similia vide apud Theodo-

terum in cap. 1. 2. ad Cor. Haymonem, Primasium, Anselmum, Theophylactum, Oecumenium in 1. & 4. ad Ephes. Damascenum lib. 4. de fide, cap. 10.

Ad hæc loca solùm responderi posset, à Patribus non dari characterem, seu signaculum id, quod nos dicimus, sed externum symbolum. Nam AVGVSTINVS in sermon. de gen. cum Emerito tria dicit, quæ videntur valde favere huic locutioni. PRIMO dicit, exterius characterem cognosci, & apertum approbari. SECUNDO dicit, quod si Donatus in nomine Donati baptizaretur, Donati characterem infigeret. certe Donati character in anima infixus nullus esse potest. TERTIO dicit, characterem esse ipsam inuocationem Trinitatis, quæ fit in Baptismo: *Attendo, inquit, fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Iste est character Imperatoris mei: de isto caractere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos cõgregabant castris eius, præcepit, dicens: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

RESPONDEO, characterem apud Augustinum, & alios Patres, non posse esse externum symbolum, seu Sacramentum. Nam PRIMO Patres dicunt, hoc signaculum esse in anima non in corpore, vt Cyrillus; vel esse spiritale vt, Ambrosius opponunt cauteiro Circumcisionis, quod erat in corpore. Epiphanius, & Chrysostomus; vel denique esse quandam consecrationem. vt Augustinus lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. Et certe anima consecratur propriè, non corpus, iuxta illud TERTVLLIANI libro de resurrect. carnis: *Caro iniungitur, anima consecratur.* SECUNDO dicunt, hæere, & manere, quod non conuenit symbolo externo, quod non mansit, nisi dum fieret. AVGVSTINVS lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. *Non minus, inquit, hærent Sacramenta Christiana, quàm nota corporali, cū videamus nec apostatas carere illis, quæ propterea illis respicientibus non restituntur, quia amitti non potuerunt.* Idemque habent alij Patres, qui dicunt esse signaculum indelebile, vt Cyrillus, Nazianzenus, & alij. Quò etiam spectant aliæ Augustini loquutiones locis citatis, vbi dicit characterem infigi, imprimi, portari, & alia, quæ non possunt quadrare in actionem transeuntem. TERTIO, si Symbolum externum diceretur à Patribus character, vel signaculum, omnia

omnia Sacramenta imprimerent characterem: omnia enim sunt externa symbola ob signantia promissionem, ut ipsi dicunt. Cur ergo nullus unquam Patrum per Eucharistiam dixit imprimi characterem?

Ad loca autem Augustini contra allata **RESPONDEO**, characterem posse exterius videri, & cognosci, non in se, sed in sua causa. Cum enim cognoscimus aliquem ritè baptizatum, simul cognoscemus illi infixum characterem, quia hic est effectus, qui semper, & necessariò sequitur illà causam. Et quod hoc satis sit, patet; nam etiam actum externum non videmus, postquam transijt; quare nec de externo symbolo Augustinus rectè dicere potuisset, illud videri, & agnosci, quando veniunt ad Ecclesiam, qui fuerant ab hæreticis baptizati.

Ad illud de characterem Donati dico, Augustinum loqui ex hypothesi, non absolutè: vult enim dicere, si Donatus in nomine suo posset Sacramenta conferre, characterem suum imprimeret. Alioqui non ignorabat Augustinus, Baptismum in nomine Donati collatum non modò non imprimeret characterem in anima, sed neque esse Sacramentum externum.

Ad ultimum dico, inuocationem Trinitatis, & ipsum totum externum symbolum dici posse characterem non impressum, sed imprimentem. Ut enim eadem imago est in sigillo, & in cera, sed imago sigilli est character imprimens, in cera est character impressus: ita Sacramentum externum, ac præcipuè forma Sacramenti est character imprimens, cum ad eius collationem mox sequatur character in anima, & ex vi & impressione Sacramenti sequatur.

CAPVT XXII.

Idem ostenditur ratione.

PRIMA ratio sumitur ex diuina liberalitate & consuetudine. Deus enim in hoc differt ab hominibus, quòd homines cum hominibus iniungunt aliquod officium, non tribuunt eis aliquid internum, quo fiant apti ad illud officium; & cum diligunt aliquem non faciunt bonum, & pulchrum, sed diligunt, quia talis est; & cum volunt se ab alijs diligere, aut sibi credi, aut in se sperari,

non tribuunt eis vim aliquam internam, qua diligant, sperent, aut credant Deus autem cum diligit, diligendo facit bonum, & pulchrum, infundendo gratiam: & cum vult sibi credit in se separari, se diligi, infundit habitum fidei, spei, & charitatis. Igitur eodem modo credibile est, cum Deus aliquem deputat & consecrat ad Sacramenta, vel danda, vel recipienda, vel alia ministeria, id non faciat per simplicem deputationem, ut homines facere solent, sed infundendo certas qualitates, quibus illi fiant apti, & idonei ad talia officia, vel ministeria: eas qualitates vocamus characteres.

SECUNDA ratio. Baptismus ex communi sententia, etiam apud Anabaptistas, aliquid Sacramentale confert, etiam si detur, & percipiatur sine fide; Eucharistia, & Absolutio nihil conferunt; igitur aliquem effectum Sacramentalem habet Baptismus, præter gratiam. Et idem argumentum fieri posset de Confirmatione, & Ordine. Probatur antecedens; Nam qui baptizatur ab infidelibus, & communicat cum eis in infidelium, dicitur verè, & propriè baptizatus, si servatus sit debitus ritus, & forma verborum cum intentione; neque id negant Lutherani & Calvinistæ: at qui absoluitur sine fide, non verè absoluitur; & qui sumit Eucharistiam sine fide, non verè communicat corpori Domini, secundum Calvinum: & secundum Catholicos sumit quidem ore verum corpus Domini, sed nihil recipit in anima, nisi peccatum. Manet igitur ex Baptismo effectus aliquis Sacramentalis, qui non est gratia, cum gratia sine fide non detur, nec est ipsa actio exterior, quia illa repetitur etiam in Eucharistia, & Absolutione; est igitur aliquid aliud permanens in anima, & hoc vocamus characterem. Ab eo qui reddant adversarij rationem, cur sine fide homo verè baptizetur, & non verè absoluitur, aut communicet corpori Domini. Et hæc fuit antiqua quæstio Donatistarum, qui non putabant Baptismum habere alium effectum, quam dare gratiam, & idè inanem putabant esse, cum sine fide perciperetur.

TERTIA ratio. Baptismus non potest repeti, si fuerit semel ritè collatus, ut etiam Confirmatio & Ordo: cetera potest repeti, ut notum est de Eucharistia, & Absolutione. Sed vera causa non potest assignari huius discriminis, nisi character; igitur necesse est fateri imprimi per Sacramenta quendam

Charakterem. Maior propositio est recepta ab omnibus, etiam hæreticis huius temporis, exceptis Anabaptistis. Minor probatur; Nam in primis si ponatur character, perspicua erit ratio discriminis. Ideo enim quædam Sacramenta non possunt repeti, quia semel data semper manent in suo effectu: alia repetuntur, quia non manent nec in se, nec in suo effectu; gratia enim, quæ est effectus solus aliorum Sacramentorum, facile potest amitti, & sæpe amittitur. Præterea etiam si aliquando non amittatur, tamen augeri potest, & sic Sacramentum potest repeti, ut gratia augeatur. At character non potest augeri per iterationem Sacramenti eiusdem ADDE, quod gratia non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti tantum: character autem Sacramentum est, & Sacramenti effectus. Hæc igitur ratio rectè ostendit, cur Sacramenta illa non repetantur, & alia repetantur, ut Concil. Florentinum & Tridentinum docent. Si autem hæc ratio non admittatur, nulla alia sufficiens reddi potest quod ostendo ex refutatione earum, quæ adferuntur à Caluino, & Kemnitio.

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 19. dicit, Baptismum non posse repeti, quia est ingressus in Ecclesiam, & initiatio quædam fidei: unde sicut vnus est Deus, in quæ credimus, & vna Ecclesia, in quam ingredimur; ita vnus Baptismus.

Hæc ratio non est solida, PRIMO, quia qui baptizantur ab hæreticis, & eis credunt, non intrant in Ecclesiam, nec iniantur ad fidem, ut patet, cum apud hæreticos, neque sit Ecclesia, neque fides: ergo possent isti iterum baptizari. SECUNDO, quia in Ecclesia Catholica baptizantur, & postea per hæresim, aut apostasiam ab illa discedunt, iterum debent, si salui esse velint, intrare in Ecclesiam, & initiari ad fidem; cur ergo non possunt iterum baptizari? Quare ratio Caluini solum aliquid probaret, si homo baptizatus non posset exire extra Ecclesiam; nec perdere fidem; quæ tamen falsa esse constat. TERTIO, non minus intramus in Ecclesiam, & iniamur ad fidem per verbum, quam per Baptismum: sed verbum repeti potest, ut magis confirmemur in fide, & Ecclesiæ fortiùs ad hæreamus; cur ergo non poterit etiam repeti Baptismus? QUARTO, Ordinatio non est initiatio fidei, neque ingressus in Ecclesiam, & tamen repeti non potest, ut Augustinus docet, lib. 1. de Baptismo, cap. 1.

Iam verò Kemnitius in 2 part. Exam. pag. 133 ponit vñtionem non suo nomine, sed Gabrielis, quòd videlicet diuina institutio sit causa, cur quædam Sacramenta iterari possint, quædam non possint. At hæc ratio parum valet: non enim hanc magna ratione Deus prohiberet rem tã vtilem repeti. Quæ ergo non possunt vllam causam assignare, cur Deus prohibuerit, temerè dicunt Deum prohibuisse. Vnde enim ipsi dicunt Deum id prohibuisse? nam Scripturæ id non apertè dicit. Quod si confugas ad Patrum, & Conciliorum traditionem, illa vtrumque simul docet, nimirum Deum id voluisse, quod Sacramenta quædam imprimunt characterem, alia non imprimunt.

Ipse autem Kemnitius, pag. 136. remittit nos ad alium locum, vbi pollicetur se ex diuinis literis solidissimas rationes redditurum. Id verò præstat postea, pag. 238. 239. & 240. examinans Canonem de Baptismo. Ibi autem ponit quatuor rationes, quas fatetur non esse adeò solidas: deinde alias quatuor solidissimas.

PRIMA igitur ex nõ solidis est, quia Baptismus significat Christi mortem; Christus autem semel tantum mortuus est. Hæc ratio non valet; nam Eucharistia etiam significat Christi mortem, 1. Corinth. II. & tamen repeti potest: & sacrificia Iudæorum significabant omnia Christi mortem, & tamen frequentissime repetebantur. DICENT, non esse hæc similia. Nam per Baptismum nos ipsi commorimur Christo: morimur enim peccato, vt ille mortuus est corporaliter; Contrà; nam vel vtriusque rationis Kemnitij sumitur ex eo, quòd Christi mors, quæ vni fuit per Baptismum representatur, vel quia nos ipsi morimur peccato. Si primum dixerint, ratio nihil concludit, quia quod semel fit, potest sæpius representari, vt patet in comædijs, vbi representatur res semel gesta: & quantum ad hoc, per accidens est, quòd nos etiam moriamur in Baptismo. Si dicant secundum, tunc etiam ratio illa nihil concludit, quia potest idem homo sæpius commori Christo; si nimirum sæpius peccet, & sæpius eum pœniteat peccatorum. Præterea Ordinatio, non est representatio mortis Christi, & tamen repeti non potest. Non igitur vera causa prohibens repetitionem, est representatio mortis Christi.

SECVNDA ratio ex non solidis, quia Ioan. 13. dicitur: Qui

lotus est, nō indiget nisi ut pedes lauet; sed est mundus totus. Hæc non valet, quia loquitur de eo, qui reuera est mundus. Vnde qui post Baptisma iterum factus est immundus, nō prohibetur ex hoc testimonio iterum baptizari.

TERTIA ratio ex non solidis est, quia ad Hebræos 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, renouari iterum ad pœnitentiam*, vbi per illuminationem intelligitur Baptisma. Hæc non valet, quia loquitur Paulus de illis, qui semel sunt illuminati, & renouati, id est, iustificati, vt patet ex illis verbis: *Iterum renouari*. Quare possent ij saltem secundò baptizari, qui in primo Baptismo non fuerunt iustificati.

QUARTA ratio non solida est, quia Ephes. 4. dicitur: *Vnum Baptisma*. Hæc non est solida, quia vnum Baptisma dicitur quia solum Christi Baptisma salutare est, idque vno certo ritu, celebratur. Nam alioqui etiam dicitur vna fides ibidem; & 1 Cor. 12. vnus panis dicitur Eucharistia: & tamen repetimus fidei Confessionem; & Eucharistiæ sumptionem. Etsi quis fidem amittat, potest & debet eam iterum acquirere, & tamen non potest Baptismum iterum accipere.

PRIMA ratio solidissima est, quia pactum Dei nobiscum in Baptismo initum, perpetuum est. Non enim sequitur illam vulgarem regulam Deus: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*. Sed semper ipse seruat pactum suum etiam si nos infideles simus. Roman. 3. *Nunquid infidelitas illorum, fidem Dei euatruat? absit*. Quare cum peccamus post Baptismum, non est opus nouo pacto, sed satis est recurrere ad illud primum iam initum semel in Baptismo.

Hæc ratio minus est solida, quàm superiores. Nam PRIMO Hebræ. 6. Paulus negat posse hominem peccantem post Baptismum redire ad pactum Baptismi. Idem enim non ait: *Impossibile est iterum baptizari*, sed: *Impossibile est iterum renouari*; id est, non potest homo amplius ea facilitate redire ad amicitiam Dei, & remissionem totius culpæ, & pœnæ, vt quōdam in Baptismo, sed eget iam laboriosa pœnitētia, ieiunijs, lachrymis, &c. proinde eget alio pacto Dei multò magis seuero, quàm esset illud primum.

SECUNDO, cum quis sine fide baptizatur, non facit Deus pactum cum illo vllum: pactum enim est inter duos consentientes. Vnde etiā Kemnitius dicit, per Baptismum non solum

offerri, sed etiam exhiberi, applicari, & dari gratiam. At certe non applicatur, nec datur ei, qui non credit: igitur saltem possent rebaptizari secundum istam rationem illi, qui sine fide Baptismum acceperunt, quod falsum esse ipsi quoque concedunt.

TERTIO, sicut Baptismus est pactum, ita etiam verbum Dei ac praesertim secundum aduersarios, qui dicunt eodem profus modo se habere in iustificatione verbum & Sacramentum. At verbum quotidie repetitur.

QUARTO, Eucharistia non minus continet pactum Dei quam Baptismus, & tamen repeti potest.

DENIQUE falsum est, pactum Dei esse perpetuum illi, qui Deo fidem frangit ita ut promissio seruanda sit, qualem cuique se praebet is, cui promissio facta est. Nam promissiones Dei sunt conditionatae: promittit enim se fore patrem, & sponsum in Baptismo, si nos perseueremus esse filij, & sponsi, alioqui dicit idem Deus. Hierem. 18. *Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo iuragam, & ego poenitentiam, quod cogitavi, ut facerem ei: & habitum loquar de gente, & de regno, ut edificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, poenitentiam agam super bono quod loquutus sum, ut facerem ei.* Quod autem Kemnitius adducit ex Rom. 3. *Nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit?* intelligitur de promissionibus absolutis, qualis erat de Messia mittendo: sed non talis est promissio in Baptismo. Nam, ut minimum, pendet ex fide recipientis, ut ipsi docent, proinde non est absoluta.

SECUNDA ratio solidissima, Kemnitij est, quia de Baptismo nusquam scriptum est, ut repetatur: de alijs scriptum est, ut de Eucharistia, 1. Corinth. 11. *Quotiescunque feceritis.* Et de Poenitentia, Matth. 18, *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* At neque haec ratio multum valet. Nam ut omittam, quod locus Matthaej non intelligitur de Sacramento Poenitentiae, sed de condonatione iniuriarum, possumus Kemnitio respondere, quod respondit Lutherus Carolstadio, in libro contra caelestes Prophetas, de nomine Sacram. non esse quidem scriptum, ut Baptismus repetatur, sed neque esse scriptum, ut non repetatur. Et sicut AUGUSTINVS libro 7. Trinit. cap. 4. dicit de nomine trium personarum: *Dicimus in Deo.*

Deo tres personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit: ita & nos possemus rebaptizare, non quia Scriptura dicit, sed quia non cōtradicit, & res est bona, & ytilissima Baptismus, si non esset periculum sacrilegij ob characterem iam impressum.

TERTIA ratio solidissima est, quia non habemus exemplum in Scripturis Anabaptismi; & præterea Circumcisio, quæ est figura Baptismi, tantum semel recipiebatur. At hæc est similis superiori. Nam in Scriptura non habemus etiam exemplum alicuius, qui fuerit prohibitus baptizari; immò secundum aduersarios habemus exemplū Anabaptismi. Nam Actor. 19. Paulus iussit baptizari eos, qui fuerant a Ioanne Baptista baptizati: & secundum Lutheranos omnes; & ipsum Kemnitium, eadem erat vis, & efficacia Baptismi Christi, & Ioannis. Si igitur solum exempla Scripturæ queramus, oporteret omninò rebaptizare. Deberent itaque aduersarij aperire oculos, & intelligere post Baptisma Ioannis potuisse rebaptizari, quia illud non habuit effectum in anima indelebilem, ut habet Christi Baptisma. Si respiciamus exempla Patrum, deberent Lutherani omninò rebaptizare. Nam Cyprianus, & alij Africani, nec non plurimi in Asia rebaptizabant; resistebat autem illis Romana Ecclesia, quæ nolēbat rebaptizari, ut patet ex Eusebio, libro 7. histor. Quare aduersarij non sequuntur potiùs Africanos, & Asiaticos Patres in hac re, quam Romanam Ecclesiam, ut in alijs omnibus rebus facere solent? Quod autem de Circumcisione Kemnitius profert, pro nobis est. Nam ideò Circumcisio non repetebatur, quia imprimebat in carne indelebilem characterem.

QUARTA ratio solidissima est, quia per Baptismum nascimur spiritualiter. Vna autem tantum est natiuitas spiritalis, ut vna est natiuitas corporalis. Vnde Nicodemus, Ioan. 3. *Quomodo potest, inquit, homo nasci, cum sit senex?* Et rectè iudicabat de natiuitate corporali. Hanc rationem Kemnitius furatus est Catholicis: eam em̄ habet sanctus Thomas, 3. part. quæst. 66. articulo 9. Sed hoc interest inter Catholicos, & Kemnitium, quod Catholici ea utuntur, ut congruentia quadam; & simul notant veram causam, quæ est impressio
chara

characteris. Quam solam, vt veram, & solidam posuit Concilium Florentinum, & Tridentinum, supra citatum. At Kenotius explosa vera causa, amplectitur istam congruentiam vt solidissimam rationem.

Ostendam igitur & hanc rationem non esse solidam. Nam **IN PRIMIS** homo non solum per Baptismum, sed etiam per fidem, & verbum Dei generatur spiritualiter, vt aduersarij concedunt, & patet ex Paulo, 1 Corinth. 4. *Per Euangelium ego vos genui.* & tamen fidei actus, & conciones sapere repetuntur. Præterea **SECUNDO**, etiam si generatio corporalis vna tantum sit naturaliter, tamen supernaturaliter potest repeti, immò re ipsa repetitur in resurrectione, quam Dominus vocat regenerationem, Matthæj 19. Cum ergo Baptismus sit generatio supernaturalis, quid prohibet eum repeti? **TERTIO**, etiam si generatio corporalis nullo modo potest repeti, tamen non eadem est ratio spiritualis generationis. Nam vt mors corporalis vna tantum est, ita natiuitas corporalis. At mors spiritualis multiplex est, vt patet: cur igitur non possit etiam multiplex esse spiritualis generatio? **QUARTO** Ordinatio non est generatio, & tamen non potest repeti. **DENIQUE**, qui sine fide baptizantur, reuera non regenerantur, & tamen rebaptizari non possunt: & contra, qui sunt regenerati ante Baptismum per fidem, & contritionem, & desiderium Baptismi, nihilominus postea baptizantur, vt patet de Cornelio, Actor. 10. Non igitur illa est ratio.





CONTROVERSI A QVINTA.

De numero & ordine Sacra- mentorum.



CONTROVERSI A QVINTA, QVÆ
est de numero Sacramentorum, quatuor
habet partes. Nam PRIMO expone-
mus hereticorum sententias. SECUN-
DO probabimus Ecclesiæ Catholicæ veritatem. TER-
TIO refellemus argumenta aduersariorum. QVARTO
addemus per modum appendicis aliquid de ordine
Sacramentorum.

CAPVT XXIII.

Quid heretici sentiant de numero Sacramentorum.



QVOD ad PRIMVM, aduersarij inter se multum dis-
sentiunt de numero Sacramentorum, quibus om-
nibus viam strauit Lutherus in libro de captiuita-
te Babylonica. Nam in eo libello anno XX. edito, multa do-
cuit. Initio libri dicit, vnum tantum esse Sacramentum, si se-
cundum vsum Scripturæ loquendum sit. Ibidem tamen di-
cit, neganda esse septem Sacramenta, & tria pro tempore po-
nenda, Baptismum, Panem, & Pœnitentiam. In fine libri di-
cit, si rigide loqui velimus, duo esse Sacramenta, Baptismum,
& Panem. In medio libri, cap. de Confirmatione dicit, se non
damnare septem Sacramenta, sed tantum negare ea ex Scri-
pturis probari posse. At non bene hoc cohæret cum initio li-
bri.

bri, vbi dicit, neganda esse septem, & tria ponenda: non enim aliud est damnare, aliud negare septem Sacramēta. Ex hac constantia Lutheri natae sunt variae Lutheranorum atque aliorum haereticorum sententiae, quas breuiter enumerabo.

PRIMA igitur est, vnum tantum esse Sacramentum, quiauis plura sint Sacramentalia signa. Ita Lutherus loco citato, Sed non habuit in hac opinione sectatores: omnes enim alij plura ponunt, & secundum vsū Scripturæ ea ponenda putant.

SECUNDA opinio est eorum, qui tantum duo numerant Sacramenta proprie dicta, Baptismum, & Eucharistiā. Hæc ut dixi, Lutherus indicauit, in lib. de captiuit. Babylon. Idem sensit Philippus in locis anni XXI. & XXII. cap. de signis, & solum ista duo agnoscit. Idem Illyricus in Confess. Antuerpensi, cap. 11. de Sacramentis, & cap. 18. de Absolutione; Nicolaus Selneccerus in 2. part. suæ pædagogicæ, cap. de Sacramentis, & Kemnitius in 2. part. Exam. cap. de numero Sacramentorum, pag. 12. & sequentibus.

TERTIA opinio est eorum, qui tria Sacramenta numerant, Baptismum, Eucharistiā, & Pœnitentiā. Hæc est communior, & magis recepta apud Lutheranos. Nam imprimis Lutherus etiam si rigide duo tantum esse voluerit, in libro de captiuit. Babylon. tamen etiam tria esse dixit ibidem, & hoc semper postea repetiuit, vt anno XXIII. in libro ad Pragenses de instituendis ministris, & anno XXXIV. in libro de Mithæ priuata, & denique anno XLV. qui fuit penultimus vitæ ipsius, in assertionibus contra Louanienses. Sic enim habet assertio 35. *Pœnitentiā cum virtute clauium Absoluentium Sacramentum libenter confitemur: habet enim promissionem et fidem remissionis peccatorum propter Christum.* Idem habet ferè omnes Catechismi Lutheranorum, vt Catechismi Philippi, Brentij, & aliorum. Item libri rituales, seu agenda ipsorum, & denique Apologia Confessionis Augustanæ, art. 11.

Vbi NOTANDVM est, Illyricum, & Kemnitium non potest defendi à periurio, & defectione à Confessione Augustana. Nam vt refert Tilemanus Heshusius, in libro de præsentia Corporis Christi in cœna, iurant omnes apud Lutheranos in verba Confess. & Apologiæ, qui promouentur ad gradus, vel pastoratum, Sed respondent Illyricus in Apologia Confess. Antu.

Antuerpien. cap. 18. & Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 44. & 903. Apologiam Confessionis largo modo appellasse Pœnitentiam Sacramentum, non quòd sit verè, & propriè Sacramentum. At solutio non valet; nam Apologia habet hæc verba: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent Dei mandatum, & quibus est addita promissio gratiæ, facillè est iudicare, quæ sint propriè Sacramenta.* Et paulò pòst applicans definitionè: *Verè igitur, inquit, sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ; nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionè gratiæ.* Hæc ibi Præterea idèd solùm Kemnitius notè vult Absolutionem esse propriè Sacramentum, quia non habet ritum à Deo præceptum: At Apologia profitetur Absolutione habet ritum à Deo præceptum: igitur ex sententia Apologiæ Absolutio est verissimum Sacramentum.

QUARTA opinio est Zvinglij, in libro de vera, & falsa religione. Nam cap. de Sacramentis, duo esse docet Sacramenta; Baptismum, & Cœnam, tamen cap: de Matrimonio, addit etiam Matrimonium. Verum est quidem non libenter à Zvingliò Matrimonium vocari Sacramentum, sed causa non est, quòd putet, Sacramenti definitionem non conuenire Matrimonio, sed quia timet, ne Sacramenti vocabulo obscuretur, & inquinetur dignitas Matrimonij, dicit enim esse vocabulum multò illustrius Matrimonij, seu coniugij, quàm Sacramenti.

QUINTA opinio est Caluini, qui tria Sacramenta numerat, sed non eadem cum Luthero, & Zvinglio: vult enim Sacramenta esse Baptismum, Cœnam Domini, & Ordinationem. Etsi enim lib. 4. Institut cap. 18. §. 19. & 20. duo tantùm esse dicat Sacramenta, Baptismum, & Cœnam, tamen paulò pòst, cap. 19. §. 31. sicut & antea, cap. 14. & §. 20. etiam Ordinationem inter vera Sacramenta numerat, ac monet, se, cùm tantùm duo esse dicit, loqui de Sacramentis ordinarijs, & toti Ecclesiæ communibus. Hinc etiam in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 7. can. 1. quatuor tantùm Sacramenta rejicit à numero Sacramentorum; Confirmationem, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, & Matrimonium. Proinde tria reliqua admittit.

SIXTA opinio composita ex Lutherismo & Calvinismo. est alio-

est aliorum, qui quatuor Sacramenta recipiunt, Baptismum
 Coenam, Pœnitentiam, & Ordinationem. Hæc est Philippi
 qui licet cum Luthero primò posuerit duo tantùm Sacra-
 menta, & postea tria: tamen in locis editis, anno XXXVI
 LII. & LVIII. quæ fuit vltima editio, habet hæc verba in
 de numero Sacramentorum: *Mihi maxime placet etiam
 di Ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad mem-
 rium Euangelij; quia hæc etiam mandato Euangelico pre-
 pitur. & addita est promissio, &c.* ac toto capite fusè probat
 Ordinationem esse Sacramentum, ac proinde quatuor
 Sacramenta Eandem sententiam habet Lucas Lossius in
 techismo, edito anno LVII. nam in eo, quem ediderat an-
 LIV. tantùm tria posuerat.

SEPTIMA opinio composita, ex Lutherismo, Caluinismo,
 Zvinglianismo non apertè, sed obscurè fuit Philippi Nam
 locis vltimò editis, anno LVII. licet quatuor tantùm facit
 Sacramenta, tamen propendebat maximè ad quintum adde-
 dum, id est, Matrimonium cum Zvinglio: Faretur enim Ma-
 trimonium esse signum rei sacræ, & habere mandatum di-
 num, & habere annexam promissionem. Vnum tantùm
 ei deesse, quod fuerit ante Christum. At hoc non debuit
 impedire, quò minus Matrimonium faceret Sacramentum
 nam Baptismus Ioannis ex sententia ipsius fuit verissimum Sa-
 cramentum, & idem cum nostro Baptismo, & tamen fuit ante
 te Christum. Sicut igitur Baptismus vult esse Sacramentum
 quia a Christo receptum, & confirmatum, cur non eadem
 tione & Matrimonium?

OCTAVA opinio est, sex esse Sacramenta. Hanc tribuit
 danus in tabulis analyticis Gulielmo Postello in sua Panthe-
 nosia: qui tamen vir postea Catholicè obiit.

NONA opinio est, septem esse Sacramenta. Licet enim
 de Catholica nos teneamus, septem esse Sacramenta: illis
 men hæc sententia, opinio, non fides esse potest: qui enim
 vno articulo hæreticus est, fide simpliciter caret. Est igitur
 opinio hæc aliquorum Lutheranorum, quibus placuit, quòd
 Lutherus initio dixerat, se non damnare septem Sacramen-
 ta; licet ibidem etiam dixerit, se negare septem Sacramen-
 ta. Scribit Ioannes Sleidanus, lib. 20. histor. biennio post obitum
 Lutheri, id est, anno XLVIII. in quodam Lipsensi Concilio
 bulo,

bulo, determinatum fuisse, Confirmationem, & Extremam
unctionem esse ritus conferentes gratiam, atque ad eò septem
Sacramenta recipienda esse. In quo Conciliabulo interfuisse
Theologos multos Wirtenbergenses, ac Lipsenses, & cum iis
Philippum Melanchthonem; ac tum primùm cœpisse hos;
molles Lutheranos appellari scribit Surius in sua hist. anni
XLVII. Vnde Matthias Illyricus in libro qui inscribitur, Ad-
hortatio Illyrici ad constantiam in agnita Iesu Christi religio-
ne, & Augustana Confessione; queritur, quod in Lipsensi In-
terim (sic enim appellatur) septem Papistarum Sacramenta
restituuntur. Et præfatione septimæ Centuriæ, Hæsiarchas
appellare non dubitat principes mollium, seu pollicorum
Lutheranorum.

Ex his colligere licet P R I M O, miram fuisse inconstantiam
Lutheri, & Philippi præceptorum patrum Lutheranorum, id-
que in re grauissima. S E C V N D O, non posse apud aduersarios
veram Ecclesiam esse. Nam nota præcipua veræ Ecclesiæ apud
eos est consensus in doctrina Sacramentorum. Ita enim habet
Lutherus in libro de notis Ecclesiæ, & Confess. Augusta-
na, & Apolog. artic. 7. Ipsi autem ita conueniunt, vt ad-
huc non potuerint Sacramenta communi consensu enume-
rare. Quod si quisque eorum ad se solum trahat Ecclesi-
am, mirum, si non pudeat eum suæ paucitatis. Hinc etiam
T E R T I O colligitur, non posse diu durare eiusmodi hæreses.
Nam omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur. Vnde
Lutherus ipse hoc annotauit in Psalm. 5. Nulli, inquit, *hæreti-
ci victi sunt vi, aut astu, sed mutua dissensione; nec aliter cum
eis pugnat Christus, quam misso inter eos spiritu vertiginis,
& dissensionis, sicut inter Sichimitas, Iud. 9. & inter Baby-
lonicæ turris operarios, Gen. ix. & in noua lege, inter Arianos,
Donatistas, & Pelagianos.* Hæc ille. Quod idem multò antè
scripsit Hilarius, lib. 7. de Trinitate.

CAPVT XXIV.

*Ex Scripturis, & Patribus probatur veritas Ca-
tholica de numero septenario Sacramentorum.*



VANTVM ad S E C V N D V M, sententia Catholico-
rum vna est, ac semper fuit, septem esse propriè di-
cta Sacramenta; quæ probanda est tripliciter. P R I-

T

M O,

mo, ex testimoniis Scripturæ, & Patrum, quæ quidem non numerant Sacramenta, tamen re ipsa omnia ista septem sacramenta vera, & propria esse restantur. **SECUNDO**, ex testimoniis aliis Conciliorum, & Doctorum, quæ præcisè numerum istum septenarium ponunt. **TERTIO**, rationibus congruentiis quibusdam.

Quantum ad **PRIMUM** genus testimoniorum, notanda sunt tria. **PRIMO**, non debere aduersarios petere, ut ostendamus in Scripturis, aut Patribus nomen septenarij numerum sacramentorum. Nam nec ipsi ostendere possunt nomen binarij, vel ternarij, vel quaternarij: Scriptura enim, & Patres non scripserunt Catechismum, ut modò facimus propter hæresium multitudinem, sed tantùm tradunt res ipsas variis in locis. Neque est hoc proprium Sacramentis, sed cõmune aliis multis rebus. Nam Scriptura refert Christi miracula, & nunquam numerat quot sint: tradit articulos fidei, & nusquam dicit quot sint. Apostoli postea ediderunt symbolum duodecim articulorum certis de causis. Sic etiam ex Scriptura non potest sciri, quot sint libri Canonici: sed Concilia postea ediderunt Canonem, & certum numerum, quem ex traditione didicerant.

SECUNDO notandum, non debere etiam aduersarios petere, ut ostendamus in Scripturis nomen Sacramenti attributum Confessioni aut Ordinationi, & similibus. Nam non disputamus de nomine, sed de re: & nec ipsi ostendent hoc nomen tributum Baptismo, aut Eucharistiæ, sed soli Matrimonio, quod tamen ferè omnes hæretici negant esse verum sacramentum. Et contra inuenimus nomen Sacramenti in Scripturis tribui multis rebus, quæ omnium consensu non sunt Sacramenta, de qualibus nunc agimus; ut Ephes. 1. propositum vocandi Gentiles ad fidem, dicitur Sacramentum voluntatis Dei. Et 1. Timoth. 3. Sacramentum pietatis dicitur incarnatio Verbi. Et Apocal. 17. dicitur, Sacramentum mulieris, signum quoddam impressum in fronte mulieris, quæ Babiloniam representabat.

TERTIO notandum, id omninò sufficere, si ostendamus ex Scripturis, & Patribus definitionem Sacramenti conuenientibus non paucioribus, nec pluribus, quam septem. Licet autem non conueniamus in explicanda definitione Sacramenti

menti (vt supra fuse ostendimus lib. i. in secunda controuer-
sia) tamen convenimus in definitione quadam generali; ni-
mirum quod Sacramenta sint ritus, seu signa externa, & sen-
sibilia; quæ ex diuina institutione annexam habeant promif-
sionem gratiæ iustificantis. His notatis accedamus ad proba-
tionem.

Quod Baptismus sit Sacramentum.

AC primùm de Baptismo nulla quæstio est. Est enim ritus
expressus: *Lauacrum aquæ in verbo vitæ*, Ephes. 5. & in-
stitutio, ac mandatum, Ioan. 3. *Nisi quis renatus*. Et Marc. ult.
Baptizantes eos. Et promissio gratiæ, Matth. ult. *Qui credi-
derit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. Et Tit. 3. *Saluos nos fe-
cit per lauacrum*. Idem docent omnes Patres supra citati in
quæstione de effectu Sacramentorum.

Quod Eucharistia sit Sacramentum.

DE Eucharistia etiam nulla quæstio est; habetur enim ri-
tus, Matth. 26. & 1. Cor. 11. *Acceptit panem, gratias a-
gens, fregit, &c.* Et institutio, ac mandatum ibidem: *Hoc fa-
cite*. Et Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* Et promissio gra-
tiæ, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum*.
Idem etiam Patres docent; Augustinus epistola 118. cap. 1. ubi
cum dixisset, Christum instituisse Sacramenta numero pau-
cissima, significatione præstantissima, obseruatione facillima,
ponit loco exempli Baptismum, & Eucharistiam.

Quod Confirmatio sit Sacramentum.

DE Confirmatione habemus ritum externum, manuum
impositionem, Actor. 8. & 19. Habemus effectum gratiæ
ibidem. Nam per manus Apostolorum dabatur Spiritus san-
ctus. eadem phrasi qua dictum est, Tit. 3. de Baptismo: *Per la-
uacrum regenerationis saluos nos fecit*. Institutio, & manda-
tum non habetur expressè in Scriptura; tamen colligitur eui-
denter ex locis citatis. Nunquam enim Apostoli ita confiden-
ter, & ordinariè imposuissent manus ad gratiam Spiritus san-
cti comunicandam, nisi Dominus id præcepisset. Non enim
ignorabant non posse vllum hominem instituere cæremo-
niam, ad quam sequeretur gratia Spiritus sancti. Nam etiam
T 2 Kem-

Kemnitius in 2. parte Examiniis, pag. 13. & Apologia Confessionis Augustanae, art. 13. & Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 1. affirmant; non posse vllum hominem efficere, vt externum symbolum contineat certam promissionem gratiae. Proinde oportet vel Apostolos fuisse temerarios, quod nemo dicere vel habuisse Christi mandatum. Fuisse autem caeremoniam illam ordinariam, & necessariam, & non satis fuisse orare Deum pro aduentu Spiritus sancti, ex eo colligitur, quod Apostoli primarij Petrus, & Ioannes tantum laboris, & itineris suscepunt, vt irent ex Hierosolyma in Samariam, ad impositas manus iis, quos Philippus Diaconus baptizauerat. Nam orare poterant pro illis manentes Hierosolyma.

Est autem NOTANDUM, impositionem manuum coniunctam fuisse cum vnctione & signo crucis: simul enim habentur dum crucis signum Chrysmate pingitur in fronte confirmatorum, idque ministerio manus Episcopalis. Vnde DIONYSIVS libro de Ecclesiastica Hierarch. cap. 2. part. 3. & cap. 4. part. 3. meminit apertè Chrysmatis in hoc Sacramento. TERTULLIANVS libro de resurrectione carnis, vbi ponit Confirmationem in eodem ordine: cum Baptismo, & Eucharistia: *Caro abluitur, inquit, vt anima emaculetur; sanguis tingitur, vt anima consecretur, &c.* Et de praescript. haereticorum, docens diabolum imitari Sacramenta Christiana, ponit exemplum in his duobus: *Tingit, inquit, & ipse quosdam vnique credentes, & fideles suos; signat illic in fronte milites suos.* Et in libro de Baptismo: *De hinc, inquit, manus imponitur per benedictionem, prouocans, & inuitans Spiritum sanctum.* Vbi vides Tertullianum antiquissimum auctorem omnia tria ponere, vnctionem, signum crucis in fronte, & manus impositionem.

Item CYPRIANVS lib. 1. epist. 12. & lib. 2. epist. 1. modo vocat vnctionem modò manus impositionem, & praeterea vocat apertè Sacramentum. Nam sic ait lib. 2. epist. 1. de Baptismo, & Confirmatione loquens: *Tunc plenè sanctificari, & esse Filij Dei possunt, si Sacramento vtroque nascantur.*

AUGUSTINVS lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. Sacramentum, inquit, Chrysmati in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.

De

De Pœnitentiâ.

Ioan. 20. Quorum remisit peccata, remittuntur eis, & quorum retinuerit, retenta sunt. Hic habemus PRIMORITUM, nimirum externum, & iudiciale absoluionem, quæ est signum interioris, quæ fit à Deo per verbû externum, tanquam instrumentum. SECUNDO habemus promissionem gratiæ: Remittuntur eis. TERTIO habemus mandatum ibidem: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Vnde Apostolus, 2. Cor. 5. Deus, inquit, dedit nobis ministerium reconciliationis. Et infra: Pro Christo legatione fungimur.

AMBROSIVS libro 1. de Pœnitentiâ, cap. 7. Quid interest, utrum per Pœnitentiâ, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentiâ? nõnne Dei nomen operatur?

CYRILLVS lib. 12. in Ioan. cap. 56. comparat reconciliationem pœnitentium cum Baptismo.

AVGVSTINVS libro 5. de Baptismo, cap. 20. numerat cum Baptismo, Eucharistia, & Confirmatione, etiam Reconciliationem, per manus impositionem, & in Psal. 146. in illud: Qui alligat contritiones eorum, disertis verbis Sacramentum, appellat reconciliationem pœnitentium: Quæ sunt, inquit, ista alligamenta? temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem. Et infra: Hæc Sacramenta esse dicit Eucharistiam, & manus impositionem Præpositi in Pœnitentiâ, quæ in cœlo non erunt.

De Extrema vnctione.

Iacobi 5. habemus ritum: Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Item promissionem: Et alleviabit eum Dominus. & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Denique mandatum colligitur euidenter ex eo, quod Apostolus non auderet ita absolute promittere tantum effectum, nisi à Domino id accepisset, ut supra ostendimus etiam testimonio Apologiæ, Caluini & Kemnitij

Ex Patribus, INNOCENTIUS I. in epist. ad Decentium, cap. 8. loquens de oleo sancto infirmorum: Pœnitentibus, T 3 inquit,

inquit, istud infundi non potest, quia genus est Sacramentum. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo etiam genus putatur posse concedi?

BERNARDVS in vita S. Malachiae, scribit eum vocari ut foeminam morituram inungeret, sed dum differret, vixit illam expirasse; Malachiam autem vehementer doluisse, et sine gratia Sacramenti huius obiisset; itaque tam diu oravit ac fleuisset, donec eam a mortuis reuocauit, & tum deum eam vixisse, & eam omnino conualuisse: *Vixit eam, inquit, sciens in hoc Sacramento remitti peccata.*

De ordinis Sacramento.

Habemus ritum externum, manus impositionem, 1. Tim. 4. Item promissionem gratiae ibidem: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri.* Et 2. Timoth. 1. *Admonens ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Denique institutio, & mandatum, Ephes. *Ipsa dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, Pastores, & Doctores, &c.* Et praeterea, vnde sciebat Apostolus datam esse Timotheo gratiam per impositionem manuum, si a Deo non didicerat, eo signo conferri gratiam?

AVGVSTINVS lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 1. loquens de Baptismo, & Ordinatione: *Vtrumque, inquit, sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Itaque Catholica Ecclesia, vtrumque non licet reiterare. Similiter bet lib. 1. de Baptismo, cap. 1.

De Matrimonio.

Habemus nomen ipsum Sacramenti, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Item ritum externum, id est contractum visibilem inter virum, & foeminam: de hoc enim Apostolus dicit, quod sit magnum Sacramentum, ut exponit Chrysostomus, & Hieronymus in hunc locum, qui etiam Nazianzenum citat, & omnes alij. Habemus etiam institutionem diuinam, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Denique gratiam annexam colligimus ex hoc ipso loco Pauli. Nam coniunctio viri, & foeminae, significat coniunctio-

iunctionem Christi cum Ecclesia. Illa autem coniunctio duplex est; una per naturæ conformitatem, quæ facta est in incarnatione, & hæc Christum coniungit non solum cum Ecclesia, sed etiam cum toto genere humano: altera est per gratiam, & charitatem, & hæc est cum sola Ecclesia; & ratione huius dicitur Christus sponsus, & Ecclesia sponsa, iuxta illud, 2. Corinth. 10; *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Igitur Matrimonium viri, & scemina, ut possit significare utramque unionem Christi cum Ecclesia oportet ut non solum sit inter coniuges unio quædam naturalis, & carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur, sed etiam unio spiritualis ex gratia, & charitate proveniens. Proinde Sacramentum hoc gratiam istam confert, ut significatio sit perfecta. Quare Paulus Ephes. 5. sæpe monet viros, ut diligant uxores, sicut Christus Ecclesiam, & sceminas monet, ut viris subiectæ sint, sicut Ecclesia subiecta est Christo: & rationem reddit, quia hæc eorum coniunctio, Sacramentum est Christi, & Ecclesiæ.

Iam ex Patribus, AUGUSTINVS passim hoc docet, lib. de bono coniugali, cap. 18. *In nostrorum, inquit, nuptiu plus valet sanctitas Sacramenti, quam secunditas uteri*. Et cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, & omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatu: quod autem ad populum Dei attinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam intercedente repudio alteri nubere*. Atque hæc hoc loco sufficient: nam in disputatione de singulis Sacramentis plura adferemus.

Lotionem pedum non esse Sacramentum.

Nunc superest demonstrare, non esse plura Sacramenta, quam septem prædicta. Et quidem multa dicuntur a veteribus Sacramenta, præter ista septem. Nam Alexander I. Papi in epist. 1. vocat aquam benedictam Sacramentum. Augustinus lib. 19. contra Faustū, cap. 14. & in Psal. 141. signum crucis vocat Sacramentum, & in Psal. 65. ac lib. 4. de symbolo, cap. 1. vocat Sacramenta cæremonias, quæ fiunt ante Baptismum, ut exorcismos, & similia, & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. vocat Sacramentum panem quendam benedictum, qui dabatur Catechumenis. Deniq; Ambrosius lib. 1. de

Sacramentis, cap. 1. & Cyprianus in serm. de ablutione pedum & Bernardus in serm. de cœna Domini contendunt ablu-
nem pedum, quam Dominus instituit, Ioan. 13. Sacramentum
esse. SED ex his omnibus nihil est, quod habeat difficultatem
præter vltimum. Nam IN PRIMIS nec aqua benedicta, ne
signum crucis, nec panis benedictus, nec exorcismi, & alie
remonie Baptismum præcedentes in Scripturis inveniuntur
proinde non possunt aduersarij ea pro Sacramentis habere
DEINDE illa omnia dantur etiam ante Baptismum, vt ead-
dem locis Augustini constat; At Baptismus omnium confes-
sio est, omnium Sacramentorum primum, & quasi ianua. De
QUE nihil eorum habet promissionem gratiæ gratum facer-
tis; neque constat an a Christo instituta sint, an ab Apostolo
cùm tamen vera Sacramenta à solo Christo institui potuerunt.

De lotionem pedum videtur maior difficultas. Nam habet
mus Ioan. 13. ritum externum, ipsam pedum lotionem, non
promissionem gratiæ: *Si non lauero te, non habebis partem
mecum.* Item mandatum Dei: *Exemplum dedi vobis. Item
Et vos debetis alter alterius lauare pedes* Item esse mysterium
inducant illa verba: *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem
postea.* Denique testimonia illa Patrum, Ambrosij, Cypri-
ani, Bernardi; cuius testimoniũ adducit Kemnitius, pag. 14. et
probandum, Sacramenta esse plura, quam septem, si testi-
moniis Patrum standum sit.

RESPONDEO tamen, lotionem illam pedum, nihil ha-
buisse commune cum Sacramentis propriè dictis, & solè
posse dici Sacramentum largo modo, quemadmodum Sacra-
menta dicuntur omnia, quæ mysticum sensum habent, & fi-
guræ sunt, ac typi aliarum rerum. Nam fuit reuera lotio
signum Christi humilitatis, & charitatis. Item fuit signum pe-
nitentiæ, qua debent homines ad Eucharistiam accedere: sed
enim immediatè ante Eucharistiæ institutionem Christus
hoc fecit. Denique fuit etiam signum, & figura quædam pur-
gationis, quam eramus habituri per Christi passionem, vt Cy-
rillus hoc loco exponit.

Non fuisse autem Sacramentum propriè dictum, patet
PRIMO, quia non habemus promissionem gratiæ iustifican-
tis; illud enim: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* ad
literam non promittit gratiam, sed minatur penam obia-
ob.

obedientiam, vt exponunt hoc loco Chrylostomus, & Cyrillus, & Basilius lib. 1. de Baptismo, cap. 2. Si enim Petrus obstinatè recusasset illam lotionem, perisset in æternum non quia illi deerat lotio pedum, sed quia peccauerat contra Christum, & deerat illi obedientia. Mystice tamen significare potest, vt exponit hoc loco Augustinus, etiam iustos indigere, vt Christus eos quotidie lauet a peccatis venialibus, quæ sunt veluti fordes, quæ pedibus adhærent ob humanam conuersationem. Sed hoc non sufficit ad Sacramentum efficiendum, quia hic agitur de lotionem peccatorum venialium, quæ non eget noua gratia gratum faciente. Vnde Dominus ait: *Qui lotus est, non eget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*, id est, mundus est simpliciter, & absolutè, cum sit iustus: tamè adhuc eget lotionem a peccatis venialibus. Et præterea non habemus ex hoc loco ipsam lotionem pedum reipta tollere peccata venialia, alioqui deberemus quotidie lauare pedes: sed solum lotionem illam vnã, qua Dominus pedes lauit discipulorum fuisse figuram internæ lotionis, quam accipimus a Christo. Non igitur ipsa pedum lotio est Sacramentum propriè dictum.

SECUNDO, non habemus mandatum, seu institutionem huius ritus frequentandi, quod requiritur in omni Sacramento: alioqui peccarent ferè omnes homines, qui non vtuntur ista cæremonia. Et licet fuerit hæc cæremonia vsitata olim in quibusdam Ecclesiis statim post Baptismum, tamen non fuit vnquam ab omnibus recepta, nec ab ipsa Romana Ecclesia, vt testatur Ambrosius loco citato. Neque obstat illud mandatum: *Exemplum dedi vobis. Item: Et vos debetis alter alterius lauare pedes. Et: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea*. Nam hoc mandatum præcipit humilitatem, & charitatem, vt exponunt Chrylostomus, & Cyrillus, non autem ipsam materialem lotionem pedum, vt patet ex praxi Ecclesiæ; nunquam enim Christiani putarunt se habere speciale mandatum de lotionem pedum.

Ad loca illa Patrum facile est respondere. Nam Ambrosius vocat Sacramentum, & mysterium, quia in ipsius Ecclesia seruabatur, vt sacra cæremonia, & vt aliquid Sacramentale: tamen non putabat ipse esse hanc lotionem propriè dictum Sacramentum, vt patet tum ex eo, quod fatetur non remitti pec-

T s cata

cata lethalia per eam lotionem, sed qualdam reliquias peccati originalis: tum etiam, quia dicit se non reprehendere Ecclesiam Romanam, ubi hæc cæremonia non erat in usu; quod certe non diceret, si putaret esse verum Sacramentum. Porro Cyprianus, & Bernardus, si attentè legantur, non dicunt ipsam lotionem pedum materiale, esse Sacramentum, quo homines sanctificantur: sed solum dicunt illam vnicam lotionem pedum Apostolorum à Christo factam, fuisse Sacramentum; quia per eam significabatur aliquid sacrum, quod in nobis quotidie fieri debet, id est, expiatio peccatorum venialium, quæ fit in nobis quotidie à Christo per orationes, ieiunia, humilitatem, & exercitia pietatis erga proximos, quibus vacamus. Et sanè si putarent lotionem pedum esse Sacramentum, oporteret nos quotidie ex eorum sententia lavare invicem pedes: id enim ipsi dicunt, hoc Sacramentum esse quotidianarum culparum expiationem.

CAPVT XXV.

Septem esse Sacramenta, probatur ex posterioribus Conciliis, & Doctoribus.

SECUNDA probatio sumitur ex testimoniis, quæ præcisè ponunt numerum septenarium, quæ testimonia tria sunt. PRIMUM est omnium Theologorum, & proinde totius Ecclesiæ ab anno minimum C. D. Nam Magister Sentent. lib. 4. dist. 2. & omnes inde Theologi septem Sacramenta esse tradiderunt. Neque verò Magister aliquid novum scripsit, sed quod inuenit in Ecclesiæ; quod argumentum maximi ponderis esse debet. Nam si falsum esset, quod dicimus, errasset tota Ecclesiæ per annos C. D. perniciosissimè. NAM si Sacramenta essent pauciora, magna impietas fuisset, & superstitio, & magna deceptio animarum, habuisse tam diu pro Sacramentis ea, quæ Sacramenta non erant. si verò essent plura, fuisset magna impietas, tam diu contempsisse vera Dei Sacramenta, & magnum detrimentum animarum. SECUNDO, magis perniciosus est error circa Sacramenta, quam circa alia dogmata: nam reliqua ferè speculatiua sunt, & earum ignoratio multos simplices excusat

excusat. At Sacramentorum cognitio ad praxim pertinet, & ad praxim singulorum hominum. TERTIO, sincerus Sacramentorum usus ad notas Ecclesiæ pertinet ex sententia omnium hæreticorum huius temporis. Quare si his C. D. annis erratum est in Sacramentis tam graviter, consequenter dicere debent, Ecclesiam periisse de orbe terrarum: non enim inuenient facile, qui aliter senserint hoc tempore de Sacramentis. Nam ipsi etiam Hussitæ, & Waldenses, qui ferè soli erant hæretici, cum Lutherus apparuit, septem Sacramenta recipiebant. De Hussitis patet in Concil. Constantiensi, sess. 15. artic. 8. de Waldensibus, id testatur Lutherus in libro ad eos scripto.

SECUNDVM testimonium est Concilij Florentini in institutione Armenorum, vbi septem Sacramenta asseruntur, & explicantur. Vbi NOTANDA sunt duo mendacia Kemnitij. Is enim in 2. parte Examinis, pag. 35. dicit, septenarium numerum Sacramentorum apud Græcos tentatum, Armenis verò obrusum fuisse: & addit, Armenos à S. Bartholomæo Apostolo ad fidem conuersos, post mille, & eo amplius annos septenarium numerum Sacramentorum à Romano Pontifice tandem accepisse. Vbi mentitur IN PRIMIS cum dicit, hunc numerum tentatum à Concilio apud Græcos, quasi dicere velit, conatos fuisse Patres id persuadere Græcis, sed non potuisse. At in toto Concilio, nihil omninò de numero Sacramentorum cum Græcis actum esse, ex ipso Concilio, quod exstat Græcè, & Latine, perspicuum est. Immo instructio hæc Armenis data est toto approbante Concilio, paulò antè eius dissolutionem, vbi ibidem legimus in decreto Eugenij IV. vbi hæc ipsa institutio habetur. Ex quo intelligimus, Græcos idem omninò cum Latinis semper sensisse de numero Sacramentorum: alioqui Græci non tam facile sine vlla quæstione instructionem approbassent. Quod etiam confirmari potest testimonio Hieremie Patriarchæ Constantinopolitani, qui in ea censura quam edidit ad errores Lutheranorum, septem Sacramenta ab ipsis etiam Græcis numerari recipique testatur: Sic enim loquitur cap. 7. in ea item Catholica Ecclesia septem diuina Sacramenta esse Baptismum, Sacri vnguenti unctionem, sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Extremam unctionem.

SECUN-

SECUNDO mentitur Kemnitijs, cū dicit, obtrusum esse Armenis hunc numerum Sacramentorū, cū eum ignorassent per annos mille, & amplius. Nam (vt in decreto Eugenij legimus) ante vnionem Armenorum cum Latinis, collationes factæ sunt inter eos de fide Trinitatis, & Incarnationis, & Sacramentorum, & inspecti libri vtriusque nationis, tum demum præscripta formula instructionis: Quare non obtrusa fuit, sed post maturam discussionem, ab eis accepta, & sanè non tam facillè accepissent, nisi vidissent conformem esse antiquis libris, & ritibus Ecclesiæ suæ. Adde quod in eadem instructione traditur Armenis doctrina de tribus personis diuinis, & de duabus Christi naturis. Vt igitur Kemnitijs dicit, obtrusum illis numerum septem Sacramentorum, non dicit etiam obtrusum numerum personarum diuinarum, & naturarum Christi?

TERTIUM testimonium est Concilij Tridentini, *sess. 13. can. 1.* vbi additur anathema negantibus septem esse vera propria Sacramenta; quod testimonium etiam si nullum haberemus aliud, deberet sufficere. Nam si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis Concilij, in dubium vocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana. Semper enim hæc fuit consuetudo apud Christianos, vt exortas controuersias definirent Episcopi, qui tunc viuebant. Et præterea omnium Conciliorum, veterum & omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ. Non enim habemus testimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illa definirint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit, & docet. Quod enim historici quidam menterint eorum, non potest parere fidem, nisi humanam, cui potest subesse falsum.

CAPVT XXVI.

Idem probatur ex congruentiis.



ATHOLICI Doctores confirmare solent septennarium Sacramentorum numerum variis congruentiis. PRIMA est a similitudine vitæ spiritualis, & corporalis. Siquidem in vita corporali quædam sequi-

requiruntur ex parte hominum singulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, generatio, augmentatio, & nutritio; & duo per accidens, remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare: & remedium contra reliquias morbi, ut perfectè conualescat. Ex parte Reipublicæ requiruntur duo. Primo parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundo Principes, & Magistratus, qui eam ordinent, & regant. Eodem igitur modo in vita spirituali. PRIMO, requiritur regeneratio, quæ est per Baptismum. SECUNDO, augmentatio, per Confirmationem. TERTIO, nutritio, per Eucharistiam. QUARTO, remedium, contra morbos, si contingat regeneratum peccare, per Pœnitentiam. QUINTO, remediũ contra reliquias peccatorum, per Vnctionem extremam. SEXTO, ex parte Reipublicæ, Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. SEPTIMO, Ordo sacer, quo regantur, & gubernentur.

SECUNDA ratio ex numero peccatorum, & vulnerũ. Nam Baptismus est præcipuè contra originale, Pœnitentia contra actuale mortale, Vnctio extrema contra reliquias peccatorum, Confirmatio contra infirmitatem, Eucharistia contra malitiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Ordo contra ignorantiam.

TERTIA ratio ex numero virtutum, Baptismus respondet fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia iustitiæ, Vnctio extrema fortitudini, Ordo prudentiæ, & Matrimonium temperantiæ.

QUARTA ratio ex celebritate numeri septenarij in expiationibus. Vide Exod. 29. Leuit. 4. & 8. 13. 14. 15. 16. 23. Num. 19. Deuter. 15. 2. Paral. 29. Iob ult. ubi semper videbis in expiatione offerri septem animalia, vel septè diebus, vel septies aspergi sanguinem, &c. Vnde etiam 4. Reg. 5. Naaman septies iussus est lauari ad purgandam lepram. Vide S. Thomam in 4. dist. 2. quæst. 1. 3. par. quæst. 65. art. 1. & contra Gentes, lib. 4. cap. 58.

Sed Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 16. 17. & 18. tria dicit de his rationibus. PRIMO affirmat, esse fundamenta principalia, & demonstrationes nostræ sententiæ: *Hæ sunt, inquit, demonstrationes, hæc fundamenta, quibus septenarius numerus Sacramentorum in Ecclesiam inuectus & receptus fuit à scripto.*

Scriptoribus Scholasticis. SECUNDO dicit, has demonstrationes nihil valere, quia alioqui probarem etiam septem esse Sacramenta in lege veteri: nam etiam tunc erant virtutes & peccata, & vita spiritualis, & corporalis. TERTIO dicit, ex numeris celebratis in Scriptura numerus Sacramentorum desumi debeat, posse probari tria esse Sacramenta, vel etiam duodecim, aut plura, quia multi sunt numeri celebres & facti in Scripturis.

SED hæc leuia sunt. Nam in primis nullus Theologorum dixit, ista esse fundamenta, & demonstrationes, sed solum congruentias supposita fide. Id enim Scholastici facere solent, ea, quæ ex fide habemus, ostendant etiam non repugnare rationi, sed illi potius esse conformia. Nec tamen argumentum Kemnitij concludit, oportuisse nimirum etiam in veteribus esse Sacramenta septem. Nam Sacramenta vetera (ut supra ostendimus) non erant instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali, nec ad remedium peccati, excepta Circumcisione, sed solum ad significanda mysteria Christiana, & alios quosdam fines: nostra autem sunt instituta in remedium peccati & ad iustificandum, & perficiendum hominem in vita spirituali, ut ex Scripturis apertissime deducitur. Itaque congruentia illæ rectissime se habent, si applicentur nostris Sacramentis, non autem si applicentur veteribus. Denique illa ratio Kemnitij de variis numeris in Scriptura celebribus, nihil concludit. Nam ratio Catholicorum sumitur ex numeris, quæ significabant expiationem peccatorum, non autem ex quibuscumque numeris. Porro in Scriptura, ita frequens est numerus septem, rursus in expiationibus, ut tota Scriptura clamare videatur, futurum aliquando fuisse tempus, quo septem insignia, & efficacissima remedia darentur à Deo in expiationem peccatorum.

CAPVT XXVII.

Soluuntur obiectiones.

RESTAT vt obiectiones aduersariorum diluamus, quæ sunt partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex ratione. Primum igitur ex Scriptura tria proferunt argumenta. PRIMUM negatiuum, quia Scripturæ nusquam tradunt septem esse Sacramenta.

S E C U N D O

SECVNDVM affirmatiuum, quia Scripturæ duo tantum Sacramenta esse docent. Nam Ioan. 19. ex latere Christi fluxerunt sanguis, & aqua, id est, (vt exponunt Chrysostomus, Cyrillus & Theophylactus cum locum, & Damascenus lib. 4. de fide, cap. 10. & Augustinus lib. 2. de symbolo, cap. 6. & tract. 9. in Ioannem, & alij) Eucharistia & Baptismus. TERTIVM, quia Scripturæ non solum non ponunt septem, & ponunt tantum duo, sed etiam negant esse septem. Nam Apoc. 17. Angelus vocat Sacramentum bestiam, quæ septem capita habebat; ex quo significari videtur septenarium numerum Sacramentorum ad Antichristum pertinere, qui per eam bestiam designatur. Hæc sunt argumenta Kemnitij & Scriptura, quæ ipse habet in 2. parte Examinis, pag. 18. & 50. Sed hæc leuia sunt.

AD PRIMVM supra respondimus, Scripturam neque septem, neque duo, neque tria, vsquam expresse numerare.

AD SECVNDVM, locus ille Ioannis non malè ita exponi potest, vt significantur per sanguinem, & aquam, Eucharistia, & Baptismus, vt exponunt ferè Græci omnes, sed non propterea excluduntur cetera Sacramenta. Solum enim duo posita sunt, quia sunt illa magis communia, & magis principalia, & ex illis poterat idem iudicium de ceteris fieri. Sicut etiam Hebr. 6. Paulus, duo tantum ponit Sacramenta, Baptisma, & manuum impositionem, id est, Confirmationem; *Non rursus iacentes fundamentum penitentia ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismarum doctrina, impositionis quoque manuum.* vbi per manuum impositionem intelligunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij Confirmationem, quæ dabatur post Baptismum, nec meminit Eucharistia, quæ simul dabatur (vt etiam modò datur cum baptizantur adulti) cum Baptismo, & Confirmatione.

Dico tamen SECVNDO, non esse necessarium sequi illam expositionem Græcorum de sanguine, & aqua. Alij enim æquè magni expositores aliter exponunt. Cyrillus Catechesi 3. & Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum, intelligunt per sanguinem, & aquam, significata esse duo Baptismata, vnum in sanguine, id est, Martyrium, aliud in aqua. Ambrosius lib. 10. in Lucam, cap. 105. & Leo epistola 4. & Augustinus, ac Beda in cap. 19. Ioanis, intelligunt per sanguinem, redemptionis pretium, per aquam, Baptismum, Et hæc videtur maximè litera-

lis expositio, ut nimirum intelligamus ex Christi latere fuisse Baptismum, qui omnem suam vim habet ex Christi sanguine. Nam idem non dixit; Exiit aqua, & sanguis, ut ordo profulabat, si ageretur de Baptismo, & Eucharistia, cum Baptismus præcedat Eucharistiam; sed dixit: *Exiit sanguis, & aqua*, id est, precium, & applicatio illius precij. Quod etiam confirmatur ex illo i. Ioan. 5. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem, Iesus Christus, non in aqua, & sanguine.* Vbi videtur ipsemet Ioannes explicare mysterium, quod poluerat Ioan. 19. & simul ostendere differentiam inter Baptismum Christi, & Ioannis, quod Ioannes venerit in aqua solum, id est, Baptismum attulerit non efficacem. At Christus attulit Baptismum efficacissimum, cum aquam dederit sanguini admistam.

Ad TERTIUM respondeo, blasphemum esse Kemnitium, cum Sacramenta Christi capita bestiae esse dicit. Nam cogitur, velit nolit, ea etiam Sacramenta numerare inter capita bestiae, quæ ipse habet pro veris Sacramentis, nimirum Baptismum, & Eucharistiam: hæc enim sunt ex numero illorum septem. Adde, quod Ioannes non dicit septem illa capita esse septem Sacramenta, sed vnum Sacramentum: proinde, (si licet nugari) id magis quadraret in Lutherum, qui vnum Sacramentum esse dixit, & pura signa Sacramentalia. Denique ipsemet Ioannes septem illa capita septem Reges interpretatur. Et quo ruit totum ædificium blasphemiae Kemnitianæ.

Iam ex Patribus, PRIMO, Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 3. dicit, veteres cum loquuntur propriè de Sacramentis, duobus contentos esse, Baptismo, & Eucharistia. Id probat ex Augustino, lib. 3. doct. Christ. cap. 9 & epist. 118. Addit Calvinus probationem. Nam Augustinus solet, ut plurimum quæres mysteria in numeris: *Immo, inquit Calvinus, in observantia numero curiosior esse solet, quam necesse foret: et tamen in isto numero septenario Sacramentorum nihil unquam scripsit*

Kemnitius in 2. part. Examinis, pag. 26. & sequent. tria addit ex Patribus PRIMO, si propriè loquamur de Sacramentis, vetustissimos Patres non agnouisse, nisi duo, Baptismum, & Eucharistiam. Id probat ex Iustino, Apologia 2. ex Irenæo, & Tertulliano lib. 1. & 4. in Marcionem, & de corona militis, item ex Cyrillo in Catechesibus, ex Ambrosio in lib. de Sacramentis

mentis, & de iis, qui in iusticia myst. qui duo auctores ex professione tractant de Sacramentis, & tamen non ponunt nisi duo.

S E C U N D O, affirmat Patres recentiores ponere plura Sacramenta, quam duo, sed pauciora, quam septem proprie loquendo de Sacramentis. Id probat ex Dionysio, quem dicitur a nobis fingi esse Areopagitam, qui in Ecclesiastica hierarchia, quatuor tantum Sacramenta exponit, Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & Ordinem. Item ex Gregorio can. multiseularium, i. q. i. apud Gratianum, qui tria ponit, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam. Item ex Rabano, & Paschasio de cena Domini. Denique ex incerto auctore, qui sub nomine Cypriani, scripsit de operibus Cardinalibus Christi. Is enim in sermonibus de cena Domini, de ablutione pedum, & de Chrismate, pauciora ponit, quam septem.

T E R T I O affirmat, Patres, cum largo modo de Sacramentis loquuntur, plura numerare quam septem, & probat ex variis locis Augustini. Ex quibus omnibus colligitur, neque proprie, neque improprie loquendo Sacramenta esse septem apud veteres, sed vel pauciora, vel plura.

Respondeo **P R I M U M** ad haec omnia, nullum ex Patribus scripsisse unquam Sacramenta non esse septem; aut esse tantum duo, vel tria: sed solum ad suum propositum mentionem fecisse aliquorum Sacramentorum, de aliis nihil dixisse. Non autem pugnant cum Theologis, qui septem asserunt Sacramenta, ij qui neque septem esse negant, neque dicunt tantum esse duo, vel tria. Adde quod iidem Patres in multis locis unius tantum Sacramenti mentionem faciunt: in aliis locis nullius. Quare secundum Kemnitij Dialecticam, oporteret colligere unum esse Sacramentum, aut etiam nullum. Satis igitur esse debet, quod Patres in variis locis, aut certe varij Patres eiusdem aetatis omnium septem Sacramentorum alicubi meminerint, ut nos supra ostendimus. Hac solutione praemissa respondeo etiam ad singulos Patres.

Ac **P R I M U M** ad Augustini testimonia à Caluino citata, dico Augustinum in illis duobus locis non dicere esse tantum duo, sed ponere duo, loco exempli. Id quod patet ex iisdem locis. Nam lib. 3. doct. Christianae, cap. 9. sic habet **AUGUSTINUS**: *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima; conseruatione castissima ipse Dominus, & Apostoli.*

V

postoli.

postolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Vbi vides particulam (sicuti) aperte indicare ista esse exempla. Sic etiam in epistola 118. vbi Augustinus dixit, nos habere Sacramenta numero paucissima, significatione præstantissima, obseruatione fidelissima; subiungit: *Sicuti est Baptismus, & communicatio corporis Domini, etsi quid aliud in diuinis literis commendatur.* Vbi etiam vides exempla esse, & indicari etiam plura esse, quàm duo; quod clarius repetitur in Psalm. 103. concione in illa verba: *Qui regit aquas superiora eius. Respice, inquit, munera ipsius Ecclesie, munus Sacramentorum in Baptismo in Eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis.* Et in Epistola eundem Ianuarii, cap. 7. *Ad celebrationem, inquit, Sacramentorum utimur de sensibilibus rebus, aqua, frumento, vino, & oleo.* Vbi vides numerari materias omnium Sacramentorum, excepta Pœnitentia, & Matrimonio, quæ duo non habent ullam materiam consecratam.

Adde quod Augustinus etsi in quibusdam locis non mentitur, nisi duorum, tamen alibi expressè ponit plura; & præsertim de Confirmatione, & de Ordine affirmat illa esse Sacramenta, sicut est Baptismus, lib. 2. contra literas Perilianæ, cap. 104. & lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. Mentitur igitur Calvinus impudenter, cum dicit, Augustinum duobus tantum Sacramentis esse contentum.

Ad Confirmationem; retorqueo argumentum in auctorem. Nam si S. Augustinus tantum duo Sacramenta esse credidisset, & erat curiosior, quàm oporteret in mysteriis numerorum, cur non indicauit, quæ mysteria lateant in binario numero Sacramentorum? Præterea non est verum, S. Augustinum tam curiosum fuisse, ut dicit Calvinus, in mysteriis numerorum. Non enim ignorabat esse duodecim articulos fidei, tres virtutes Theologicas, decem præcepta decalogi, & alia id generis multa, de quorum tamen numerorum mysteriis, nihil Augustinus scripsit. Sic igitur neque scripsit de mysteriis septenarij numeri Sacramentorum, ne Calvinus nimis eum curiosum in his rebus appellaret.

Venio ad loca citata à Kemnitio. Ad locum Iustini Respondendo Iustinum in Apologia illa tantum meminisse duorum Sacramentorum, quia id requirebat argumentum illius operis:

operis: respondet enim iis, quæ obiiciebantur à Gentilibus. Gentiles autem duo quædam obiiciebant, PRIMO, quòd Christiani essent athei, quia non colebant Deos. SECUNDO, quòd in suis conuenticulis multa turpia, & scelerata agerent, ac præcipuè, quòd humanas carnes vorarent, & idè ad suam Synaxim non admitterent ullos præter suos. De quibus calumniis vide etiam Tertullianum in Apologetico, Athenagoram in Apologia, & Minutium in Octauo. Iustinus igitur ad illa duo respondet, & idè in maxima parte Apologiæ tractat de fide, ac docet, Christianos non esse atheos, cum colant tres diuinas personas, & præterea venerentur Angelos, &c. Deinde in altera parte tractat de Synaxi, & obiter meminit Baptismi, vt doceat solis baptizatis licere interesse Synaxi; & breuiter exponit quid Christiani agant singulis Dominicis diebus in sua Synaxi, vbi necessariò differere debuit de Eucharistia, quia hoc mysterium præcipuum est in Synaxi, & de hoc potissimum malè audiebant Christiani; putabantur enim vesci carnibus alicuius pueruli. De aliis Sacramentis non fuit opus, vt quidquam diceret, quia illa partim erant ignota Gentilibus, partim sine calumnia exercebantur.

Ad Irenæum RESPONDEO, Irenæum nunquam instituisse disputationem de Sacramentis, sed pro locorum oportunitate modò meminisse vnius, modò alterius. Nam lib. I. cap. 9. tractat de Eucharistia, refellens deliramenta Marci cuiusdam circa Eucharistiam, cap. 18. tractat de Baptismo refellens deliramenta aliorum eius temporis hæreticorum circa Baptismum. Rursus lib. 4. cap. 32. 33. & 34. tractat de sacrificiis legis veteris, & nouæ, & idè simul agit etiam de Eucharistia. Item lib. I. c. 2. tractat de Pœnitentia, & lib. 3. cap. 4. meminit Confessionis. Neque obstat, quòd non vocet Pœnitentiam Sacramentum: nam nec Baptismum, aut Eucharistiam vocat Sacramenta.

Ad Tertullianum idem dici posset; non enim instituit vquam disputationem de Sacramentis: sed præterea perspicuè distinguit in libro de resurrectione carnis quatuor diuersa, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, Ordinationem. Neque valet glossa Kemnitij, quod Tertullianus Chrisma, & manus, impositionem non faciat noua Sacramenta, sed velit esse cæremonias Baptismo annexas. Nam Tertullianus distinguit illa quatuor, & tribuit singulis proprios effectus. Et præterea,

si de cæremoniis Baptismi ageret, non poneret manus impositionem post Eucharistiam.

Sed videamus loca à Kemnitio adducta. PRIMO, adducit librum primum in Marcionem. Sed locus ille pro nobis est: non enim dicit in eo libro vsquam duo esse Sacramenta, sed dicit in Sacramentis Deum vti voluisse aqua, pane, & vino; quæ sunt materiæ, quæ consecrantur in quinque Sacramentis. Nec meminit Tertullianus aliorum duorum, quæ solum volebat ostendere Deum nostrum esse verum Creatorem elementorum, & aliarum rerum sensibilibus, contra Marcionis errorem, qui id negabat. Id autem probat egregie, quod si res istas creasset alius Deus, non eis vteretur Deus noster in Sacramentis suis.

SECUNDO, adducit librum quartum contra Marcionem, ubi in margine ad numerum 51. est annotatio B. Rhenani: *Baptismus, & Eucharistia, duo Sacramenta primitiue Ecclesie*. Quæ annotatio Kemnitium decepit: non enim eo loco Tertullianus dicit tantum esse duo ista Sacramenta, sed reprehendit Marcionem, quod ad hæc Sacramenta non admittet, nisi eos, qui damnabant coniugium.

TERTIO, adducit librum de corona militis, ubi etiam nominantur, nisi Baptismus, & Eucharistia. Sed non aduertit Kemnitius in eo libro non agi de Sacramentis, sed de cæremoniis Ecclesie, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex traditione. Vnde ibi enumerat varias traditiones circa hæc Sacramenta; & ne putaremus non esse alia Sacramenta, vel alias cæremonias, addit: *Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem postulas Scripturarum, nullam inuenies; traditio tibi obtenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides seruatrix.*

Ad Cyrillum, & Ambrosium dico duo. PRIMO, falsum dico se eos duo tantum Sacramenta agnoscere: vterque enim in libris à Kemnitio citatis, meminit Chrismatis, tamquam Sacramenti à Baptismo, & Eucharistia distincti; vt patet ex Cyrillo Cateches. 3. & ex Ambrosio lib. 3. de Sacramentis, cap. 7. & de iis qui mysteriis initiantur, cap. 7.

SECUNDO, dico, non esse mirum, si isti auctores in libris de tribus tantum Sacramentis tractant: scribunt enim etiam professo ad Catechumenos, & eos instruunt de his rebus, quæ sunt

fiunt tempore Baptismi. Porrò cùm baptizantur adulti, tria Sacramenta eodem die illis ministrantur, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia: id quod certum est, tum ex praxi, quæ hodie est in Ecclesia, tum ex libris citatis Ambrosij, vbi totum ordinem Baptismi, & rerum consequentium describit. Vnde AMPHILOCHIVS in vita S. Basilij, ita de illius Baptismo scribit: *Baptizavit, inquit, Episcopus Maximinus Basilium, & Eubulum, atque ungens eos sancto Crismate, tradidit eis viuificantem communionem.*

Ad Dionysium Areopagitam dico, eum tantùm differere in eo libro de hierarchia Ecclesiastica, vt ipsum nomen indicat, ac de solennibus actionibus Hierarchæ, id est, Episcopi. Itaque tractat de Baptismo, & Eucharistia, quæ solenni ritu Episcopus administrare solet. Item de Consecratione olei, de Ordinatione clericorum, quæ à solis Episcopis fieri possunt: cetera tria omisit. Nam Extrema vnctio, priuatim à presbytero confertur: Matrimonium non eget, quoad essentiam suam, ministerio Sacerdotum, tametsi præsentia Parochi ex decreto Concilij Tridentini omninò requiratur: & benedictio, quam nouis nuptis dare solet Ecclesia, à presbytero priuatim celebretur. Denique Pœnitentiam solenniter quidem olim Episcopi imponebant, & deinde in sancta hebdomada pœnitentes absoluebant: sed videtur id cœpisse post Apostolorum mortem, cùm peccata multiplicari cœpta essent. Quare hoc potius est argumentum antiquitatis horum librorum. Nec tamen ignorauit Dionysius Sacramentum Pœnitentiæ, cùm eius meminit in epist. ad Demophilum.

Ad Gregorium dico, verba illius Canonis non videri Gregorij, nec enim in eius operibus inueniuntur: exstant autem apud Isidorum, lib. 6. Etymologiarum, cap. 19. sed cuiuscunque sint, non ponit ille auctor, nisi exempla quædam.

Rabanus in libris de institutione Clericorum, tractat de Sacramentis omnibus, quæ conueniunt Clericis, lib. 1. cap. 6. de Ordine ibidem, cap. 24. de Baptismo, Cõfirmatione, & Eucharistia, lib. 2. cap. 29. de Pœnitentia, ibidem cap. 11. de Extrema vnctione. Matrimonium solum omisit, quia ad Clericos non pertinet.

Paschalis in lib. de cœna Domini, quid mirum, si non tractet nisi de Eucharistia, cùm hoc solum requirat argumentum illius

illius libri? Denique Cyprianus seu quicumque scriptor sermo-
num de operibus Cardinalibus Christi, non meminit con-
nium Sacramentorum; quia solum explicat Sacramenta, quae
Dominus instituit in cœna, quae sunt Eucharistia, Christum
& Ordinatio. Vide sermones de cœna Domini, de ablutione
pedum, & de Chrismate. Ad alia loca Kemnitij nihil opus
respondere: fatemur enim Sacramenta largo modo sumi
esse plura, quam septem.

Ultimo loco Kemnitius argumentatur ex ratione, ac pro-
bat duo tantum esse Sacramenta, quia duobus tantum con-
uenit definitio Sacramenti. Sed ut hoc possit efficere, fingit
ibi nouam definitionem, eamque longissimam & tot enim par-
ticulas in ea posuit, quot sufficere videbantur ad excludenda
quinque Sacramenta. Sed hanc definitionem nos supra dilige-
ter refutauimus in disputatione de definitione Sacramenti.

CAPVT XXVIII.

*De ordine, & comparatione Sacramentorum ut
legis inter se.*

NVM hoc superest ad finem quaestionis de num-
ero Sacramentorum, ut eorum etiam ordinem
ostendamus. Est enim vnus ex Lutherano-
rum, non esse vnum Sacramentum alio pro-
stantius: ita enim loquitur Lutherus in lib. de instruendis
magistris ad Pragenses: *Sacramentum altero dignius esse non
potest, cum eodem verbo Dei omnia consistant.* Quod idem in
ratione dicere coguntur Calvinistae, qui cum in Eucha-
ristia non ponant Christi corpus, nisi tropicè, non est illa ratio,
cur eam Baptismo anteponant. Sed nec Lutherani ratio-
nem habent, cur Eucharistiam anteponant Baptismo. Erant
enim fatentur in pane esse verum Christi corpus, tamen idem
corpus Christi coguntur eodem modo ponere in aqua Baptis-
mi, cum vbiq; illud ponant. Sicut etiam non est ratio, cur
eundem effectum vtrique Sacramento tribuant, nimirum
obsignare promissiones ad alendam fidem.

Contra hunc errorem posuit Concilium Tridentinum.

sess. 7. can. 3. in quo dicitur anathema iis, qui septem Sacramenta nouæ legis paria faciunt. Circa quem Canonem, & totam hanc rem, pauca quædam notanda sunt. PRIMVM est, Calvinum in Antidoto, & Kemnitium in Examine, 2. part. pag. 75. & sequentibus, omninò dissimulasse statum quæstionis præsentis, & rem totam ad iocum, & calumnias vertisse. Nam vterque dicit hunc canonem à se maximè seruari, cùm ipsi non faciant paria septem Sacramenta, immò tantum discrimen ponant inter Baptisinum, & Eucharistiam ab vna parte, & cetera quinque ab altera, vt priora duo Christi institutionem esse dicant, reliqua verò hominum inuenta. Sed hoc (vt dixi) est dissimulare statum quæstionis. Concilium enim cùm dicit anathema iis, qui septem Sacramenta faciunt paria, non vim facit in numero septenario, sed in ratione Sacramenti: hic enim est sensus canonis; Si quis Sacramenta nouæ legis, quæ in 1. canon. septem esse diximus, paria facit, ita vt non sit vnum alio dignius, anathema sit. Esse autem hunc sensum patet, tum quia Concilium suis canonibus Lutheranorum errores damnat; error autem Lutheranorum non est, quòd parem faciunt Baptismo Confirmationem, aut aliud eiusdem generis eorum, quæ ipsi non habent pro Sacramentis, sed quod inter Baptismum, & Eucharistiam discrimen dignitatis non ponant; tum etiam id patet ex ipso Concilio. Nam infra sess. 13. asserit Eucharistiam excellere omnibus aliis Sacramentis, quam comparisonem non facit Concilium in aliis.

Nota SECUNDO, Kemnitium dissimulata vera causa huius canonis, alias quasdam ponere, nimirum quod Concilium renouare voluerit antiquam contumeliam, quod scilicet Chrisma præstet Baptismo. Item quod Ordinis Sacramentum antecellat ceteris, quia secum adfert pingues præbendas. Denique quod Ordinis Sacramentum tantò sit excellentius coniugio, vt simul cum eo manere non possit. Sed ista omnia meræ calumniæ, ac meræ nugæ sunt auctoribus suis dignissimæ. Nam Concilium, vt dixi, præcipuè intendit damnare errorem Lutheranorum de paritate Baptismi, & Eucharistiæ: atque ad hoc respondere debuissent isti censores. Neque dicimus Sacramentum Ordinis pugnare cum Matrimonij Sacramento, sed actum Matrimonij habere aliquid indecens in sacerdote.

Nam si laici continere debent ab vxore ad tempus causa orationis, 1 Corinth, 7. certè actus coniugij impedit orationem, & multò magis sacrificium. Alioqui veros coniuges, sed continentes, ordinamus sacerdotes.

Nota TERTIO, Sacramenta septem, licet sint eiusdem generis, & proinde omnia verè, & propriè Sacramenta: tamen differre specie, & secundum varias rationes nullum esse, quod alicui alteri non præstet. Nam Baptismus excellit omnibus quoad effectum remittendi peccata; nam remittit peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur: item remittit omnia actualia, & omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt Sacramenta cetera.

Confirmatio excellit omnibus, & ipsi etiam Baptismus (etiam si nolint Lutherani) quoad effectum gratiæ ad bene operandum. Nam in eo Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti; & est Confirmatio quædam perfectio, & confirmatio Baptismi: præsupponit enim totum effectum Baptismi, & superaddit gratiam copiosiore. Vnde Apostolus dicitur Lucæ vii. *Sedere in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ante Confirmationis effectum, quam acceperunt in die Pentecostes, licet baptizati essent, timidissimi erant, ita ut omnes in passione fugerent; postea verò accepto Spiritu sancto, facti sunt robustissimi. Quare Cyprianus lib. 2. epist. & Cornelius in epist. ad Fabium apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 33 non timuerunt dicere non esse plene sanctificatos, nec perfectos Christianos, qui carent Sacramento Chrismatis: etiam si hanc vocent Calvinus & Kemnitius veterem contumeliam.

Eucharistia excellit omnibus, quoad ipsam substantiam Sacramenti. Nam cetera constant ex re sensibili, & virtute quadam agendi sibi à Deo communicata per motum: at Eucharistia non solum virtutem quandam operatiuam, sed ipsam Christum auctorem illius virtutis verè continet.

Pœnitentia excellit ceteris necessitate, solo Baptismo excepto, cum quo est illi hæc excellentia communis.

Extrema vinctio aliquo modo excellit Pœnitentiæ, quoad effectum gratiæ, sicut Confirmatio Baptismo. Nam præsupponit totum effectum Pœnitentiæ, & superaddit gratiam copiosiore.

pioiorem, quæ non solum posset delere omnia peccata si ad-
essent, sed etiam tollit reliquias peccatorum.

Ordo excellit omnibus, excepta Confirmatione, ratione
ministri; nam solum ab Episcopo conferri potest. Immo eti-
am videtur excellere in hac re Confirmationi. Nam Confir-
matio aliquando ex dispensatione confertur à simplici sacer-
dote: Ordines autem sacri, ac præsertim sacerdotium, nun-
quam nisi ab Episcopis conferuntur. Præterea Ordo ceteris
præstat, quoad aliquid sibi proprium, quia constituit homi-
nes in gradu sublimiore, quam sint ceteri Christiani, non
(ut nugatur Kemnitius) quia præbendas pingues secum
adfert.

Denique Matrimonium excellit significatione: significat
enim Christi unionem cum Ecclesia; unde ab Apostolo ma-
gnum Sacramentum appellatur, Ephes. 5.

Nota **QVARTO**, simpliciter Eucharistiam omnibus ex-
cellere; nam eius excellentia est in ipsa Sacramenti substan-
tia. Et præterea est hoc Sacramentum consummatio om-
nium Sacramentorum, unde etiam post singula conferri so-
let quando ea traduntur adultis: de qua re alibi dicendum
erit.

Nota **QVINTO**, ordinem, quem seruat Concilium in Sa-
cramentis numerandis, non esse ordinem dignitatis sed pri-
mò poni quinque, quæ ad omnes pertinent, deinde duo, quæ
non ad omnes: & quidem in primis quinque seruari ordinem
temporis, quo ex natura sua sumi deberent. Primò enim da-
tur Baptismus. Secundò Confirmatio. Tertio Eucharistia:
hic enim ordo seruatur cum baptizantur adulti, & est ordo na-
turalis. Quarto datur pœnitentia, si contingat peccare post
Baptismum. Quintò Extrema unctio in fine vitæ. Post ista
quinque, quæ sunt omnibus communia, ponuntur alia duo,
quæ non conueniunt omnibus, Ordo, & Matrimonium; &
quidem prius Ordo, quam Matrimonium, quia Ordo est ex-
cellentior: hic enim non debuit haberi ratio tem-
poris, cum non coniungantur hæc duo Sa-
cramenta in vno homine, nisi
per accidens.

V s CON.



CONTROVERSIAM SEXTAM.

De cæremoniis Sacramento- rum in genere.

DE RITIBVS SINGVLORVM Sacramentorum suis locis agemus; hic tantum de ritibus in genere disputandum est. Quam postremam controuersiam disputare cepimus, tum quia res dignissima est, quæ sciatur, tum etiam ut nullus sit canon Concilij Tridentini de Sacramentorum genere, quem non defenderimus; hætenus enim omnes defendimus, præter ultimum, qui dicit anathema iis, qui cæremonias Ecclesiæ, vel contemnunt, vel sine peccato prætermitti posse putant.

Erunt autem quatuor partes huius quæstionis. PRIMA de nomine, definitione, & partitione cæremoniarum, SECUNDA de statu causæ, & hæreticorum erroribus, & mendaciis. TERTIA de explicatione, & probatione veritatis. QUARTA de obiectionibus aduersariorum.

CAPVT XXIX

De nomine, definitione, & partitione cæremoniarum.

QUOD ad PRIMVM attinet, notanda sunt quedam pro statu causæ intelligendo. PRIMVM est quid sit cæremonia. Est autem cæremonia actus externus religionis, qui non aliunde habet latitudinem.

dem, nisi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, quæ est nobilissima moralium virtutum, tres habet actus, ut quævis alia virtus, PRIMO, actum internum elicitum, qui est velle Deo debitum honorem, & cultum dare. SECUNDO, actum externum interno respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona, & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, ut sacrificium, genu flexio, & similia. TERTIO, actum imperatū, id est, actum cuiusvis virtutis, qui à religione ordinetur ad Dei honorem. Hoc modo ieiunia, eleemosynæ, & alia id genus dici possunt actus religionis, quando fiunt ad colendum Deum, licet alioqui sint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Iacobus cap. 1, religionem esse visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc seculo; & S. Augustinus in Enchirid. cap. 3, dixit. Deum coli fide, & spe, & charitate. Ex his tribus actibus, primus nullo modo est cæremonia; tertius non est etiam cæremonia, nisi quatenus imperatur à religione; secundus est propriè, & simpliciter cæremonia, & de eo tractamus hoc loco.

Quod autem ad nomen attinet: Cæremoniæ apud Hebræos dicuntur **קריה** quod nomen propriè significat non tam ipsam externam actionem, quam legem, seu statutum, quo actio illa præcipitur. Vnde etiam in nouo Testamento cæremoniæ Iudæicæ nomine legis appellari solent, ut Matth. 11. *Lex, & Prophetæ usq; ad Ioannem. Galat. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legi faciendæ.* Eam vocem Græci reddunt ubiq; per **δικαιώματα**, id est, iustificationes, quia erant ritus ad hominem iustificandum, & purgandum institutæ. Latinus interpres ferè semper vertit cæremoniam in Testamento veteri vocem Hebræam **קריה**. Nomen autem hoc Latinum vel dictum est ab oppido Cære, ut volunt Lilius lib. 5. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. quod in eo oppido sacra Romana seruata sint, quo tempore Galli Romam diripuerunt; vel fortè rectiùs dictum est à cærendo, ut sit cæremonia, quasi carmonia, ut vult S. Augustinus lib. 2. retract. cap. 37. & Gellius lib. 4. cap. 9. & Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 3. eò quòd quædam cæremoniæ in abstinendo, & cærendo positæ sunt, qualis erat apud Iudæos cætere vsu carnis suillæ, & omnia ferè vota Nazaræorum, & aliorum,

aliorum, qui vini, & aliarum multarum rerum usu, & voto crebant.

Sed ad partitionem veniamus. Quinque sunt partitiones caeremoniarum. *PRIMA* partitio sumitur à fine seu effectu. Quaedam enim instruuntur ad iustificandum, vt Sacramenta, & de his modò non agimus: quaedam ad alios quosdam effectus spirituales, vt ad daemones coercendos, vt exorcismi, aqua benedicta, &c. quaedam ad solum ornatum, & significationem, vt vestis alba neophytorum, lumina ceterorum, &c. & de his agimus.

SECUNDA partitio sumitur à causa efficiente, id est, à institutore. Quaedam enim sunt ab ipsa natura quodammodo instituta, quae naturales dici possunt: quale est respicere in caelum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus cum Deum oramus: ista enim natura ipsa docet, vnde etiam communes sunt etiam Gentilibus, & quibuscunque sectis. Quaedam sunt à Deo instituta, vt multae in Testamento veteri, & Sacramenta quaedam in nouo; atque haec diuinæ caeremoniae appellantur. Quaedam denique sunt ab Apostolis, vel eorum successoribus instituta, quae dicuntur Ecclesiasticae. Et similis est partitio verborum; sunt enim caeremoniae quaedam verba visibilia. Videmus enim quasdam voces esse naturales, vt sunt ea, quibus varios effectus exprimimus; nam eodem modo plorant, suspirant, rident, &c. alias Deo institutas, vt Genes. 1. nomen caeli, terrae, maris, & alibi nomina aliquorum magnorum virorum, denique alias ab hominibus institutas, vt Genes. 2. Adam imposuit nomina animantibus.

TERTIA partitio sumitur à causa formali. Quaedam enim caeremoniae sunt immediatè cultus Dei, vt sacrificium, oratio, adoratio, &c. quaedam disponunt ad colendum Deum, vt ieiunia, caelibatus, vitae asperitas, &c. quaedam sunt instrumenta diuini cultus, vt templa, arae, calices, &c.

QUARTA partitio à causa materiali, seu ab obiecto materiali. Quaedam enim caeremoniae versantur circa personas: vt Exorcismi, insufflationes, aspersio cineris, &c. quaedam circa locum, vt consecratio templi; quaedam circa tempus, vt dies festi, vigiliae, Quadragesima, & sic etiam sunt tempora determinata Sacramentorum celebrationi: quaedam circa modum, vt quod Latine Sacramenta ministrantur; de-

nique quædam circa res ipsas, vt benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarum, &c.

QVINTA partitio sumitur ab accidentibus, vt quod aliæ sint vniuersales, aliæ particulares; vt ieiunium Sabbathi temporibus S. Augustini seruabatur Romæ, non Mediolani; & contra lotio pedum post Baptisma, seruabatur Mediolani, non Romæ. Vide Augustinum epist. 118. & Ambrosium libro de Sacramentis 3. cap. 1. Item aliæ temporales, vt abstinentia à sanguine, & suffocato, Actor. 15. aliæ perpetuæ, vt ritus Sacramentorum. Denique aliæ in præcepto, aliæ liberae, de quibus vide Augustinum epist. 118.

CAPVT XXX.

De statu causæ.



AM vt statum causæ intelligamus, obseruanda sunt tria. PRIMO non pauca esse, in quibus aduersarij nobiscum conueniunt. PRIMO enim fatentur aliquas cæremonias necessarias esse ad Sacramentorum administrationem, præter cæremonias, quibus continetur Sacramentorum essentia. SECUNDO eas cæremonias esse adhibendas, quæ habent in Scriptura mandatum, vel exemplum, vt orationes, gratiarum actiones, exhortationes, psalmodiam; ista enim fuisse in vsu Apostolorum, patet ex 1. Cor. 14. & 1. Tim. 2. TERTIO fatentur posse Ecclesiam statuere de his cæremoniis, quæ habentur in Scripturis, certum ordinem, & modum, quo seruari debent, ne sit confusio. Ita Lutherus in lib. de piis cæremoniis, & in lib. de formula Missæ. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 14. Kemnitius in Examine. 2. part. pag. 171. Denique idem probant tot agenda, quas singulæ ferè Ecclesiæ ipsorum ediderunt.

SECUNDO obseruandum est, multa ab aduersariis reprehendi in doctrina de cæremoniis Catholicorum, sed omnia esse ipsorum mendacia, non dogmata nostra: quocirca sunt hæc omnia notanda, & separanda, vt verus causæ status appareat.

Igitur Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 157. & sequentibus, hæc omnia nobis tribuit. PRIMO, quod Concilium Tridentinum approbauerit quoscunque ritus ab hominibus excogi-

cogitatos, licet absurdissimos. Idem habet Calvinus in Antidoto huius canonis: At falsum est: nam Concilium non approbat, nisi ritus receptos ab Ecclesia vniuersali, quos etiam ita approbat Augustinus epist. II. vt dicat contra eos disputare esse insolentissimæ insanæ.

SECUNDO, quòd asseramus retinendos ritus, qui pugnant cum Dei verbo. TERTIO, quòd Papa possit immutare Christi instituta. QUARTO, quòd sit peccatum mortale, & anathemate dignum, mutare vel minimum in his cæremoniis. Idem habet Calvinus in Antidoto. QUINTO, quòd anteponamus humanas cæremonias diuinis præceptis. Idem habet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. & Confessio in Apologia Augustini artic. 15. & vlt. SEXTO, quòd putemus sine his ritibus humanis non habere Sacramenta veritatem, & efficaciam. Quòd sanè est mendacium impudentissimum: & idem tamen mendacium est apud Tilmannum Heshusium lib. de 600. erroribus Pontificiorum, tit. 15. errore 13. SEPTIMO, quòd singulis cæremoniis tribuamus vim aliquam spiritualem. OCTAuo, quòd aliquibus cæremoniis tribuamus efficaciam Sacramentorum, vt cereo Paschali. Simile quid habet Lutherus in illa homilia de Baptismo, vbi dicit, Catholicos putare aquam benedictam, & similes res consecratas, esse Sacramenta, quam contrarium idem Lutherus dicat in lib. de captiui. Babil. cap. de Ordine. NONO, quòd præferamus cæremonias nostras ipsis Christi Sacramentis, Idem habet Calvinus in Antidoto, vbi impudentissimè mentitur, nos anteponere salè, & oleum, & sputum aquæ Baptismi. DECIMO, quòd Tertullianus, & Cyprianus ex errore Montanistarum docuerint, exorcismos, & vnctionem habere spirituales effectus. At nihil tale docuisse Montanistas vsquam legimus: sed in Patribus omnibus passim id legimus. VNDECIMO, quòd Cyprianus & Cornel. tribuerint Vnctioni effectum Baptismi, & quòd postea, teste Magistro Sententiarum, correctæ fuerint istæ opiniones, & nunc tamen à Concilio Tridentino iterum renouentur. Sed ista omnia mendacia sunt. Nam Cornelius & Cyprianus non loquuntur de cæremoniis Ecclesiasticis, sed de Sacramento Confirmationis; & ei tribuunt non effectum Baptismi, sed alium proprium. Neque apud Magistrum existat vllum verbum de correctione huius sententiæ, solùm

solùm enim corrigitur error Cypriani de Anabaptismo, lib. 4. sent. dist. 6

His addunt alij quod sentiamus præcipuum Dei cultum in his cæremoniis consistere. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 9. & 12. item Confessio Augustana, art. 26. qui est de discrimine ciborum. Item per has cæremonias homines iustificari, & in Christi locum quodammodò successisse. Ita Calvinus loco citato, §. 15. & Apologia, Confess. art. 15. Sed hæc omnia mendacia sunt, & ad statum quæstionis non pertinent. Fateamur enim omnes Catholici cæremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum; nec ab iis pendere essentiam, & efficaciam Sacramentorum; nec habere vim iustificandi, vt habent Sacramenta, proinde inferiores esse Sacramentis, nec esse approbandos ritus qui pugnant cum verbo Dei; nec esse nimis multiplicandos, ita vt sua multitudine obruant quodammodò religionem, cui seruire debent. Vt enim agricolæ cupiunt in vitibus præter vuas etiam pampinos, quibus ornentur, & adiuuentur vuæ; sed si nimium pampini crescant, & impediant potiùs, quàm iuuent, eos refecant: ita faciendum esse in eiusmodi ritibus, docet Augustinus epist. 119 cap. 19. In his ergo cum aduersariis conuenimus.

Nota TERTIO, totam controuersiam consistere in sex capitibus. PRIMVM est, an sint aliquæ cæremoniæ à Christo, vel Apostolis institutæ, quæ non habeantur in Scriptura, sed ex traditione sola cognoscantur. SECVNDVM est, an cæremoniæ, quæ non sunt Sacramenta, habeant vim aliquam spiritualem, vt coercendi dæmones. TERTIVM est, an Ecclesia possit instituere nouas cæremonias. QVARTVM, an possit eas ita instituere, vt teneantur fideles, in conscientia eas feruare, etiam citra scandalum. QVINTVM, an eiusmodi cæremoniæ sint res bonæ, & meritoria, & pars aliqua diuini cultus. SEXTVM, an lingua Latina Sacramenta celebranda, & ministranda sint.

Ad hæc omnia Catholici respondent affirmatiuè, ad eadem capita, solo excepto tertio; omnes ferè Lutherani, & Calvinistæ respondent negatiuè: de tertio inter se non conueniunt. Lutherus enim in lib. de formula Missæ, & in lib. de piis cæremoniis, & confessio Augustana, artic. 15. & 26. & Philippus in locis, titul. de cæremoniis, & Illyricus in Apologia pro Confes.

Confes.

Confessione Antuerpiensi, cap. 10. & communiter Lutherani fatentur posse Ecclesiam instituire aliquas cæremonias ad eruditionem, & splendorem, & ordinem Ecclesiæ: modò ab sit obligatio, & opinio cultus. At Calvinus lib. 4. Institut. cap. 16. §. 11. contendit id non licere vllò modo, & idem sentire videtur Brennius in Confessione Wirtembergensi, cap. de cæremoniis. Dicit enim, posse Ecclesiam instituire dispositiones concionum, lectionum, festorum, & aliarum rerum, quæ secundum mandata, vel exempla Scripturarum celebrantur: sed non licere comminisci novos ritus ad adumbrandam veritatem, iam in Euangelio patefactam; quales sunt inter cetera accendere cereos, vt vexillis, seu crucibus, ad significandam victoriam Christi, &c. Idem denique satis aperte docet Kenotius, pag. 166. Nam posteaquam dixit arduam quæstionem esse, an hominibus permissum sit, aliquos ritus quocumque consilio superaddere, quos Dei Filius instituit: subiungit, ad uinæ institutioni nihil addendum, aut detrahendum esse: eos qui addunt, id videri facere, quasi cæremoniæ a Christo institutæ, non sint satis idoneæ, & sufficientes.

CAPVT XXXI.

Explicatur, & defenditur veritas.

N VNC vt veritas explicetur, & probetur, adferentur aliquor propositiones. **PRIMA:** *Cæremonias quas Christus, vel Apostoli instituerunt, quæ nulla Scriptura, sed ex sola traditione habentur.* Hæc probanda est fusius, cum de singulis agetur: nunc breuiter probatur ex eo, quod Sacramentum Christum sacrosanctum est, sicut Baptismi Sacramentum, vt Augustinus affirmat lib. 2. cap. 104. contra literas Petiliani, at Sacramenta solus Deus instituire potest; igitur Sacramentum Christum instituit: & tamen nusquam habemus in Scriptura mentionem Christum. Item 1. Corinth. 11. Apostolus ait: *Ceterum cum venero, dissonam.* Et tamen nihil postea scripsit de Sacramenti Eucharistiæ, de quo ibi agebat: neque creditur est eum non præstitisse, quod promiserat, aut eius leges postea interiisse. Quare B. Augustinus affirmat epist. 118. inter alias Apostolorum leges vnã fuisse, vt Eucharistiam ieiuniis præcederent.

petemus; idque cum alijs ritus; quos Ecclesia seruat Apostolum promississe, cum ait: *Cetera cum venero, disponam.* Basiliius libro de Spiritu sancto, cap. 27. multa enumerat, ac primo loco signum crucis, quæ ab Apostolis instituta ad nos sola traditione non scripta venerunt. Pari ratione aquam vinò miscendam in Eucharistia Christum ipsum instituisse asserit Cyprianus lib. 2. epistol. 3. & ex eo Augustinus lib. 3. doctrin. Christ. cap. 21. & tamen non habetur hoc expressè in vlla Scriptura. Sed de his alias

SECUNDA propositio? *Aliquæ ceremonie vim habent spirituales.* De hac etiam alibi dicendum est, interim probatur de signo crucis. Nam omnes Patres passim affirmant frontem armandam, & muniendam contra omnes insidias Dæmonum; & miram eius esse virtutem. Vide Tertulianum in initio Scorpiaci Originè homil. 6. in cap. 15. Exodi; Cyprianum lib. 4. epist. 6. Lactantium lib. 3. cap. 26. & 27. Nazianzenum oratione in Iulianum Nyssemum in vita Gregorij Thaumaturgi. Epiphanium hæres. 30. Chrysostomum homilia quod Christus sit Deus Ephrem in lib. de armatura spirituali. Palladium in hist. Lausiaca, cap. 2. & 54. Hieronymum in vita Hilarionis; Sulpitium in vita S. Martini; Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei; cap. 8. Prudentium in hymno ante somnum. Paulinum Natali 8. Sed nomine aliorum audiamus. ATHANASIVM in libro de incarnatione & salutari Aduentu Domini: *Signo crucis, inquit, omnia magica compescuntur, & veneficia in efficacia sunt.* Et infra: *Veniat, qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenq; Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei meru dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia iaceant.*

Est autem OBSERVANDVM, tribus modis operari signum crucis in dæmonibus terrendis. PRIMO, ex apprehensione ipsorum dæmonum. SECUNDO, ex deuotione hominis. TERTIO, idque potissimum ex instituto Dei; atque adeo ex opere operato. Ac primum dubium esse non potest, quin dæmon, cum signum crucis fieri videt, recorderetur se Christi cruce deuictum; ac proinde horreat illud signum suæ calamitatis, & fugiat, quomodo cætes fugiunt, cum baculum; aut lapides

X

videtur;

vident. Deinde vim habet hoc signum ex deuotione hominis se signantis, eo modo, quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum crucis quædam inuocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa, loquimur enim corde, ore, & nutibus. Inque opponere Diabolo, & cuius malo signum crucis, est opponere Christi passionem, id est, inuocare Deum per Christi meritum. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide & deuotione, quam ex ipsa figura crucis, sicut cum oramus voce, & impetramus, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei, & deuotioni. Præter hos duos modos est etiam reuerentia Dei institutione, & ex opere operato. Nam sæpe homines pagani, vel Ethnici, sine vera fide, aut deuotione signo crucis adiuti sunt, vt patet de Iuliano apostata apud Nazianzenum oratione 1. in Iulianum, & de Iosepho Hebræo apud Epiphanium hæresi 30. & de alio Hebræo apud Gregorium libro 4. Dialogorum capite 3. Quare S. AVGVSTINVS libro 83. qq. 9. Nec mirum, inquit quod hæc signa valent, cum à bona Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab externis, qui omnino suum nomē ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris. Cum autem non cedunt hu signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum, atque iudicat. Nam nullo modo ulli spiritus audens hæc signa remnere, contremiscunt hæc ubicunque illa prospexerint. Hæc ille.

TERTIA propositio: *Potest Ecclesia instituire nouas ceremonias, non quidem ad iustificandum impium, sed ad augmentum effectus spiritualis.* NOTA pro explicatione, ceremonias Ecclesia institutas tribus modis posse esse utiles. PRIMO, ad ornandum, & representandum aliquod mysterium religionis, & eo modo iuuandos radios, & de hoc inter Catholicos nulla potest esse dubitatio. SECUNDO, ad morbos curandos, & dæmones, pellendos, & peccata venialia purganda, & alia genus, idq; per modum impetrationis, vt cum Ecclesia benedicit candelas, palmas, agros, &c. Ista enim valent ad effectum illos, ad quos instituuntur ex vi orationum Ecclesiæ, quæ sine dubio exaudiuntur; & de hoc etiam non est quæstio apud Catholicos. TERTIO modo probabilis est, posse Ecclesiam instituire eiusmodi ceremonias ad eisdem effectus per applicationem.

rationem Christi meritorum; ita ut ex opere operato illos effectus producant, quomodo Sacramenta ex opere operato iustificant. Christus enim sine dubio meruit Ecclesie suae non solam gratiam, & gloriam, sed etiam omnia alia beneficia, quae illi utilia esse possunt. Et quidem ad gratiam, & iustificationem impij consequendam instituit ipse Sacramenta, quibus applicentur ipsius merita; nec licet iam alia signa instituire ad effectum illum principalem: ad alia beneficia minora reliquit Ecclesiae potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Ita quidam disputant, sed non est hoc usque ad eum certum, praesertim cum videamus non habere signa ista infallibilem effectum. Quanquam posset dici habere effectum infallibilem, si id sit utile hominibus, non autem absolute, quia saepe non expedit nobis ea beneficia consequi quomodo de extrema unctione dicere solemus, quoad effectum sanitatis corporalis.

Sed quidquid de hoc sit; nostra propositio solum asserit contra haereticos, licere Ecclesiae instituire novas caeremonias, non ad iustificandum a peccatis mortalibus, sed ad alios fines. Probatur PRIMO exemplis Synagogae, vel hominum priuatorum in Testamento vereri. Non est enim vlla ratio, cur non possit Ecclesia Christi id, quod sine Dei mandato expresso, quanquam non sine Dei inspiratione, aliqui priuati homines vel Synagoga poterat. Gen. 28. Iacob cum nondum Patriarcha esset, sed priuatus homo, Deo quidem ut videretur, impellente non tamen expressè mandante, nouam caeremoniam excogitauit. Erexit enim lapidem in titulum, fundens oleum delupet, & vocauit nomen loci illius Bethel in memoriam visionis, quam in eo loco habuerat. Item Synagoga Iudeorum auctore Mardocheo addidit nouum festum diem solennem omnibus celebrandum, quem Deus non instituerat in lege, ut habemus Ester 9. Idem factum est tempore Iudith in additione alterius festi; sic enim legimus cap. vlt. *Dies autem victoriae huius festiuitatu ab Hebraei in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudeis ex illo tempore, usque in presentem diem.* Neque obstat, quod hunc librum heretici non recipiunt: satis enim est nobis, si fidem illi habeant, quam habent Liius, aut Salustio; non enim hic agitur de aliquo abstracto dogmate, sed de Historia rei gestae. Simile habemus in

Machabæis lib. 1. cap. 4. ubi instituitur nouum festum dedicationis altaris, ad quod festum celebrandum, etiam Dominus ipse in Hierusalem ascendit, Ioan. 10.

SECUNDO probatur ex Apostolorum exemplo. Apostoli enim Act. 15. congregati in Concilio, nouam cæremoniam instituerunt, nimirum ut Gentiles, abstinere à sanguine suffocato; quod certe nusquam Deus iusserat, nisi iudæis præterea iam erat euacuata, & abrogata lex illa iudæica Christi mortem. Vnde fuit verè noua cæremonia illa Apostolorum instituta ad alium finem, quàm olim iudæica; vnde dicitur dogma Apostolorum Act. 16. Et præterea iam supra probauimus multa Apostolos instituisse, licet in Scripturis non habeantur. Nulla autem est ratio, cur non possit addere Ecclesia, quod tunc poterat. Non enim Apostoli id fecerunt ex aliqua noua reuelatione sibi concessa, sed ex potestate ordinaria gubernandi Ecclesiam; ut patet ex eo, quod Concilium cœgerunt, & collatis sententijs statuerunt, quod iudicauerunt.

TERTIO; si Ecclesia non posset id facere, vel repugnaret esset ex parte Ecclesiæ, vel ex parte cæremoniarum, vel ex parte nouitatis, id est, vel non posset, quia non habet auctoritatem aliquid statuendi, vel quia cæremoniæ (ut dicit Brentius) sunt propriè Testamenti veteris, proinde non conueniunt Testamento nouo, vel quia non licet aliquid addere cæremonijs Christo institutis: At nihil horum dici potest: nam Ecclesia posse aliquid statuere, manifestè patet, vel ex eo, quod ab initio fidei singulis ætatibus Concilia celebrata sunt, quæ leges per canones ediderunt: damnare autem omnia Concilia, manifesta insania esset; ut interim omittam argumenta plerumque quibus hoc ipsum alibi demonstrauimus. Non repugnare autem cæremonijs nouæ legi, patet ex Sacramentis à Christo institutis, quæ sunt verissimæ cæremoniæ, ut etiam aduersarij concedunt denique non repugnare ipsam nouitatem, patet, quia nusquam Dominus prohibuit, ne adderemus cæremonijs ad Sacramenta ipsius commodius, & vtilius administranda. Immo cum Dominus paucissimas cæremonijs instituerit, nec tradiderit modum, quo ministrari deberent, id reliquit sine dubio prouidentia pastorum ipsius Ecclesiæ, ut etc docet Augustinus epist. 118. cap. 6.

QUARTA propositio: *Ceremoniæ ab Ecclesia institutæ non possunt omitti sine peccato, etiã circa scandalum.* Hæc pendet ab alia quæstione. An leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia: quam disputauimus lib. 4. de Pontifice, cap. 15. & sequentibus. Ratio præcipua est ex Paulo Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt, itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infra: *ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quæ sententia etiam si ab Apostolo applicetur in particulari temporalibus Principibus, cum subiungit: *Si male egeris, time; non enim sine causa gladium portat.* tamen sententia est generalis de omnibus habentibus potestatem, vt Calvinus concedit lib. 4. Instit. cap. 10. §. 5. & patet ex illis verbis: *Non est potestas, nisi à Deo.* Ista enim propositio æquiualeat huic; *Omnis potestas à Deo est.* Esse autem in Ecclesia potestatem quandam Præpositorum supra ceteros, negari non potest, cum id Scriptura passim doceat, vt Rom. 12. *Qui præest, in sollicitudine.* 2. Cor. 13. *Hæc absens scripsi, vt nõ præsendurius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Hæb. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Efficitur igitur, vt qui leges Ecclesiæ non seruant, peccent in conscientia. Id enim significant illa omnia: *Dei ordinationi resistit: & ipsi sibi damnationem acquirunt: & necessitate subditi estote: & nõ solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vide plura loco citato.

Sed in particulari, quòd ceremoniæ non sint omnes liberæ obseruationis, probatur ex eo, quod propter ceremonias natæ sunt in Ecclesia grauissimæ dissensiones, & sub pœnis grauissimis impositæ sunt leges de ceremonijs, & tandem hæretici habiti sunt, qui non obediebant. Quæ omnia sunt argumenta manifesta, rem istam non esse liberam: non enim de rebus liberis nascuntur dissensiones.

PRIMA dissensio in Ecclesia fuit ob ceremonias legales, quæ dissensio sopita est ab Apostolis Act. 15. Vbi cum dicunt: *Visû est Spiritui sancto. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, præter hæc necessaria, vt abstineatis vos à sanguine,* &c. non vocarent onus legem ceremonialem; neque rem necessariam, nisi obligaret in conscientia.

SECUNDA dissensio fuit de die Paschatis, hoc est, de cere-
 monia. Et tanti fecit Ecclesia hanc cere-
 moniam, ut Victor Papa I. totam Asiam separare voluerit ab unitate fide-
 um, quod nolent Asiatici in ea re parere. Testis est Eusebius
 libro 5. histor. cap. 25. Deinde verò Concilium Nicænum
 propter istam quæstionem potissimum conuenit, ut scribit
 Epiphanius hæres. 70 & Constantinus in Epistola sua ad
 Eusebium lib. 3. de vita Constantini: & Athanasius in Episto-
 la de synodis Arimini, Seleuciæ: vbi etiam addit Concilium
 Nicænum disertis verbis imperasse, ut omnes obedirent. In
 Concilio Antiocheno paulò post celebratum excõmuni-
 cat can. 1. eos, qui legem Concilij Nicæni de Paschate non ob-
 uant Denique a Patribus habiti sunt hæretici, qui eam cere-
 moniam diuerso modo seruare volebant, ut patet ex Epipha-
 nio hæres. 50. Augustino hæres. 29 & Theodoro lib. 3. de
 bulis hæreticorum.

TERTIA dissensio fuit de ritu Baptismi, an hæretici
 baptizarent. Quæ etiam dissensio multum exercuit Ecclesiam
 & multa inde Concilia facta sunt, & tandem habiti sunt hæ-
 retici Donatistæ, quod non obtemperarent definitioni Con-
 cilij generalis. Vide Eusebium lib. 6. histor. cap. 3. & Augu-
 stinum in magna parte tomi 7.

Alia fuerunt postea dissensiones de delectu ciborum, de
 temporibus ieiuniorum, de diebus festis, peregrinationibus,
 vigiliis, cereis, aliisque ceremoniis, ob quas numerati sunt
 ter hæreticos Encratitæ apud Epiphanium hæres. 46. & Au-
 gustinũ hæres. 23. Deinde Manichæi, qui plurimas ceremoni-
 as Ecclesiæ reiciebant apud Augustinũ libro 20. contra Fac-
 stum capite 3. & 4. Deinde Eustatiani apud Socratem libro
 capite 33. tum Aëriani apud Epiphanium hæres. 75. & Augu-
 stinum hæres. 3. tum Vigilantium. Inde Cluadius Taurinensis apud Iohannem
 in libris tribus de sacris imaginibus. Inde Petrobrusiani apud
 Bernardum in epist. 240. Inde Waldenses apud Guidonem in
 summa de hæreticis: & Thaburitæ apud Encam Syluam
 libro de origine Bohemorum, cap. 35. Denique Iohannes W-
 clesius apud Thomam Waldensem, tomo 3. de Sacramen-
 tibus.

Vltimò probatur hæc propositio: quia si libera esset cere-
 monia.

moniarum obseruatio, nullo modo fieri posset, vt aliquis ordo, & vniformitas in Ecclesia seruaretur. Si enim nunc vix seruetur vniformitas in rebus quibusdam præcipuis, cum tam seuerè id præcipiatur, quid fieret si esset res libera? Et tamen iubet Apostolus I. Corinth. 14, vt omnia honestè, & secundum ordinem fiant. Quæ ratio Calvinum mouit, vt cæremonias suas voluerit lege sanciri. Nam libro 4. Institut. capite 10. §. 27. dicit, dissolui suis neruis, & deformari, ac dissipari Ecclesiam, si vnicuique liceat mutare cæremonias, & §. 31. dicit, libera quidem conscientia debere seruari cæremonias, sic tamen, vt non contemptui habeantur, nec supina negligentia prætereantur: & infra dicit, non esse crimen, si per imprudentiam, aut obliuionem aliquid omittatur; vbi indicat non esse crimen si per contemptum, vel crassam negligentiam omittantur. At nihil aliud Ecclesia de suis cæremoniis docet.

QVINTA propositio: *Cæremonie nõ sunt res indifferentes, sed sunt res utiles, meritorie, & pars quædã cultus diuini.* Probanda sunt hæc omnia per partes. Ac **PRIMUM**, quod cæremonie sint utiles, probatur his rationibus. **PRIMO**, Cæremonie, vt oriuntur ex interna pia affectione, & deuotione, ita etiam illam conseruant, nutriunt, augent, vt Augustinus docet libro de cura pro mortuis, cap. 5. & epist. 119. cap. 11. & lib. 9. Confess. cap. 6. & 7. Et nos ipsi hoc experimur, cum intramus Basilicas ornatas, & mundas, & crucibus, ac sacris imaginibus & aris instructas, & accensis lampadibus, deuotionem facillimè concipimus: contra autem cum ingredimur templa hæreticorum, vbi nihil est, nisi sedes ad concionandum, & mensa lignea ad cænam faciendam, videmur ingredi profanam aula, non domum Dei.

SECUNDA utilitas est, quod nõ solùm affectum, sed etiam intelligentiam iuuant cæremonie, vt Augustinus docet eadem epist. 119. cap. 7. & præsertim rudibus sunt cæremonie loco Scripturæ, vel picturæ. Adde, quod aliquando ex vetustis cæremoniis melius persuadentur aliqua dogmata, quam multis testimoniis. Certè S. Augustinus libro de peccatorum merit, & remis. cap. 34. & lib. 6. in Iulianum, cap. 2. apertissimè se probare putauit, peccatũ originale esse in paruulis ante Baptismum, quia secundum vsum Ecclesiæ exorcizantur, &

insufflantur, & iubentur per ora gestantiū abrenunciare Dabolo, & operibus eius.

TERTIA utilitas est, quòd diuuant memoriā. Nisi enim quotannis repræsentaremus varijs cæremonijs Dominum, appaitionem, passionem, aliaque mysteria redemptionis, facillè mandarentur obliuioni tam insignia beneficia.

QUARTA est exercitium fidei. Valde enim fidem exercet cum contra Diabolum armamur signo crucis, vel aqua benedicta, vel similibus rebus. Protestamur enim ea cæremonia certo credere, tantam esse potentiam crucifixi, vt ad eius similitudinem imaginem dæmones fugiant.

QUINTA est conseruatio religionis. Id enim cæremonia præstant, ne religio vilescat, & contemnatur, & sic paulatim pereat. Nam excellentia religionis nostræ præcipua, quia spiritualis est, non facillè perspicitur a nobis, qui corporei sumus. Ideò non proponuntur nuda mysteria, sed vestiuntur, & conuantur, vt externam quandam maiestatem sensibus obijciant, & per eam maiori cum reuerentia ab ipsa mente percipiuntur. Itaque sunt cæremoniae religioni, quod sal carnis, & cerebri medullæ. Quocirca rectè Augustinus lib. 19. contra Faustianum cap. 11. affirmat nullam religionem, neque veram, neque falsam sine cæremonijs posse consistere. Atque hinc apud veteres, Theologum esse, nihil erat aliud, nisi scire, quæ iunctura quibus cæremonijs colerentur, vt ex Platone intelligi potest in Dialogo de regno. Et apud Iudæos summum quid fuisse scire cæremonias, patet ex cap. 18. Exod. vbi Ietro monet Moysen, vt iudicia ciuilia committat alijs, ipse autem doceat populum cæremonias, & ritum colendi. Apud Christianos quoque fuisse etiam in magno pretio cognitionem cæremoniarum, vel vna quæstio de Paschate, abundè demonstrat. Quod idem colligitur ex Basilio epist. 64. Leone epist. 4. Innocentio epist. 1. ad Decentium, qui reprehendunt Episcopos, qui cæremonias ignorant.

SEXTA est distinctio Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta sunt quidem symbola quædam, quibus discernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per Sacramenta distingui possumus, sed per cæremonias optimè distinguimur. Hoc enim tempore signum crucis, abstinencia a carnibus

bus feria sexta, & similia sunt optima signa distinguuntia Catholicos ab hereticis. Hac de causa initio Ecclesie mutarunt Apostoli Sabbathum in Dominicam, ne videremur iudaizare: & Epiphanius in fine librorum contra omnes hereses, recensuit ceremonias Ecclesie, ut indicaret quasdam veluti notas, quibus Ecclesia ab omnibus sectis discernitur. Hinc etiam sancti viri semper maluerunt mori, quam cogi ad aliquam ceremoniam dimittendam, cum intelligerent non abijcere signum militie, nisi militie desertores. Testis est S. Eleazarus lib. 1. Machab. cap. 6 qui maluit occidi, quam simulare se comedisse carnem suillam, ne eo modo videretur religionem suam deseruisse: quem postea sequuti sunt septem fratres Machabaei lib. 2. cap. 7. Testis est etiam ille, qui Tertulliano auctore in lib. de corona militis, mori maluit, quam cum ceteris militibus laurea coronari: quoniam apud Christianos tum ceremonia erat id non facere.

Iam vero, quod sint meritoriae, ac Deo placeant, **PROBATVR**, quia omnia opera virtutum Deo placent, & apud eum premium merentur, si fiant ut oportet, id est, cum fide & charitate. Sunt autem ceremonie opera virtutum. Nam ut minimum sunt actus religionis, saepe etiam sunt actus simul religionis, & alicuius alterius virtutis, & denique cum sunt imperatae, sunt etiam actus obedientiae. **SECUNDO**, professio fidei exterior Deo placet, ut patet Matth. 10. *Qui me confessus fuerit etc.* Et Rom. 10. *Ore confessio fit ad salutem.* Sed ceremonijs profitemur fidem, ut patet; quia non minus cognosceret Turca me esse Christianum, si videat me venerari crucem, quam si dicam me esse Christianum. Vnde etiam aduersarij fatentur, per Sacramenta nos protestari fidem. **TERTIO**, Deo placet fides, spes, charitas, deuotio, & omnis interior actus bonus; ergo etiam placebunt actus exteriores, qui partim sunt effectus interiorum, partim illos ipsos (ut diximus) augent & conferuant. Vnde Exod. 17. cum Moyses oraret eleuatis manibus, populus Dei vincebat, cum dimitteret manus, vincebatur.

Quod autem dici possint pars cultus diuini, **PROBATVR**; Nam ipsa naturalis ratio docet hominem, qui constat animo & corpore, debere Deum honorare & colere, & animo per actus interiores, & corpore per exteriores. Vnde **CYPRIANVS**

in sermone de oratione Dominica. *Cogitemus*, inquit, nos habere conspectum Dei stare: placendum est diuini oculi, & habere corpora, & modo vocis. SECUNDO, omnes aliae virtutes, licet in animo consistant principaliter, tamē consumantur per actus exteriores, vt patet de temperantia, fortitudine, & ceteris; cur ergo non idem dicamus de religione? Et confirmatur quia si oratio vocalis omnium consensu est cultus Dei, cur non etiam adoratio corporalis? Vt enim oratio vocalis est cultus, quia est signum mentalis; ita adoratio erit cultus, quia est signum internae adorationis. TERTIO, natura docet, Deum esse colendum summo modo, cum sit summum Esse. At magis colit qui corpore, & animo, quam qui animo tantum; igitur corporalibus caeremoniis Deus potest coli. QUARTO, Deus verè offenditur, & ignominia afficitur non solum actu interno, sed etiam externo; igitur honorandus est non solum actu interno, sed etiam externo.

Sed ad hæc omnia responderent aduersarij. non negare, quin aliquibus caeremoniis Deus coli possit, & debeat, sed negare de caeremoniis ab hominibus inuentis, Deo enim non placet vllus cultus, quem ipse non instituit, aut certè, cui non dederit testimonium verbo suo.

At contrà; Nam aut requiritur, vt in particulari, & expressè Deus approbauerit cultum, aut sufficit si in genere, & in virtute probauerit. Non potest dici primum, Deo videlicet non placere cultum, quem ipse in particulari expressè non probauerit. Nam sine dubio placuit illi cultus, Abel qui obtulit de adipibus gregis sui, Genes. 4. & Hebr. 11. & tamen hoc Deus non præceperat: & similiter placuit cultus Iacob, qui erexit lapidem in titulum, Genes. 28. & cultus B. Virginis, quæ vocatur perpetuam virginitatem, quam Deus nusquam imperauerit; ergo satis erit, si in genere Deus aliquid commendauerit. Et hoc faterur Calvinus. Nam lib. 4. Instit. cap. 10. §. 30. probare volens genucationem in oratione esse bonam, immo & diuinam, adfert illud testimonium Apostoli, 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis*; ac dicit genucationem esse bonam, & diuinam, quia in genere indicatur Paulo in illo decoro, quod præscribit in oratione. At hoc modo omnes nostræ caeremoniæ sunt bonæ, & diuinæ, nam indicantur in genere à Deo, & probantur multis modis. P. 1. 1.

MO, in hoc ipso testimonio Pauli nō magis includitur genu-
latio, quā cereorū accensio, & sacræ vestes, & alia id genus.
SECUNDO, cū Deus iubet obediri præpositis, in genere iu-
bet seruari omnes leges Ecclesiasticas; quarum non pauca
sunt de caeremoniis. DENIQUE, Deus est auctor omnium vir-
tutum; nam Sap. 8. dicitur de diuina Sapientia: *Sobrietatem,
& prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus ni-
hilest in vita vtilius hominibus.* Vbi enumerantur quatuor
virtutes Cardinales, ad quas omnes aliæ reducuntur. Deus er-
go docet, & commendat religionem, quæ est pars iustitiæ, &
proinde cultum externum, qui est pars quædam religionis.

SIXTA propositio: *Sapientissimè institutum est, vt in Ec-
clesia Latina, Latinè Sacramenta ministrantur.* NOTA
PRIMO; Cū de lingua, qua Sacramenta ministrari debent,
agitur, debere excipi Matrimonium. Quia enim Matrimo-
nium consistit in consensu mutuo, necessariò requiruntur ver-
ba, vel nutus, qui ab vtraque parte intelligantur. Et similiter
Confessio Peccatorum debet fieri lingua vtrique nota: licet
Confessio non tam sit Sacramentum, quā Sacramenti ma-
teria.

NOTA SECUNDO; Non esse de iure diuino, qua lingua Sacra-
menta ministrantur, neque id ad essentiam Sacramentorum
pertinere; tam enim valebit Baptismus, si ministretur Latinè,
quā si Italicè, vel alia lingua: tamen ob multas, easque
grauissimas causas, visum est Ecclesiæ, & ipsi spiritui sancto,
qui eam regit, vt Sacramenta non ministrantur lingua vulga-
ri, nisi fortè in casu necessitatis.

NOTA TERTIO; Nos loqui de Ecclesia Latina: nam in Eccle-
sia Græca rectè faciunt, cū Græca lingua vtuntur, & in Ec-
clesiis Syriæ, cū vtuntur lingua Chaldaica. Nam requiritur
ad ministerium Sacramentorum lingua non vulgaris, sed quæ
tamen non sit omnino incognita, saltem doctis, alioqui non
inuenirentur pastores, & ministri necessarij. Tales autem sunt
lingua Græca, Chaldaica, & Latina: nulla enim est vulgaris, &
tamen quælibet est communis, & nota peritis in suis regioni-
bus. Idem ferè dici potest de Arabica, quæ nunc est communis
multis orientalibus Prouinciis, & in ea celebrantur officia di-
uina, sed alia est Arabica vulgaris, alia Arabica, qua vtuntur
in sacris.

PROBATVR hæc propositio PRIMO, ex Ecclesiæ antiqua consuetudine Ecclesia Latina semper Latinè Sacramenta ministravit, licet iam diu desierit lingua Latina esse vulgaris. Id patet ex Isidoro, Alcuino, Amalario, Rabano, Strabone, Micrologo, Ruperto, Thoma VValdensi, qui scripserunt de diuinis officijs in Hispania, Gallia, Germania, Italia, Anglia, quo tempore lingua Latina nusquam erat vulgaris, & apertissimè docent, lingua Latina Sacramenta ministrari solita. Describunt enim Latinè totum ritum, & formalia verba, quibus uti oportet. Præterea in Sacramentis ministrandis semper leguntur aliquæ partes diuinæ Scripturæ, & maximè apud aduersarios. at non exstabant tunc Scripturæ, nisi Hebræicæ, Græcè, & Latinè, ut patet ex Beda lib. 7. hist. Gentis suæ, cap. 1. ubi dicit, in Anglia sua ætate fuisse quatuor linguas vulgares, sed Latinam fuisse communem omnibus ratione Scripturæ. Rabanus quoque lib. 3. de institut. Clericorum, cap. 8. dicit, non exstitisse sua ætate, nisi in his tribus linguis diuinitas literas. Denique non proferent aduersarij editionem Germanicam, vel Gallicam, vel etiam Hispanicam, aut Italianam Scripturarum, nisi à paucis annis factam. Possent obijcere editionem Gothicam, quam Vlpulas Episcopus Gothorum fecisse dicitur in Tripartita histor. lib. 8. cap. 13. & apud Sozomenem lib. 4. cap. 27. Sed Episcopus ille non prius id fecit, quam Arianus cum toto suo populo esse cœpit. ADDE vltimò duo exempla, quæ apertè indicant olim non fuisse vsum linguæ vulgaris in Sacramentorum celebratione. VNUM est Moruorum, qui ut est apud Æneam Syluum de origine Bohemorum, cap. 13. impetrârunt à Pontifice Romano, ut possent officia diuina celebrare lingua Sclauonica. ALTERVM Bohemorum, quibus idem petentibus, negavit Gregorius Vltimus est in 7. lib. epistolarum eius. At si fuisset vsus communis tunc linguæ vulgaris, non petissent hanc licentiam.

SECUNDO probatur ratione. Nam nulla est necessitas quæ cogat lingua vulgari Sacramenta ministrari, & contra multa sunt incommoda, si id fiat. Non esse vllam necessitatem probatur. Nam si vlla esset necessitas, ea maximè, ut intelligant id quod dicitur, qui Sacramenta percipiunt: at hæc non est vera necessitas. Nam verba Sacramentorum aut duntaxat guntur ad elementa, ut consecratio Eucharistiæ, benedictio aquæ,

aquæ, & olei; elementa autem nullam linguam intelligunt: aut diriguntur ad Deum, vt formæ verborum deprecatorix, qualis est in extrema vnctione. Deus autem omnes linguas intelligit: aut diriguntur ad personas; sed consecrandas, vel absoluedas, non autem instruendas, & docendas, vt in Baptismo, & Absolutione, & proinde per accidens est, si persona intelligat. Cuius signum est, quia verissimè, & efficacissimè baptizantur, & reconciliantur etiam ij, qui non vtuntur ratione, vt patet in Baptismo infantium, & in reconciliatione ægrotorum, qui sunt à sensibus alienati: quos posse reconciliari, vt etiam baptizari, si Baptismo careant, docet Augustinus libro I. de adulterinis coniugijs, cap. 26 & 28. & Concilium IV. Carthaginense, can. 76. & Leo I. epist. 91. ad Theodorum. Adde, quod nulli ferè sunt in Ecclesia Latina adulti tam rudes, qui non intelligant verba Sacramentorum, licet Latina, aut certè non intelligant in genere per ea verba sibi tale, aut tale Sacramentum ministrari.

Esse autem incommodum, si vtamur lingua vulgari, patet **PRIMO**, quia impeditur commercium Ecclesiarum; non enim poterunt conuenire in Ecclesijs Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali. Galli, Hispani, neque contrà. Quod multum nocet vnitati, & communicationi, quæ deberet esse inter membra vnius corporis. Et præterea cogentur Christiani extra suas regiones carere diuinis officijs.

SECUNDO, Sacramenta requirunt maiestatem, & reuerentiam quandam, quæ certè melius conseruatur, si vtamur lingua non vulgari, & communi. Quomodo enim æquum est vt in Sacramentis ministrandis vtamur alia domo, alijs vestibus, alijs instrumentis, quàm ordinarijs, & quotidianis: ita par esse videtur, vt vtamur alia lingua. Nec tamen somniamus, vt putat Kemnitijs, linguam Latinam esse magis sacram quam sint cæteræ, sed hoc ipso dicimus eam habere plus venerationis, quod non est vulgaris.

TERTIO expedit, vt verba Sacramentorum conceptis verbis, & eodem modo ab omnibus proferantur, vt periculum caueatur mutationis, vel deprauationis. Id autem facillimè seruabitur, si eadem lingua omnes vtantur; difficilimè, si diuersis.

QUARTO, si lingua vulgari Sacramenta ministrentur, a-
peric-

perietur porta latissima ignorantiae: contenti enim erunt ministri, si sciant legere. Itaque paulatim obliuiscuntur linguam Latinam, atque ita non legent Patres, & proinde non intelligent Scripturas.

CAPVT XXXII.

Soluuntur obiectiones contra caeremonias.

IOannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. multa obicit contra caeremonias, quae ordine reflexe sunt. PRIMVM Argumentum, §. 2. *Apostolus 1. Corinth. 7. ne una quidem in re laqueum iniere ausus est; neque id nulla causa. Prospiciebat enim quantum vulnus infligeretur conscientiae, si earum necessitas illi imponeretur, quarum relicta esset à Domino libertas.*

RESPONDEO; Agit Apostolus eo loco de continentia virginali, quam Dominus non imperauerat, sed consulerat; & tamen equum fuerat, ut Apostolus non faceret preceptum, quod Dominus consilium esse voluit. At non eadem est ratio aliorum rerum, de quibus Dominus nihil in particulari precepit. Illa enim possunt ab Ecclesia, vel imperari, vel consuli, praeter res ipsae requirunt. Vnde idem Apostolus, qui continentiam imperare noluit, multa alia imperauit, & praeter caetera Thess. ult. sic ait: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Et Apostoli Act. 15. imposuerunt Gentibus omnia abstinendi à sanguine, & suffocato, & necessarium id esse dicunt; & tamen Dominus liberum id reliquerat.

SECUNDVM Argumentum, §. 3. *Apostolus in epistola ad Colossenses docet, non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam: quia Dominus fideliter nos, & ad plenam instituit, qualiter sit colendus. Quo hoc demonstrat; primo aperte dicit in Euangelio contineri omnem sapientiam, qua perfectus reddatur homo Dei in Christo: initio secundi capituli dicit, omnes thesauros sapientiae & scientiae in Christo esse absconditos: inde postea concludit; Caueant fideles, ne per mentes Philosophiam abducantur à grege Christi secundum constitutiones hominum: in fine autem capituli maiore adhuc fiducia*

damnat omnes ἑδελοθησκείας, hoc est, filitios cultus, quos homines sibi ipsis commiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcunque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent.

Respondeo PRIMVM, epistolam illam ad Collossenses, nihil habere contra Ecclesiasticas leges de cæremoniis. Nam vt ex Chrystostomo, Ambrosio, Theodoro, Theophylacto & Oecumenio constat, scripta est contra Simonem Magum & alios eius temporis hæreticos, & impostores, qui persuadebant hominibus, per Angelos quosdam oportere accedere ad summum Deum, nec sufficere Christum; & præterea obtudebant Christianis cæremonias, partim Iudaicas, partim Ethnicas. Hinc igitur in 1. cap. fusè tractat de excellentia Christi, ac dicit, eum esse caput omnium, & super omnia, & Angelos ab ipso, vt auctore pendere. Deinde in 2. capite monet, ne decipiantur per Philosophiam, videlicet Platonis, & similium qua utebatur Simoniani, & Gnostici, & simul arguit eos, quod Sabbatha & neomenias seruent, quæ Iudaica sunt, & euacuata per Christum; & quod abstinerent a cibis quibusdam, vt immundis; & quod in religione Angelorum ambularent, putantes per eos tantum ascendi posse ad Deum; quæ omnia sunt falsa & superstitiosa.

Deinde RESPONDEO ad singulas propositiones Caluini. PRIMA est: *Christus ad plenum nos instruxit de vero Dei cultu.* RESPONDEO, id verum esse de instructione generali, non autem de particulari, vt ipse etiam Caluinus fatetur infra §. 30. ubi agit de geniculatione.

SECUNDA est: *Apostolus docet non esse petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu.* RESPONDEO, docet non esse petendam ab hominibus, qui contraria Christo doceant, vt erant Philosophi, & Simoniaci, sed bene esse petendam ab hominibus, qui super Christum ædificant, & secundum eius regulam, & doctrinam docent in particulari, quod ille solum in genere indicauit. Ipse enim ait, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.*

TERTIA est: *Apostolus damnat omnem cultum humanum & voluntarium.* RESPONDEO, vocari cultum humanum, & voluntarium apud Paulum eum, qui est merè humanus, & proprio ingenio inuentus, id est, qui non est conformis fidei, & principis doctrinæ Christi. Quæ autem ab Ecclesia docen-

tur,

tur, non sunt merè humana, cum Deo inspirante instituerentur. Vnde 1. Corinth. 14. posteaquam instituerat Paulus varios ritus in Ecclesia de ordine prophetandi, & loquendi, & vt mulieres taceant, de quibus Dominus nihil expressè mandauerat, subiungit Apostolus: *Si quis Propheeta, aut spiritus in est, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Vbi vocat mandata Domini, quia eius inspiratione data erant, idèd vult à spiritualibus cognosci. Si enim fuisset expressa Domini præcepta, non fuisset opus spiritu ad ea cognoscenda.

Argumentum TERTIVM § 9. *Apostolus Galat. s. non patitur villo modo, vt fidelium conscientie in seruitutem redeantur. Non ergo licet instituire ceremonias, quæ obligentur conscientia.*

RESPONDEO, loquitur Paulus de seruitute Indaica, qua subiuerant illi sub antiqua lege, non autem de quavis obedientia legis. Nam alioqui idem Apostolus Roman. 13. docet, obediendum potestati: *Nō solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vbi NOTANDVM est, legem veterem dici iugum seruitutis, non quia obligabat in conscientia; id enim est commune omni veræ legi) sed quia difficillima, & laboriosissima erat, & non habebat secum annexam gratiam, qua impletur amore iustitiæ: vnde vel non implebatur, vel implebatur timore pœnæ, (si qui enim amore iustitiæ illam implebant, quales Patriarchas, & Prophetas, & multos alios fuisse negari non potest; id non ex lege, sed ex gratia noui Testamenti habebant) & eo modo premebat, & grauabat iugum grauiissimi iugi. Atque ab hoc iugo deterret Apostolus Galatas. Illi enim cum circumcidi vellent, excidebant à gratia Christi, & simul obligabant se ad omnem legem seruandam quod erat prorsus redire ad statum veteris Testamenti. Caluinus pessima fide Scripturas tractat, dum eas detorqueat à vero sensu ad suam hæresim comprobandam.

Argumentum QVARTVM §. 10. & 15. *Dominus, Matth. 23. reprehendit traditiones hominum, & idem facit Iohann. 29. Frustrâ colunt me mandatis hominum.* RESPONDEO, in hoc §. 10. sunt multa impudentissima mendacia, quæ toto lapso Geneuensi nunquam elui possent: vt, quòd Catholici interdiciant coniugium, & concedant scorta, quòd grauius inter-

cent, si quis die Veneris modico carnis gustu linguam infece-
 rit, quam si omnibus diebus totum corpus scotando foeda-
 uerit, &c. Ad loca Scripturæ, quæ etiam passim afferuntur à
 Philippo, Brentio, Kemnitio, & aliis, dico Dominum tria re-
 prehendere solitum in cæremoniis Iudaicis. PRIMO, quòd
 quædam pugnarent cum mandatis Dei; vt erant illa Matth.
 15. & Marci 7. vt filij donarent Sacerdotibus, quæ necessaria
 fuissent parentibus, SECVNDO, quòd multæ ex Iudaicis tra-
 ditionibus Phariseorum inanes essent, & inutiles prorsus, vt
 lauare toties manus. Atque hæc duo genera cæremoniarum
 Dominus vocat mandata hominum, quòd nihil haberent
 nisi humanum. TERTIO, quòd quasdam alias bonas, & vti-
 les seruarent, sed peccarent in modo, constituentes in eis sum-
 mam religionis, & pluris istas facientes, quàm diuina manda-
 ta; & de his loquitur Dominus, Matthæi 23. nec vocat eas hu-
 manas traditiones, sed dicit: *Hæc oportuit facere, & illa non
 omittere.* Cæremoniæ autem Christianæ ab Ecclesia appro-
 batak, non sunt primi, aut secundi generis, nec aduersarij ad-
 huc protulerunt argumenta, sed sola mendacia, ad proban-
 dum contrarium. Quod si qui sunt inter Catholicos rudio-
 res, qui pluris faciant cæremonias, quàm grauiora mandata,
 eos corrigendos putamus. Non enim probamus, quidquid
 homines faciunt, alioqui multa peccata approbaremus: sed
 id, quod facere debent secundum sanam doctrinam Ecclesiæ.

QVINTVM argumentum, §. 12. *Romanenses partim ex
 Gentilium delirio sibi desumpserunt exemplū, partim simia-
 rā more temerè imitati sunt veteres Iudaicos ritus, qui nihi-
 lo magis ad nos pertinebant, quàm pecudū victimæ.* RESPON-
 DEO PRIMVM, idem argumentum fecisse olim Manichæos
 apud Augustinum, lib. 20. contra Faust cap. 4. & Vigilantium
 apud Hieronymum, in lib. contra Vigilant. quod ad Genti-
 lium imitationem attinet. Itaque agnoscere debet Calvinus,
 à quibus maioribus descenderit. SECVNDO dico, si argumen-
 tum aliquid valeret, deberet etiam tolli Baptismus, & cœna
 Domini; nam etiam Gentiles vtebantur Baptismo, cum ini-
 tiarent suos Mithræ sacris: & Sacramentum etiam panis cele-
 brabant, vt Terrullianus refert in libro de præscriptionibus.
 Iudæi quoque frequentissimè vtebantur expiationibus per
 aquam, nec eis deerant panes propositionis. Dico TERTIO,

X non

non debere mirum videri, si nostræ cæremoniæ habent aliquam similitudinem cum Iudaicis; nam erant illæ figuræ rituum nostrarum; vt 1. Corinth. 10. legimus. Eadem ratione non debet esse mirum si interdum nostræ similes sunt ritibus Gentilium. Diabolus enim, qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est Iudaicos ritus à Deo institutos, vt loco citato Tertullianus notat, quos rerum nostrarum figuras fuisse diximus. Dico QVARTO, licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus, & ritus Gentilium, & Iudaicorum, absolutè tamen maximum esse discrimen. Nam a fine, & intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum Dæmoniorum: nostri fiunt ad colendum verum Deum; idè tantum interest inter illos & nostros, quantum inter sacrum & sacrilegium; quantum inter pietatem & impietatem, & quantum inter Deum & Diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem Gentilium, & Iudaicorum, & tamen erant illa idololatrica, ista pia, & religiosa. Eodem modo respondent Hieronymus Vigilantio, & Augustinus Manichæis, locis citatis. Ritus autem Iudaici boni erant, sed Christum venturum prænucciantes; nostri item sunt boni, sed ab illis diuersi, quia partim sunt in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam gloriam futuram.

SEXTVM argumentum, §. 13. sumitur ex epistola Augustini 119. cap. 19. qui conqueritur, quòd multitudo cæremoniarum ita aliqui Ecclesiam onerauerint, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum. RESPONDEO, AVGVSTINVS locutus de cæremoniis, quas priuati homines, & maxime mulierculæ sibi ipsis imponunt. Nam idem Augustinus ibidem loquens de cæremoniis superuacaneis, sic ait: *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine Ecclesie vnuerse roborata sunt, sed diuersorum locorum, diuersis moribus innumerabiliter variantur, & incerta existimo.*

SEPTIMVM argumentum, §. 14. Deus hoc discrimen voluit inter nos & Iudæos, quòd illos vt pueros docuit per magna sensibilia, nos vt viros, simplicius, sine talibus figuris. Id patet ex cap. 4. Ioannis, vbi Dominus ait: *Venit hora, qua verum adoratores in spiritu, & veritate adorabunt Patrem.* Et Ga-

lat. 4. *Apostolus comparat Iudæos paruulū sub pedagogo de-*
gentibus. Idem argumentū facit Kemnitius, pag. 166. vbi dicit,
 umbras, & figuras esse proprias Testamenti veteris, nos autem
 in noua lege luce verbi Dei admoneri, non umbris. Similia et-
 iam habet Brentius in Confessione Wirtembergensi, cap. vl-
 timo, quod est de cæremoniis. **R E S P O N D E O**, discrimen in-
 ter Iudæos, & Christianos, quod ad cæremonias attinet, duo-
 bus modis intelligi posse, **V N O**, vt illi solas habuerint cære-
 monias externas, nos autem solam lucem verbi, & spiritua-
 lem, ac simplicem veritatem. Et hoc videntur sonare verba
 aduersariorum, ac præsertim Kemnitij: sed id manifestè fal-
 sum est. Nam Iudæi præter cæremonias habuerunt etiam lu-
 cem verbi; vnde est illud Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis ver-*
bum tuum. Nec solū ab eis Deus cultum externum, sed et-
 iam internum requirebat. Nam Isaia 29. Iudæos reprehendit
 Deus, cū ait: *Populus hic labiū me honorat; cor autem*
eorum longè est à me. Et contra Christiani, præter lucem ver-
 bi habent etiam Sacramenta sensibilia, quæ sunt umbræ, &
 figuræ rerum præteritarum, & futurarum. Et sicut non re-
 pugnant nouo Testamento Sacramenta externa, & sensibi-
 lia, vt notum est; ita non repugnant aliæ cæremoniæ. Eccle-
 sia enim Christiana, licet versetur in magna luce respectu sy-
 nagogæ, tamen versatur etiam in umbra respectu cœlestis
 Hierusalem. Nam per fidem, quæ obscura est, ambulamus, &
 non per speciem. **A L T E R O** modo potest intelligi discrimen
 illud, quod cultus Iudaicus, quatenus Iudaicus, id est, veteris
 Testamenti, erat principaliter externus, & corporalis; cul-
 tus Christianus, id est, noui Testamenti, est corporalis; in-
 ternus, & spiritualis. Et hoc est verissimum. Nam cultus in-
 ternus, & spiritualis à spiritu fidei, & charitatis procedit, qui
 spiritus est ipsa gratia noui Testamenti, & ex lege veteri nullo
 modo haberi potest. Vnde Paulus 2. Corinth. 3. vetus Testa-
 mentum vocat literam, nouum vocat spiritum. Et Ioan. 1. il-
 lud dicitur lex, hoc gratia. Denique Ioan. 4. illud: *In spiritu,*
et veritate, significat (vt exponunt Chrysostomus, Cyrillus,
 & Euthymius) cultum Christianum esse in spiritu, vt oppo-
 nitur Iudaico, qui erat corporalis, & esse in veritate, vt op-
 ponitur eidem Iudaico, qui in umbris, & figuris consistebat.
 Quamuis non malè etiam Theophylactus, & beatus Tho-

mas in commentario eiusdem loci illud: *In spiritu*, opponatur Iudaico cultui, qui erat corporalis, illud: *In veritate*, opponatur cultui Samaritanorum, qui erat falsitati, & error admixtus. Vnde paulò ante Dominus dixerat: *Neque in monte hoc*, id est, Garizim, vbi Samaritani adorabant. *Neque in Hierosolymis adorabitur Patrem*, ac si diceret: Non colatur Deus deinceps cultu Samaritanorum falso, neque cultu Iudaico, præcipuè corporali, sed cultu Christiano, qui erit in spiritu, & veritate, id est, spiritualis, & purus ab omni errore.

Est tamen OBSERVANDUM, licet cultus Iudaicus, veteris Testamenti, fuerit corporalis, tamen non placuisse Deo sine spirituali, & idè Deum ab eis quæsiuisse cultum etiam spirituale, vt ostendimus ex Isaia 29. Sed qui cum præstabant, id non ex veteri Testamento, sed ex nouo habebant; quod iam tunc pertinere incipiebant. Sicut etiam notum est, timorem esse veteris Testamenti proprium, & amorem noui; & tamen Deus à Iudæis petebatur, vt ex toto corde diligerent, & verè id sancti illius temporis præstabant, non ex Testamento veteris, sed ex gratia noui. Pari ratione, licet cultus Christianus sit principaliter spiritualis, tamen sine corporali esse non potest in hac peregrinatione, & idè Sacramenta, & cæremonias alias admittit, quæ cultui spirituali deserviant.

OCTAVVM argumentum, §. 15. *Quidquid commendationis habent opera, id totum habet obedientie intuitu, quomodo iam Deus respicit, vt testatur per Prophetam: Non præceptum sacrificii, & victimæ, sed tantum vt audiendo audiam vocem meam. Ierem. 7. & I. Regum II. Nunquid vult Deus sacrificium, & non potius, vt obediatur voci Domini? non enim cæremonia, quam Deus non instituit, ipsi placere, aut merita esse possunt.* Confirmat ibidem argumentum suum, quia cæremonia nostræ non solum non sunt meritoria, sed nec utiles, cum vix ab illo intelligantur. RESPONDEO; Antequam falsum esse, & contra apertissimas Scripturas. Nam Deo placuit sacrificium Abel, Hebræ. II. quod tamen Deus non imperauerat. Et I. Corinth. 7. *Qui non nubrit, melius facit.* Et ibidem de vidua: *Beatior erit, si sic permanserit.* & tamen ibidem asserit, non esse præceptum, non nubere, etiam secunda. Et I. Coriath. 9. contendit sibi fuisse licitum vivere de bonis eorum,

eorum, quibus prædicabat, & tamen se maluisse viuere ex proprio labore; vt maiorem mercedem haberet; id enim significant illa verba: *Melius est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Porro Scripturæ illæ anteponunt obedientiam sacrificiis. Sed non ided licet concludere; Ergo sacrificia non imperata nihil merebantur, modò cum fide, & deuotione offerrentur: cum constet ex Scripturis contrarium, vt iam ostendimus. Ad confirmationem RESPONDEO. cæremonias Ecclesiæ facillimè intelligi saltem in genere, vt patet, si quis discurrat per cæremonias à persona, à loco, à tempore, à rebus sumptas. Quod si aliquæ cæremonia non ab omnibus intelligantur, vt est multitudo vestium in Missa, & signorum, tamen non carent utilitate, etiam apud rudissimos, cum sine dubio concilient venerationem rebus sacris. Certè Iudei parùm admodum intelligebant, & tamen non frustra eas acceperunt.

NONVM argumentum, §. 17. *Annón illa semel Ecclesiæ dilexat lex æterna manet? Quod præcipio tibi, hoc obseruabu, vt facias. Nò addes quidquam, nec detrahes.* Et Prouerb. 30. *Non addas ad verbum Domini, neq. minuas ex eo, ne te forte arguat, inueniarnq. mendax.* RESPONDEO; Non prohibet Dominus in his locis quamlibet additionem. Nam siue per verbum, intelligantur libri sacri, siue præcepta moralia, aut iudicialia, aut cæremonialia, semper inueniemus factam fuisse additionem. Nam post Deuteronomium, vbi habetur illa prohibitio additionis ad verba Domini, scripti sunt omnes alii libri sacri, tum historici, tum prophetales, & totum nouum Testamentum. Item multa sunt moralia præcepta in Prophetis, & in libris Salomonis, quæ videntur addita Pentateucho: & David addidit iudiciale præceptum, vt æqualiter diuiderent prædam in bello, qui pugnabant, & qui sarcinas custodiebant, 1. Regum 30. Addiderunt etiam posteriores Iudei cæremoniales leges de nouis festis diebus, Esther 9. Iudith ultimo. & 1. Mach. 4. Prohibet igitur Dominus additionem corruptentem; & idem est: *Non addes, nec minuas*, ac si diceret; Integrè, & perfectè obserua, quod ego præcipio. Id patet ex ratione, quæ redditur, Prouerb. 30. *Ne forte arguat te, & inueniarn mendax.* Non enim potest dici mendax, & falsarius, qui instituit nouam cæremoniam, modò illa nihil officiat.

officiat caeremoniis Dei; sed ille dicitur mendax, & falsarius qui corrumpit Dei verba, aut praecepta. Potest autem duobus modis fieri ista corruptio. VNO modo, si quis ipsis Dei verbis, aut praeceptis aliquid addat, vel minuatur, quo illa corrumpantur; vt si quis in sacrificiis Christi offerret panem sine vino, aut panem, & vinum, & mel. ALIO modo, si quis ventaret pro Dei verbo librum non Canonicum, aut pro Sacramento aliquam caeremoniam à se inuentam: aut contra verum Canonicum, aut verum Sacramentum detrahatur de numero librorum sacrorum, aut Sacramentorum; quod peccatum haereticum committunt, cum multos sacros libros negant esse Canonicos, & quinque Sacramenta tollant de numero Sacramentorum. Idem videmus in monetarum corruptione: illi enim dicuntur falsarii, qui vel ipsas monetas corrumpunt, addendo stannum argento, aut minuendo ipsius argentum; vel qui monetas à se cufas obrudunt pro moneta Principis. Nihil autem horum inuenient in caeremonia Ecclesiae.


DECIMUM argumentum, §. 23. sumit Calvinus à tribus exemplis diuinæ Scripturæ, 4. Regum 17. Qui incolebant Samariam à feris discerpti dicuntur, quod illi nouis caeremoniis Deum colerent, quas Deus non instituerat, 4. Regum 16. Reprehenditur Achaz, quod nouum altare posuerit in templo, quod quidem ad ornatum templi videri poterat: Etiam videmus, inquit Calvinus, vt Spiritus audaciam illis detestetur, non alia de causa, nisi quod hominum inuentum Dei cultu, impura sunt corruptela. 4. Reg. 21. Aggravatur, inquit Calvinus, hac circumstantia crimen Manasse, quod altare nouum exstruxerit in Hierusalem.

RESPONDEO, in his omnibus exemplis more suo Calvinus mala fide vti. Nam 4. Regum 17. non arguuntur Samaritani illi, quod nouis caeremoniis Deum colerent, sed quod inuitio non timerent Dominum, neque colerent, quippe Gentiles erant, nec sciebant legem Dei; deinde autem edocuerunt legem Dei, simul Deum colere incœpissent, & sua idola. Et 4. Regum 16. Achaz reprehenditur, non quod nouum altare in templo exstruxerit, sed quod iusserit fieri in templo Domini altare nouum ad similitudinem altaris idolorum, quod erat in Damasco, & remouerit altare Domini de loco suo, vt in opimo


optimo loco constitueret altare illud idololatricum. Denique 4. Regum 21. Manasses non solum nouum altare in templo posuit, sed altare, vbi sacrificaretur idolis. Sic enim Scriptura loquitur: *Exstruxit altaria vniverse militie cali in duobus atrijs templi Domini.* Et infra: *Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini.* Alioqui enim nouum altare erigere in templo Domini, nullum crimen fuisset. Nam 3. Regum 8. legimus, Salomonem iussisse mediam partem atrij sanctificari ad holocausta offerenda, quoniam altare æneum, in quo offerri debuissent, non erat capax tantę multitudinis victimarum: obtulit enim tum Salomon viginti duomillia boum, & centum viginti millia ouium. Atque hæc ex Caluino. Simili fide Scripturas tractat Melancthon. Nam in Apologia Confessionis Augustanę, artic. 15. præter alia, profert hæc argumenta: **P R I M O**, Ezech. 20. *in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere: Ergo non licet instituere novos cultus sine Dei mandato.* At loquitur Ezechiel de Patribus idololatri: nam alioqui Scriptura dicit, Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui.* Item **S E C V N D O** argumentatur Philippus: *Silicet hominibus instituere cultus; iam omnium Gentium cultus erunt approbandi, & illi etiam quos instituit Ieroboam.* Egregiè sanè, quasi verò liceat condere legem iniustam, si licet condere legem nouam. **T E R T I O** addit, Daniel. cap. II. *Significat novos cultus humanos ipsam formam Antichristi fore.* Sic enim inquit, *Deum Maosim in loco suo coler, & Deum, quem non nouerunt Patres eorum.* Et hoc præclarum est argumentum, quasi idem sit colere Deum verum nouo cultu, & colere nouum Deum, id est, falsum, & fictitium Deum.


Finis librorum de Sacramentis in genere.


Ad honorem D E I.




.Cu-
ar, 7.
ptif-
nere
um,
n die
Cō.
r su-
dan-
torū
nent,
Deo
o, de
eccō-
Pon-
rum,
cur, à
ionē.
n re-
nec









II 1. 2

Th
1507